AUCTORITAS SEDIS APOSTOLICAE PRO S. GREGORIO...

François d' Enghien

13-20.6.67.

p. de Latr
Cong. ora

AUCTORITAS SEDIS APOSTOLICÆ PRO S. GREGORIO PAPA VII. VINDICATA

ADVERSUS

R. P. F. NATALEM ALEXANDRUM Ordinis FF. Prædicatorum in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem Theologum, &c.

Per F. FRANCISCUM D'ENGHIEN
Ejusdem Ordinis, in Alma Universitate Lovaniensi S. Theologiæ Licentiatum.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM KINCKIUM, Anno 1684.
Cum permissu Superiorum, & Approbatione.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

EA est Ordinis Prædicatorum in Sedem Apostolicam pietas & observantia, ut illi sit ingenita ac veluti character proprius. Sive eam Hæretici diruere molirentur, eamdem Schismatici dividere, aut degeneres Catholici imminuere tentarent; quovis in occursu hæc Sacra Religio eam pro virili tutata est, ut ejus illustria scripta, ac heroica facta testantur. Nec perpetuum hunc cultum quis adulationi adscribet, qui expenderit, quàm oporteat

S. Sedis jura tueri. *Privilegia Sedis nostræ* (ait S. Nicolaus I. Epist. XXXII. ad Gallos Episcopos Synodi Silvanectensis) *usque ad mortem, divina annuente gratia, vestigia Patrum nostrorum sequentes, defendemus. Sed & vos illa quatenus illibata, utpote totius Ecclesiæ Domini remedia, custodiantur, toto conamine, & omnibus votis operari ac desudare debetis. Quoniam Privilegia Sedis Apostolicæ tegmina sunt, ut ita dicamus, totius Ecclesiæ Catholicæ: Privilegia, inquam, hujus Ecclesiæ munimina sunt circa omnes impetus pravitatum: arma sunt* (inquit idem Epist. XXX. ad Carolum Franciæ

ciæ Regem) *contra omnes impetus pravitatum, & munimenta Domini Sacerdotum, & omnium prorſus, qui in ſublimitate conſiſtunt, imò cunctorum, qui ab eiſdem poteſtatibus diverſis afficiuntur incommodis.* E quibus colligere eſt, quàm magnâ ratione ducta, quàm altâ præcipuæ utilitatis conſideratione mota, quantæ demum neceſſitatis argumento perſuaſa ſit prænominata Familia, ad perpetuò aſſerendam, tuendamque potentiſſimam Romani Pontificis Majeſtatem. Neque ejus emicans inde ſplendor obfuſcatur, aut deturpatur gloria, ſi quis filiorum degeneret, ac Pontificiæ

læſæ Majeſtatis crimen incurrat. Privatas ſiquidem aberrationes pia Mater non recipit, ſed ſcriptis & voce reprimit, atque condemnat, ac detrahentibus reſpondet, quod Hæreticis privatorum corruptelas obijcientibus reponit Eccleſia cum Auguſtino ſuo lib. De Moribus Eccleſiæ Cap. XXXIV. *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Eccleſiæ Catholicæ maledicere deſinatis, vituperando mores hominum, quos & ipſa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere ſtudet.*

Ea propter non ad delendam notam ab Ordine (nulla quippe cenſeri debet) ſed ad Sanctæ Sedis,

dis, Sanctique Gregorij Papæ VII. auctoritatem vindicandam, lucubrationem hanc exarandam suscepi adversus R. P. *Natalem Alexandrum*. Ad cujus scripti inopinum conspectum, hæsi attonitus, dum post editam *Responsionem Historico-Theologicam ad Cleri Gallicani de potestate Ecclesiastica declarationem*, cernerem in speciem dirutum, cui articulo II. in ea potissimùm innixus fui, præfati nempe Sancti Pontificis auctoritati: quem etsi proborum omnium Scriptorum encomijs maximè celebratum, dictus Author graviùs incusat, quàm ut sileri possit: videlicet, ipsum *Romano-*

rum primum Pontificum sibi Regum exauctorandorum tribuisse potestatem, contra Patrum doctrinam, imò contra verbum Dei: argumenta quibus eam in Epistola decretali probat, *nullius* esse *roboris*, ejus desuper doctrinam ibidem expressam, esse *falsam, erroneam, periculosam, invidiosam, singularē, sacræ Scripturæ & Traditioni dissentaneam, meritò à sacra Facultate Parisiensi damnatam: falsa documenta ipsi subministrata fuisse, vel potiùs undequaque corrasa* : eumdem denique fuisse sacro Textu *abusum*. Quæ ex ore Catholico inauditæ voces pias aures feriunt, eas pudor Christianus aversatur, ac pietas

tas

tas Christiana condemnat : ijs
graviùs offensa, quo Hetero-
doxis validiori sunt adjumento,
& ad Petri Cathedram (cui hanc
potestatem invident) oppeten-
dam, & suas in hunc sanctissi-
mum Papam continuandas,
imò duplicandas calumnias;
dum Orthodoxum tam apertè
suis ausibus obsecundare cer-
nunt, & tam indigna (at suo
gustui dulcissima) proferre perci-
piunt. Qui licet in omnes Ro-
manæ Cathedræ Præsules, qui
eâ potestate usi sunt, acriter im-
pièque debacchentur, adversùs
hunc tamen videntur omnem
suam rabiem adunasse, ut ip-
sum omnimodis proscinderent.

Acce-

Accedit, quod adeo gravis incusatio non modò illos Præsules, sed & Romanam, imò Universalem Ecclesiam involvat, utpote quæ dictam potestatem & tradidisse & exercuisse dignoscitur. *Ab humanæ* autem *pietatis lege* (scribebat olim Alexandro III. Ludovicus VII. Francorum Rex) *recedit filius, qui Matrem deturpat, neque Creatoris beneficij reminiscitur, qui de Sanctæ Sedi illata turpidine non constristatur. De qua mihi* (inquit Ennodius Diaconus in Apologia pro Symmacho Papa) *videtur dictum per Prophetam* (Isaiam cap. 10.) *Si hæc humiliatur*, "ad cujus con„fugietis auxilium, & ubi relin-

„linquetis gloriam veſtram ?"

Quare quod juſta de cauſa contra memoratum Authorem Apologeticum hunc adornem, non arbitror, veraciter Chriſtianum inficiari poſſe. Haudquaquá veró ab incepto dimovit, quod is ejuſdem mecum ſit Inſtituti, quin potiùs magis impulerit, ut Orbi palam fieret, quod, ſi Ordinis Prædicatorum Alumnus, ab Avito cultu degenerans, in Sanctam Apoſtolicam Sedem, ejuſque Sanctiſſimum Præſulem ſtringere calumum præſumpſerit, illico fuerit ab altero ejuſdem Familiæ depulſus. Hæc etenim innatum habet, & à Sanctiſſimo Parente Dominico in ſe

transfusum, dum pro veritate certandum est, non carnem, non sanguinem, non denique ullum agnoscere; adeo ut à Ludovico Bavaro eximium hoc elogium audire meruerit: *Ordo FF. Prædicatorum est Ordo veritatis, quam intrepidè & liberè contra errones quamtumvis potentes adverso pectore tuetur.*

SYNOPSIS
CONTENTORUM.

ARTICULUS I.

R. P. Natalis Alexandri assertum primum.

Ejusdem

ARTICULUS II.

ASSERTIO II.

ARTICULUS III.

ASSERTIO III.

Illustres

COM-

COMMISSIO

Reverendi admodum ac Eximij Patris Magistri Commissarij & Vicarij Generalis Vtriusque Germaniæ.

NOs Fr. Guinandus Wynans S.T. Magister, ac Reverendissimi Patris Magistri Generalis Ordinis FF. Prædicatorum per utramque Germaniam Commissarius & Vicarius Generalis, committimus Reverendis admod. ac Eximijs Patribus S. T. Doctoribus & Professoribus, Fratri Joanni Antonio D'Aubermont, & Fratri Francisco Jansens Elinga, ut examinent librum, cui titulus, *Authoritas Sedis Apostolicæ pro S. Gregorio Papa VII. Vindicata adversùs R. P. F. Natalem Alexandrum Ordinis FF. Prædic. in sacra Facultate Parisiensi Doctorem Theologum, &c. per Fratrem Franciscum D'Enghien ejusdem Ordinis, in Alma Vniversitate Lovaniensi S. Theologiæ Licentiatum*, & si dignum judicent, suo calculo approbent. Datum Lovanij in Conventu FF. Ord. Præd. B. Virgini Annuntiatæ sacro, die 4. Octobris 1683.

FR. GUINANDUS WYNANS
S. Theol. Magister, & utriusque Germaniæ Commissarius & Vicarius Generalis.

** APPRO-

APPROBATIO THEOLOGORUM ORDINIS.

A Majorum veſtigijs devio fratri, ac in contraria ſtudia infeliciter abrepto veritatis facem præluxiſſe, ut in viam redeat, fraternæ pariter ac Religioſæ diſciplinæ character eſt. Nec aliud propoſitum fuiſſe Authori hujus Operis, cui titulus, *Authoritas Sedis Apoſtolicæ pro S. Gregorio Papa VII. Vindicata*, &c. ſeria Superiorum juſſu ejuſdem mihi lectio facilè perſuaſit. Nihil prius in Schola Christi, quam ejus in terra Vicarij,quem ipſe conſtituit ſuper gentes & regna,cauſam agere, & fratri in eam ruenti, affectuque ſeu Gentis, ſeu Aulæ laboranti ſuccurrere, ad commiſſi erroris agnitionem revocare, atque ad Apoſtolicæ Sedis reverentiam invitare. His dum Scriptor totus incumbit, dum pro ſummo Chriſtiani Orbis Principe, & Patre, loquitur, dum ejus in Reges ac Principes poteſtatem (quam indirectam per tota ſex ſæcula fuiſſe in univerſa Eccleſia agnitam, demonſtravit non ita pridem in numeroſiſſimo Antiſtitum Doctorumque conſeſſu, unus è primoribus Galliæ Epiſcopis) multâ eruditione, operoſâ venerandæ antiquitatis indagine, ac recitatione vindicat, non unius modò ſaluti officioſâ ſedulitate conſulit, verùm etiam publicæ ſtudet eâdem operâ utilitati. Palam enim fit, præcipitem *Alexandri* iſtius impetum, hoc obice velut elidi, cunctaque tela, argumenta, ac auxilia omnia, quæ adversùs Pontificiæ Majeſtatis poteſtatem pugnaciſſimo niſu evocavit in aciem, accuratiſ-

ſimâ

ſimâ diligentiâ profligari in perniciem ſuæ cauſæ: cui celeberrimi nominis vir, *Ioannes Barclaius*, licet aliquando adhæſiſſet, Guilielmum patrem ſecutus, in ejus vindicijs, edito ſub Epigraphe *Pietas* libro; deinde tamen illam ſe deſeruiſſe ultrò profitetur in proæmio ſuæ *Paræneſis ad Sectarios* inquiens: "Illo opere edito ,,(dicam liberè) peſſimè me habuit, placere ,,hæreticis quidquid hoc erat, & Catholicorum ,,plurimis ægrè eſſe. Quin & in ijs ſcriptis multa ,,adverti, quæ vel tacentibus cunctis, ipſe dam- ,,narem, &c. Et hæc ſtrictim annotata aliquan- ,,do fuſiùs proſequi mihi animus, tempore & ,,ocio meliore. Neque enim mihi ſatis, quæ ,,fusè diſſerui, hìc paucis caſtigaſſe. Dolui igitur ,,&, quod unum tunc licebat, NOLIM FAC- ,,TUM, ſæpe mecum repetij. Nec aliter ac- ,,quieſcere animus potuit, quàm ſi pedibus Sanc- ,,tiſſimi Patris affuſus, iramque deprecatus, ei ,,totum me dediſſem, ut nec felix aut ſoſpes, ,,niſi illius arbitrio eſſem". Non unus ſic loquetur, Barclaius, modò plures animum intendant, hunc Apologeticum exactis attentiùs argumentis, quibus nititur, expendere. Datum Lovanij 20. Aprilis 1684.

F. JOANNES ANTONIUS D'AUBERMONT, *Ord. Præd. in Univerſitate Lovanienſi S. Theol. Doctor & Profeſſor Regens.*

Constans, nec minus certa Angelici Doctoris, ac totius tam Philosophicæ, quam Theologicæ Scholæ doctrina est, quod cui præcipitur alicujus intenti finis executio, media etiam ad eum finem obtinendum necessaria, seu eorumdem electio committatur. Quod profecto non solum obtinet in medijs directè, & quasi ex natura sua ad aliquem finem tendentibus, & quasi ab ipso fine elicitis, sed etiam in ijs, quæ etsi non ejusdem Ordinis cum fine sint, finis tamen ille Superioris Ordinis sit, & sine eis tamquam imperatis obtineri vix, aut nullatenus possit, Alioquin intentio finis præcepti efficax non esset, si imperare non posset ea, à quibus in sui executione dependet. Porro nemo sanæ fidei ambigat, B. Petro Apostolo, ac ejus Successoribus pro fine præfixum fuisse à Christo Domino spirituale regimen totius Ecclesiæ, dum dixit Petro, & in ipso, illius Successoribus: *Pasce oves meas*: & iterum nemo est qui ambigat, finem illum, quia spiritualem, altioris esse Ordinis, imo & supremi in Monarchia Dei. Quod si ita sit, sicut inficiari nemo potest, liquet profecto, eisdem à Christo concessam, imo commissam fuisse electionem eorum omnium mediorum, quæ fini illi congrua, vel necessaria fuerint. Hinc Authoritas Sedis Apostolicæ super Reges & Regna, non directa quidem, & quasi in Reges & Regna in omni rerum eventu omne quod vellent, possent; sed indirecta, si videlicet in quibusdam implexis temporum circumstantijs, spirituale Ecclesiæ regimen sine exercitio potestatis Spiritualis in eorum personas, regna, vel bona temporalia subsistere vix, aut nullatenus posset. Indubitatum enim esse debet, quod ad finem eum, etsi Spiritualem, imò quia Spiritualem, ac proinde Superiorem, imperari possint temporalium bonorum media: & porro si

possint,

possint, etiam debeant, si id necessitas istius finis exegerit. Hanc certam Angelici Doctoris doctrinam non satis attenderit *Natalis Alexander*, dum Successoribus Petri indirectam potestatem in Reges & Regna non solum negavit, sed eam contra *Patrum doctrinam*, ac *contra* ipsum *verbum Dei* à Gregorio VII. præsumptam fuisse, temerariè affirmare præsumpsit. Habent quidem Reges in suos subditos supremam potestatem, nec ab alio, quam à Deo dependentem; sed errant, qui crediderint potestatem regiam à solo Deo non dependere, si indirectè ab ejus Vicario dependeat, cum Vicarius in eo, in quo Vicarius est, cum suo Principali non ponat in numero, nec separari ab ipso debeat. Itaque potestati regiæ nihil derogatur, dum indirectæ Potestati Apostolicæ subiicitur: sed per hoc potiùs intra rectum ordinem continetur, dum videlicet temporalia spirituali fini pro ejus inevitabili necessitate subordinantur. Et quia Author libri, cui nomen dedit: *Authoritas Sedis Apostolica*, &c. id ipsum clarè conficit, aliudq; suadere non intendit, nec adductis tot authoritatibus Conciliorum, Sanctorum Patrum, ac tot allatis Historiis aliud non exequitur (exequatur autem admodum nervosè, ac eruditè) quàm ejusmodi indirectam potestatem Apostolicæ Sedis, ac ejus præteritis sæculis legitimum usum demonstrare, atque unà P. *Natalem Alexandrum* non sufficientis (prout Dominicanum decebat) reverentiæ erga Sanctam Sedem reum agere, arguere, corrigere, ac ad suo Ordini, ac Instituto congruentem doctrinam reducere; luce dignum censeo. Datum Antverpiæ in Conventu FF. Prædicatorum die 1. Aprilis 1684.

FR. FRANCISCUS JANSSENS *Elinga Ordinis FF. Prædicatorum S.T. Doctor & Professor ac studij Generalis Antverp. Regens Primarius.*

APPRO-

APPROBATIO.

Reverendi admodum ac Eximij P. Magistri Vervacques in Vniversitate Lovaniensi S. Theol. Doctoris & Professoris.

OPus Theologicum inscriptum : *Authoritas Sedis Apostolicæ pro S. Gregorio Papa VII. Vindicata , &c.* ab Eruditissimo ac Reverendo Patre *Francisco D'Enghien* magno labore , studio , ac antiquioris doctrinæ perlustratione compositum , Apostolicæ Sedis Auctoritatem strenuè ac potenter propugnat , & singulariter Innocentiam Sanctissimi Pontificis Gregorij VII. Quare utiliter publicam lucem videbit. Dabam Lovanij 8. Augusti 1684.

FR. FRANCISCUS VERVACQUES
Ord. Eremit. S. Augustini S. T. Doctor ac Professor.

APPRO-

APPROBATIO

Eruditissimi Viri Domini Nicolai Du Bois in Universitate Lovaniensi Sacrarum Litterarum Primarij Professoris.

DOctrina de Sedis Apostolicæ auctoritate in Reges & Regna contenta in libro, cui titulus, *Auctoritas Sedis Apostolis pro S. Gregorio Papa VII. Vindicata*, *&c.* cum sit egregiè illustrata, solidè confirmata adversùs *Natalem Alexandrum*, ipsa Gregorij VII. facta demonstrentur justa, & sancta, ac immunia à calumnijs & dicterijs hostium ejusdem Sanctæ Sedis, meritò luci publicæ dabitur. Actum Lovanij 22. Augusti 1684.

NICOLAUS DU BOIS *Sacrarum Litterarum primarius Professor, Librorum Censor.*

APPRO-

APPROBATIO

ORDINARIJ.

IMprimi poterit Liber, cui Titulus est: *Auctoritas Sedis Apostolicæ pro S. Gregorio Papa VII. Vindicata*, &c. Etenim nihil Fidei Orthodoxæ, bonis Moribus, aut Statui contrarium continet. Datum Antverpiæ VII. Julij M. DC. LXXXIV.

ANTONIUS HOEFSLACH
Ecclesiæ Cathedralis Canonicus Gradualis, Librorum Censor.

ARTICULUS I.

R. P. Natalis Alexandri assertum primum.

In Hist. Sæc. XI. Dissert. II. Art. IX.

Gregorius VII. Romanorum primus Pontificum sibi Regum exauctorandorum tribuit potestatem, contra PATRUM DOCTRINAM, *imò contra* VERBUM DEI.

SAtis audacter *Natalis* in Christum Domini, ac suum, atque omnium Christianorum Judicem sententiam tulit, ac Patrem, Pastorem, & Doctorem sine rubore tam graviter incusavit: nec saltem dubitando, vel suspicando, vel opinando locutus est, sed præcisè & absolutè, quasi de re explorata & certa pronuntiavit, ipsum sibi illam potestatem primum tribuisse contra Patrum doctrinam, imò contra verbum Dei. Ast noverit, se à

Patrum doctrina deviasse, ac in Canonum disciplinam impegisse. *Dicit enim Cyrillus in Libro Thesaurorum* (inquit Doctor Angelicus Opusc. 1.) *Vt membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debemus. Neque enim* (ut scripsit Cyprianus Epist: 55.) *aliunde hæreses obortæ sunt, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.* Illum Sacerdotem esse Romanum Pontificem clarè significat, dum ait: *Navigare audeat & ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est. Vna Ecclesia* (inquit Epist: 40.) *& Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Quisquis alibi collegerit, spargit.* Quapropter *in omnibus* (ait Petrus Chrysologus epist. ad Eutichem) *hortamur te, frater venerabilis, ut his, quæ à beatissimo Papa Romanæ Civitatis perscripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria Sede & vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Unde Ascanius, & cæteri

A Rom. Pontif. quærendum, quid credere & tenere debeamus.

teri Episcopi Taraconenses Epist. ad Hilarium Papam. *Ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Atque ut rectè ait Possessor Episcopus Epist. ad Hormisdam Papam: *Decet, & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim majorem circa subjectos sollicitudinem gerit, aut à quo magis est nutantis fidei stabilitas expetenda, quàm ejus Sedis Præside, cujus primus à Christo Rector audivit: Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam?* Hinc Eulalius Carthaginensis Epist. ad Bonif. II. *In Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica servata Religio: de qua spe & fide minimè separari cupientes, & Patrum sequētes constituta, anathematizamus omnes, qui contra S. Romanam & Apostolicam Sedem superbiendo suas erigunt cervices; & prædicantes ejus omnia constituta, & per omnia spero, ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra & vera Christianæ Religionis & perfecta Soliditas.* Joannes Episcopus

A Rom. Pontif. nutantis fidei stabilitas expetenda.

Ravennatensis Epist. ad Gregorium Magnum: *Quibus ausibus*, inquit, *ego Sanctissimæ illi Sedi, quæ universali Ecclesiæ jura sua transmittit, præsumpserim obviare, propter cujus conservandam auctoritatem, sicut Deo manifestum est, multorum contra me graviter excitavi invidiam?* Et Rothaldus Suessionensis in Appellatione ad Nicolaum I. *Ad illam summam auctoritatem sine intermissione appello, cui nullus potest contradicere, quæ à Domino Iesu Christo per B. Petrum Apostolum tantum meruit Principatum. Stultitiæ quodam elogio notandi sunt*, inquit Regino Bruniensis ad annum 865. *qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse, arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi falli unquam potuit.* Ea propter Illustrissimus Godeus (ut reliquos missos faciam) Epist. ad Alexandrum VII. Romanus Antistes in ea Cathedra collocatus est, *quæ non solùm unitatis centrum est, sed ad quam in rebus dubiis, velut ad veritatis oraculum, qui non vult errare, confugere debeat.*

Pontificis Auctoritati nullus potest contradicere.

Sedes Apost. Oraculum veritatis.

Ipsi sunt Canones, (inquit S. Nicolaus I. epist. 8. ad Michaëlem Imperatorem) *qui*

qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluére deferri : ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt : ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium : nec de ejus umquam præceperunt judicio judicare, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potiùs sequenda decreta mandarunt. Et ut antea S. Gelasius I. ad Episcopos Dardaniæ scripsit epist. XIII. *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apost. ius habeat resolvendi; utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neq; cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* Hinc Bernaldus Presb. Constant. in Apologetico super excommunicatione à Gregorio VII. in Schismaticos lata, concludit : *Sententiam Apostolicæ auctoritatis in apertissimos contumaces ab eo depromptam, nullus Christianus irritam judicabit.* *Iudicia Romanæ Ecclesiæ* (inquit Ivo Carnotensis epist. 183.) *à nemine foris retractari posse, eádem Romanâ Ecclesiâ docente didicimus. Hoc namque privilegium* (ait Potho Prumiensis de statu Domûs Dei lib. 3.) *B. Petro Apostolorum Principi*

Apost. Auctor. sentent. non licet irritam judicare.

cœlesti decreto principaliter traditum, atque firmatum Sancti Patres cum magna veneratione suscipientes, atque Sanctam Romanam Ecclesiam servantes, tam in generalibus Conciliis, quàm in cæteris Scripturis, & gestis suis universalem matrem appellaverunt, & sicut ejus documenta in confirmatione fidei & eruditione Sacræ Religionis, ita etiam judicia susceperunt, in hoc consentientes, & quasi uno Spiritu & una voce concordantes, omnes majores causas, & præcipua negotia ad eam quasi ad matrem, & caput debere deferri, ab ea nusquam appellari, & judicia ejus à nemine retractari, aut refelli debere, vel posse.

Sed præterierunt hæc omnia *Natalem*, dum in Romani Præsulis irrefragabilem auctoritatem tam indigna vibravit, dum de ejus Sententiis interdictionis Regni, atque exauctorationis in Henricum IV. Germaniæ Regem, ex totius S. Romanæ Synodi judicio & auctoritate latis (ut ipse etiam fatetur) non modò judicavit, easque dissolvere, & refellere nisus est, sed adeo gravi censurâ notavit. Cæterum ut sigillatim refellatur, sit

ASSER-

ASSERTIO PRIMA.

Gregorius VII. Romanorum Pontificum primus non fuit, qui ſibi Regum exauctorandorum tribuit poteſtatem.

ETenim Gregorius Magnus hujus nominis Papa I. Reges à ſua dignitate cadere ſtatuit, qui Apoſtolicæ Sedis decreta violare præſumpſerint, ſcribens ad quemdam Senatorem Abbatem Lib. XI. Epiſt. X. his verbis: "Si quis verò „Regum, Sacerdotum, Judicum, atque „ſæcularium perſonarum hanc conſtitu„tionis noſtræ paginam agnoſcens; con„tra eam venire tentaverit, poteſtatis, „honoriſq; ſui dignitate careat, reumque „ſe divino Judicio exiſtere de perpetrata „iniquitate cognoſcat: & niſi ea, quæ „ſunt malè ablata, reſtituerit, vel dig„nâ pœnitentiâ illicitè accepta defleve„rit, à Sacratiſſimo Corpore & San„guine Domini Redemptoris noſtri „Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in „æterno examine diſtrictæ ultioni ſub„jáceat.

Gregor. Magn. Reges ſua præceptionis violatores à dignit. cadere ſtatuit.

Evasio. *Sed ista probatio* (quæ & Gregorii nostri est Epist. XXI. Lib. VIII.) *infirma est*, respondet *Natalis* art. X. *Nam etsi Epistolam illam ut genuinam S. Gregorij admittamus, etsi clausulam illam.* Si quis Regum, *&c. addiditiam non esse demus (quod tamen viri plerique doctißimi contendunt, quod S. Gregorius eam in similibus privilegiis non usurpaverit) inde colligi non potest, S. Gregorium Sedi Apostolicæ tribuisse auctoritatem deponendi Reges, & absolvendi subditos à Sacramento fidelitatis. Illa namq; verba sunt imprecantis, non imperantis, decernentis, seu judicantis: sicut illa*, in æterno examine distractæ ultioni subjaceat. *Hujus generis est impecatio illa Gregorii VII. in Sententia adversùs Henricum Regem lata*: Ipse Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli, nullas vires, nullamque in vita sua victoriam obtineat. *Non absimiles imprecationes illi S. Gregorij (si tamen ejus est) legi observavi jam olim in Concilijs Toletanis IV. Canone LXXV. VI. Canone III. & VII. Canone I. & in testamento S. Radegundis apud Gregorium Turonensem Lib. IX. Cap. XLII. & in testamento S. Remigij nomine apud Flodoardum*

dum inscripto Lib. I. Hist. Eccles. Remensis Cap. XVIII. Et id genus multa cumulat, quæ nullius roboris sunt ad Gregorii nostri probationem infirmandam.

Itaque Gregorij Magni laudatam Epistolam esse genuinam, ac clausulam illam, *Si quis Regum* &c. non esse additiam, probare supersedens, eò quod nullam dubitandi rationem, & viros illos plerosque doctissimos, eorumque fundamenta non proferat; dicendum est, verba Gregorij Magni adducta, esse imperantis & decernentis. Ea namque sic intelligit Thomas Waldensis Ordinis Carmelitarum in Anglia Provincialis, sui temporis hæresum expugnator, ac deinceps exortarum eversor, Theologus præstantissimus, ac vitæ Sanctimoniâ illustris, ideoque à Martino V. commendatus, & à variis Scriptoribus magnopere celebratus: Lib. II. Doctrinalis fidei art. III. Cap. LXXV. "Profectò, inquit, nec B. Papa „Gregorius eminentiæ sui statûs super „statum Imperialem præjudicavit in ali„quo, cum Regem sibi verbotenus præ„posuit, negotio quoque Ecclesiæ quod tunc *Præcluditur.*

„tunc tractabatur attento : quod tunc „aptè videbimus, si posteriora ejus facta „& scripta quæramus. Vide an se ma-„gistrum & Imperatorum & Regum „non arbitrabatur, cum privilegia quæ-„dam Senatori Presbytero, & Abbati „Xenodochij Francorum directa sub „interminatione dignitatis & honoris „omni ejus violatori conclusit ? Cui „etiam Sententiæ omnes Reges gene-„rali definitione constrinxit. *Concedi-„mus*, inquit, *& firmamus statuentes „nullum Regum; Antistitum, nullumque „quacumque dignitate præditum &c.* & fi-„naliter sequitur. *Si quis verò Regum Sa-„cerdotum &c.*

Sic eadem verba accipiunt duo S. R. E. Cardinales amplissimi Baronius & Bellarminus, ille Congregationis Oratorij, hic Societatis Jesu, Presbyteri non minoris pietatis, quàm uberrimæ doctrinæ. Ipsis nihil aut parum deferant Hæretici, & si qui alij sint Sanctæ Sedi malè affecti : probi Orthodoxi magnopere suspiciunt, ac velut potentibus Ecclesiæ, ejusque visibilis Capitis propugnatoribus gratulantur de gloriosis trophæis contra horum hostes & osores

erectis.

erectis. Uterque ex illis verbis Rom. Pontificis Regum exauctorandorum potestatem comprobat: Prior ad annum DCCC. num. X. posterior Lib. V. de Rom. Pontif. Cap. VIII. Idem præstant viri doctissimi, Franciscus Silvius 22. q. LX. art. I. dub. V. Conc. III. Illustrissimus Malderus Antverpiensium Episcopus 22. q. I. art. X. disput: VIII. & Joannes Wiggers Tract. de Rom. Pontif. dub. 2.

His certè plus deferendum est, quàm contrariæ interpretationis patronis. Duos reperio, videlicet Guilielmum Barclaium, à Cardinali Bellarmino validè confutatum, & Rogerum Widdringtonum Catholicum Anglum, ab Adolpho Schulckenio S. Theol. apud Ubios Doctore & Professore egregiè refutatum: de quo asserit: *Hunc Authorem multa sunt, quæ hæreseos accusant, & omnino reum peragunt. Quare non levis multorum est suspicio auctorem hujus libri* (nempe contra Bellarminum) *esse non Rogerum Widdringtonum, sed aliquem alium impostorem, qui hæreticus cum sit, velit sub nomine Catholici latere, ut viros Catholicos faciliùs circumveniat.*

Sed

Interp. Gregorij VII. recipienda.

Sed quid, si *Natali* opponam Gregorij nostri auctoritatem in decretali Epistola eadem Gregorij Magni verba in sensu decretivo interpretantis, an ipsi deferendum non erit, eò quod talis sensus ab hoc Auctore respuatur? Non arbitror virum prudentem & eruditum affirmaturum. Non enim quia filius Patrem impetit, ejus auctoritas minoratur, nec quia *Discipulus* vult esse *supra Magistrum*, eumque audire contemnit, ejus doctrinæ derogatur, nec demum quia ovis in Pastorem insurgit, illi minùs deferendum est. Quod ergo *Natalis* se Pontifici opponat, ac redditum ab ipso sensum impugnet, interpretantis auctoritatem in effectu non minuit, sed potiùs sui scripti inanitatem ostendit.

Argumenta ejus à simili paulò ante relata nihil urgent. Non primum: quia illud, *In æterno examine districta ultioni subjaceat*, in sensu etiam decretivo debet intelligi. Nec propterea Pontifex (ut sic refellatur, quod opponitur) sibi potestatē tribuit quempiam de Libro vitæ delendi, sed Dei auctoritate dignum decernendi, ratione delicti per pœnitentiā non expiati, qui executionem deletionis

nis de Libro vitæ à Deo justo Judice recipiat, etiam vi Pontificij decreti, quam aliàs incurreret. Multò minùs valet secundum simile; eò quod magis *Natali* obsit, quàm prosit. Ex eo siquidem liquet, quod in coërcitiva sententia Pontifex unum decernat, ut exauctorationem & excommunicationem Henrici; alterum imprecetur, videlicet, *quod in congressione belli nullas vires, nullamque victoriam obtineat*: & ita, dato, quod illud, de quo proximè sermo præcessit, nempe *In æterno examine districtæ ultioni subjaceat*, imprecantis dictum esset, haud inde tamen, & multò minùs ex imprecatione de victoria non obtinenda, consequens fit, reliqua à Gregorio Magno contra suæ præceptionis violatores determinata esse hujusmodi.

Neque vires habet argumentum ex Concilijs Toletanis petitum, quia locis à *Natali* citatis imprecationes non sunt, sed sanctiones (si fortè sextum demas, quod ex textu videtur colligi) Quarti namque Concilij Patres *Audite*, inquiunt, *Sententiam nostram: Quicumque ergo ex nobis, vel totius Hispaniæ populis qualibet conjuratione &c. quia oportet, ut* *Sensus Canonū Concil. Toletan.*

una

una pœna teneat obnoxios, quos similis error invenerit implicatos. Verba autem ſententiæ ſunt decernentis, licet quandoque imprecatio adjiciatur. Septimi Concilij Patres, *Nobis interim*, aiunt, *ratio perſuaſit, Synodali ſuper hoc conſtitutione decernere, ut quicumque etiam Laicorum in prædictis capitulis, hoc eſt, in adverſitate gentis atque patriæ, poteſtatiſve Regiæ, in externas partes ſe conferendo, vel talibus opem ferendo noxius fuerit ultra repertus, non ſolùm, ut dictum eſt, omnium rerum ſuarum proprietate privetur, ſed & perpetua excommunicatione damnetur &c.*

Denique argumentum ex ijs, quæ quorumdam teſtamentis adjecta leguntur, nullius roboris ſunt. Ea namque meras eſſe imprecationes, per ſe claret. Sunt quippe aut paris in parem, aut minoris in majorem; quibus conſequenter deeſt decernendi poteſtas; ſunt perſonarum Laicarum, quas conſtat carere poteſtate anathematizandi: In teſtamento S. Remigij nomine inſcripto benedicitur Regibus francorum bonis, & malis maledicitur. Unde hæc & ſimilia non probant, Gregorij Magni verba eſſe im-

imprecantis: maximè cum gravissimorum virorum intellectu habeatur, verba esse decernentis.

Nec sanè verisimile est (pergit *Natalis*) *S. Gregorium Principes supremos, quibus ipse, quamtumvis iniquis, maximam reverentiam exhibere consuevit, pro delicto comparatione aliorum criminum leviusculo, nempe si privilegium Xenodochio concessum violarent, suis dominijs, dignitatibus atque honoribus per sententiam decretoriam privare: ex qua privatione maximæ in Republica perturbationes, cædesque innumeræ consequi solent, ut satis probat Gregorij VII. & Henrici IV. Germaniæ Regis historia.*

Respondeo, quod delictum comparatione aliorum criminum leviusculum à *Natali* dici non debeat, ob quod juxta ipsum Pontifex Sanctissimus & mitissimus tam gravia mala Regibus est imprecatus, eosque excommunicari decrevit: Et quia ex horum anathemate maximæ in Republica perturbationes ac etiam cædes consequi solent, occasione acceptâ, ut etiam probat Henrici prælibati historia, ideo similia argumento non sunt, Gregorium Magnum non voluisse

voluisse supremos Principes per sententiam decretoriã dominijs & dignitatibus privare. Adde quod (ut Schulckenius Rogero supra memorato, aut alteri sub ejus nomine latenti, respondet) *Sanctus Gregorius tam gravem pœnam violatoribus sui privilegij addidit; Quoniam Rex ipse, & Regina, & Episcopi Franciæ, cupientes monasterium istud perpetua quiete frui, & ut Monachi illi sine ulla perturbatione Deo servirent, ab ipso Sancto Gregorio hoc postularunt, & ipsi eidem Privilegio, illud acceptantes, subscripserunt. Atque hinc apertè colligitur summa Pontificis auctoritas. Rex enim, & Regina, & Episcopi existimarunt, non potuisse monasterium illud æternâ pace frui, nisi accessisset privilegium summi Pontificis cum gravissimæ pœnæ comminatione.*

Alia evasio. Aliam eorundem verborum Gregorij Magni expositionem *Natalis* reddit, dicens: *Si quis Regum, Sacerdotum & cœte: respectivè intelligi posse, ut Sacerdotibus quidem sub pœna exauctorationis prohibeat, ne quid contra privilegium Augustodunense moliantur: Regibus verò, Iudicibus, alijsque sæcularibus personis sub pœna excommunicationis. Quæ sanè expositio*

apposita

apposita & satis accommoda est.

Ast contra eam militat gravissimorum Laudatorum virorum auctoritas, ea verba sine tali respectu intelligentium: Et meritò: Quos enim sine restrictione præceptio ligat, eosdem & pœna generaliter statuta complectitur, ut sic eadem pœna obstrictos teneat, quos ejusdem noxæ reos invenerit. Unde hæc expositio non minùs quam prior à Gregorij Magni mente aliena censenda est, ac proinde verba ejus non imprecantis, sed decernentis, & sine respectu omnes suæ præceptionis violatores complectentis. Igitur Gregorij nostri probatio non infirma, sed evidens & solida est. *Præcluditur.*

„Alius item Romanus Pontifex, „Zacharias videlicet, Regem Franco„rum non tam pro suis iniquitatibus, „quàm pro eo, quod tantæ potestati „non erat utilis, à Regno deposuit, & „Pipinum Caroli Magni Imperatoris „Patrem in ejus loco substituit: Om„nesque Francigenas à juramento fide„litatis, quod illi fecerant, absolvit." *Zachar. deposuit Childericum Regem Francorum.*

Et hæc alia Gregorij nostri probatio est in Epist. citat. ac contra eam sic

Natalis insurgit: *Depositionem Childerici à Zacharia, & absolutionem Francorum à juramento, quô fidem suam illi obstrinxerant, fabulosam esse luculentis argumentis demonstravi dissert. II. in Hist. Eccl. Sac. VIII. Gregorio itaque septimo obreptum est, falsaque documenta ipsi subministrata fuêre, vel potiùs undequaque corrasa ab eo, qui ipsi erat ab Epistolis.*

Indigna responsio refellitur.

Verùm contra indignam hanc responsionem facit, quod Gregorio VII. quidquam obreptum fuisse, rei magnitudo vetuerit. Agebatur namque de auctoritate Romani Pontificis in Reges & Principes Christianos, adversùs illius impugnatores stabilienda: Unde nihil non authenticum, nihil non seriò ac maturè expensum, Pontificem produxisse nemo rationem consulens, infiaciabitur.

Quò & longiùs à vero aberrare dignoscitur, falsa documenta eidem Papæ subministrata fuisse: cui quoque obstat tanti Pontificis eximia doctrina falsorum dogmatum nescia: & vel maximè, quòd hôc assertô via sternatur ad infirmandas & respuendas Epistolas decretales Romanorum Pontificum, quas Orbis

bis Christianus summâ vneratione prosequitur, & velut irrefragabilis auctoritatis Oracula suscipit.

Non fuisse documenta undequàque corrasa ab eo qui Gregorio VII. erat ab Epistolis, ipse *Natalis* (qui dictam Epistolam satis perlegit) probè novit, nisi Sanctissimum hunc Pontificem fucati animi & fictionis insimilare velit. Quid enim ista undequàque corrasio, nisi documentorum penuriam, inque ijs reperiendis gravem difficultatem designat? Nihil autem horum subfuisse, sed oppositum, liquet ex Epistolæ limine. *Quod autem potulasti* (inquit Pontifex) *te quasi nostris scriptis juvari ac præmuniri contra illorum insaniam qui nefando ore garriunt, auctoritatem Sanctæ & Apostolicæ Sedis non potuisse Regem Henricum hominem Christianæ Legis contemptorem, Ecclesiarum videlicet, & Imperij destructorem, excommunicare, nec quemquam à Sacramento fidelitatis ejus absolvere, nec adeo necessarium nobis videtur, cum hujus rei tam multa ac certißima documenta in sacrarum litterarum Paginis reperiantur... Nam ut de multis pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini ac Salvatoris nostri*

Iesu Christi dicentis in Evangelio : Tu es
Matth. cap. 16. Petrus &c. Hæc sanè sufficiebant, ne præfatus Author tam viliter tractaret hujus Pontificis documenta, ut ea undequàque corrasa assereret. Quàm congruè id ipsius argumentis possit adaptari, facilè colligetur. Argumenta, quæ vocat luculenta ex quibus sua dicta videtur supponere, infra diluentur. Narrationem de Childerici depositione eidem Pontifici fuisse obreptam, sic persuadere nititur.

Sanè, inquit, *in his præcipuè rebus obrepi potuisse, Gregorius VII. non ægrè fassus esset, qui in Epistola ad Hugonem Episcopum XXXI. lib. IX. scribit* : "Noverit
„prudentia tua, quia multa tanquam à
„nobis deferuntur & scripta & dicta
„nobis nescientibus : Multa etiam surri-
„pi possunt minùs ad singula intentis,
„ut pote divisis ad plurima, & intentis
„ad maxima, quibus vehementer arcta-
„mur. Unde in hac causa, quod profec-
„tò minimè recordamur, si quid fortè
„surreptum fuit, optato magis amamus
„corrigere, quam ab æquitate & ratio-
„nis tramite deviare, vel alijs corrigen-
„da relinquere."

Respon-

Respondeo, esse aliud, multa posse surripi *intentis ad maxima*, ea minimè spectantia, aliud, si ea magnopere concernant. Prius vult B. Gregorius, non posterius, in ea namque Epist. cum Clerici Augustodunenses de quodam monasterio cum Monachis Floriacensibus contenderent, & privilegium contra æquitatem à Pontifice subreptum diceretur, *Quod à nobis factum*, inquit, *nequaquam recolimus, nec in Registro hujus causæ litteras reperire potuimus. Noverit itaque tua Prudentia, quod multa tamquam à nobis deferuntur & scripta & dicta, nobis nescientibus. Multa enim surripi possunt, minùs ad singula intentis, ut pote divisis ad plurima, & intentis ad maxima*: inter quæ erat ejus auctoritas in temporalia Regum adversùs impugnatores vindicanda. Cum ergo illi intento Childerici depositio, Francigenarum à Sacramento fidelitatis absolutio, ac Pipini substitutio, auctoritate Zachariæ facta, efficaciter contribueret, non fateretur B. Pontifex, hujus rei narrationem sibi obreptam fuisse, sed id asserentem potiùs audaciæ reprehenderet.

Idem attestatur Pius II. Pontifex

maximus in responsione ad orationem Oratorum Gallicanorum in celebri conventu Mantuano publicè habita, & divinitus uno Spiritu pro sua excusatione recitata. A spiritualibus enim beneficijs Francorum regno ab Apostolica Majestate collatis ad sęcularia dona sermonem convertens, "Languebat, inquit, „eorum regnum, & ad eorum inter„emptionem defluebat in manibus „Childerici inutilis regis: non tulit „Zacharias Antecessor noster nobilissi„mi regni ruinam, sed missis legatis „regem totundit, & in monasterio re„clusit, Pipinoque qui Major domûs „esset, & ingenio valeret, regimen, „nomen, & gubernationem contulit, „atque ita servatum Franciæ regnum: „& in gentem, quæ nunc regnat, deri„vatum: quod per rectam lineam in „aliam familiam deferebatur. Nam Pi„pinus quamvis Francus regis ab san„guine natus, gradu tamen remotior „erat, hanc ille ex Apostolica Sede gra„tiam tulit." Hæc eò efficaciùs Gallis probantur, quò dicti Legati in sua responsione ea minùs negarunt. Etenim sic Pontifici reposuerunt.

„Sed

,,Sed dum his in rebus ſuper noſtris ,,petitionibus reſponſum diſertiſſimum ,,oratione veſtræ Sanctitatis dictum ,,eſt. Aliqua dicta fuere, quibus pro ,,tuendo Chriſtianiſſimi Domini noſtri ,,Regis honore, jure & fama, cum ,,omni reverentia veſtræ Beatitudinis, ,,& Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ut fideles ,,Nuntij tanti regis aliquid breviter reſ- ,,pondere compellimur.

,,Non enim inprimis ſubticere poſſu- ,,mus unum, quod ipſius Domini no- ,,ſtri Regis honorem admodum concer- ,,nit, illud videlicet, quod inter cætera ,,prælocuta, enarrando beneficia regi- ,,bus, & regno Francorum à Sede Apo- ,,ſtolica præſtita, dictum eſt, Zacha- ,,riam Papam Legatum in Franciam ,,miſiſſe, & per eundem tonſum fuiſſe ,,Hildericum Regem, atque Pipino Ca- ,,roli magni filio Majori domûs regiæ ,,longè tamen diſtante à Sanguine Re- ,,gis, ipſius regimen conceſſum exti- ,,tiſſe, quo mortuo ſuccedentibus ſibi ,,& Carolomanno, & filiis ſuis, mor- ,,tuo Carolomanno poſtulantibus Sedi ,,Apoſtolicæ DESIDERIO, relictaque ,,dicti Carolomanni, & ſuis filijs, ad

„regnum ſeu portionem Regni præ-
„dicto Carolomanno contingentem
„eoſdem filios vocari. Sedes Apoſtolica
„rejectis ſupplicationibus præfatis, om-
„nia jura regni collata in Pipinum præ-
„fato Carolomanno confirmavit, & in
„eum contulit. Quibus verbis innui
„videtur, Chriſtianiſſimos Francorum
„Reges ex hinc ſucceſſores non ex ve-
„ra ſtirpe Clodovæi deſcendiſſe, nec non
„regni diſpoſitionem Sedi Apoſtolicæ
„competere.

Reſponſio Legatorum Regni Galliæ.

„Ut autem hujus rei veritas omnibus
„innoteſcat, nec quidquam ſiniſtrum
„animis audientium concipiatur: ſcimus
„ex Hiſtoriographis, & Chronicis au-
„thenticis ac probatis, quibus fides ad-
„hibetur, quis fuit Clodovæus ille
„Chriſtianiſſimus Rex, ad quem è cælo
„Lilia tranſmiſſa fuerè, ſacraque unc-
„tio, & alia quæ divinitus recepit, quæ
„uſque in hodiernum diem tum in ....
„tum in ſacra unctione, tum in mi-
„raculis dietim coruſcantibus, tum
„in curatione ulcerum, quæ vul-
„gariter *eſcrouelles*, latinè verò
„*ſcrophulæ* nuncupantur, & in vexil-
„lo auriflammeo ad Francorum Re-
„ges

„ges cœlitus emiſſo, tum in alijs „ſingularitatibus, & ſpecialiſſimis præ-„rogativis pluribus, & diverſis modis „impenſis, apud Francorum Reges per-„manent. E perfectis ad plenum hiſto-„rijs & Chronicis authenticis clarè „conſtabit Pipinum præfatum à ſtirpe „Clodovæi, & ſucceſſoribus ejus deſ-„cendiſſe,& à Sanguine Regio proceſ-„ſiſſe.

„Inquantum verò Regem, & reg-„num ipſum tantis, tamque inſignibus „donis cælitus decoratum & illuſtratum „concernit, certum eſt, eoſdem nulli „in terris ſubjici, nec cuiquam humanæ „ſubjiacere poteſtati." Hæc legati Regni Francorum: qui indubiè Zachariæ Papæ factum negaſſent, niſi ipſis fuiſſet exploratum: cum eo ipſo ultimum eorum dictum refellatur, niſi verificatum velint de directa, non indirecta Romani Pontificis poteſtate: à qua & Childerici exauctoratio, & Pipini ſublimatio promonarunt.

Idem eruunt ex antiquiſſimis Francorum annalibus eminentiſſimi ac doctiſſimi Cardinales Baronius & Bellarminus. *Addere potuerunt* (dicit Natalis in

in Hist. Sæcul. VIII. dissert. II.) & *Loiselianos, Talianos, Berinianos, & Metenses Annales*, qui id ipsum referunt: & respondet; *hos annalistas fabulam de Childerici III. exauctoratione Consilio, vel decreto Romani Pontificis ab Eginhardo accepisse, & novis commentis auxisse.*

Responsio Natalis ad hæc Historicorũ testimonia.

Eginhardum fabulatorem existimat, quòd absque certo ullo documento, ut opinatur, aut probati auctoris testimonio hæc scripserit. *Quod ex ipsomet*, inquit, pag. 496, *ostenditur: Ait enim, se de Caroli Magni nativitate, infantia, pueritia scripsisse nihil, quia cum manum calamo admovit, nemo tunc in vivis supererat, qui notitiam illorum temporum haberet.* De cujus nativitate, *inquit*, atque ,,infantia, vel etiam pueritia, quia ne-,,que scriptis unquam aliquid declaratum ,,est, nec quisquam modo superesse in-,,venitur, qui horum se dicat habere ,,notitiam, scribere ineptum judicans, ,,ad actus & mores, cæterasque vitæ ,,illius partes explicandas ac demon-,,strandas, omissis incognitis transire ,,disposui." *Multò-minùs ergo scivit Eginhardus, res ante Caroli Magni nativitatem gestas, adeoque quod de Pipino ex*

Pra-

Præfecto Palatij per auctoritatem Romani Pontificis rege facto scripsit, proprium est ejus commentum.

Ast contra est: quod à nescientia unius nulla sit consequentia ad nescientiam alterius in rebus historicis: Unius enim potest monumentum extare, & non alterius. Extitisse autem ante Caroli Magni nativitatem rerum gestarum monumenta, constat ex historicis, qui illas scripto prodiderunt: quare ergo illas Eginhardus ignorasset? Præterea scriptum extitisse de translatione Regni in Pipinum per Pontificem Romanum, ex eo colligitur, quod alioquin hujus relatione Eginhardus supersedisset. Si enim commemorare omiserit nativitatẽ, infantiam vel etiam pueritiam Caroli Magni, quod ineptum judicaverit scribere ea, quæ non essent scriptis declarata, aut aliquorum testimonio fulta: consequens sit, ipsum fuisse omissurum, illam translationem narrare, si illius fundamentum sibi defuisset. *Refellitur.*

Secundò (pergit ipse) *Eginhardus Childericum Regem jussu Stephani Romani Pontificis depositum ac detonsum, atque in Monasterium trusum, scribit quem alij vel*

vel ex consultu, vel ex decreto Zachariæ Papæ exauctoratum affirmant. Verùm id argumento est, alios non ex Eginhardo illam narrationem, sed aliunde accepisse. Quamquam etiam dici possit, Historicos non ita ex alio narrationem desumere, quin illam maturè expendant, ac eum alijs conferant, si fortè deprehendant, quod veritati obstet: quare tot Annalistarum, & maximè Gallorum consensus de translatione Regni à Childerico in Pipinum per auctoritatem Apostolicam, illam certam reddit.

Nova commenta, quorum illos *Natalis* insimulat, sunt quorumdam leves aberrationes quoad tempus, quo factum accidisse referunt: quæ si tales sint, substantiam nihilominùs intactam relinquunt; sicut scriptorum dissidium de tempore mortis Christi, & B. Petri adventûs Romam, nil de rei veritate tollit. Præcipua alia, quæ obijcit, in sequentibus solventur.

Idem quod prius liquet etiam ex Genealogia, quâ ortus est Carolus Magnus Rex Francorum & Imperator Romanorum, in qua sic habetur: "Pipinus "junior, parvus Princeps, & Dux

Regni

„Regni Francorum, Præfectus Palatij, „& Major Domûs, factus Francorum „Rex hoc modo: Burhardus Ubilce-„burgensis Episcopus, & Folradus Ca-„pellanus missi fuerunt ad Zachariam „Papam, interrogando de Regibus in „Francia, qui illis temporibus non „habentes potestatem, si bene fuisset, an „non? Et Zacharias mandavit Pipino, „ut melius esset ipsum Regem vocari, „qui potestatem haberet, quam illum „qui sine potestate Regali manebat: „sed ut non conturbaretur ordo, per au-„ctoritatem Apostolicam jussit Pipi-„num parvum Regem fieri anno Do-„mini 751. Pipinus verò parvus secun-„dum morem Francorum electus est ad „Regem, & unctus per manus S. me-„moriæ Bonifacij Archiepiscopi, & „elevatus est à francis in Regno Fran-„corum in monasterio S. Medardi, quod „situm est in Suessionis civitate. Hilde-„ricus verò, qui falsè Rex vocabatur, „tonsoratus est, & in monasterium mis-„sus anno ab Incarnat. 750.

Eadem præter postrema P. *Natalis* refert ex annalibus Soiselianis, ut hunc Annalistam novi commenti redarguat: *Fingit*,

fingit, inquit, *prudentissimum & Sanctissimum Pontificem mandasse Pipino, ut meliùs esset illum Regem vocari qui potestatem haberet, quàm illum qui sine regali potestate manebat, ut non conturbaretur ordo; ideoque jussisse per auctoritatem Apostolicam Pipinum Regem fieri. Hæc responsio cum interrogatione non convenit. metas respondentis excessisset Zacharias, si Pipinum Regem fieri jussisset.* Hæc ille.

Sed à scopo aberrat: optimè enim convenit cum interrogatione responsio: ille quippe interrogatur, cui pro ejus in temporalia potestate, ut Bonifacius VIII. declaravit in extr. *Unam Sanctam*, sub figura Prophetici nominis Hierem. I. dictum est: *Constitui te super gentes & regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Qui proinde meliùs suo imperio, quam simplici responso, respondit. Unde metas respondentis non excessit, sed servavit, Pipinum Regem fieri jubendo.

Id Iussisse (pergit ipse) *ne turbaretur ordo, perperam asseritur, quo maximè fuisset ordo turbatus. Quæ enim major ordinis subversio est, quam translatio regni* ab

ab una ſtirpe, quæ legitimo, Hæreditarioque jure a multis retro ſæculis regnat, ad aliam, cui nullum ius in illud competit? Nulla ordinis everſio eſt, dum juſtiſſima de cauſa (qualis hic ſuberat) id per legitimam fit poteſtatem, ac omnis turbatio vitatur, dum Regni Proceres in idem propendent.

Eadem politiori latinitate ſcripſit Annaliſta Lauresbamenſis, ſcilicet Zachariam per legatos conſultum de cauſa Regum, qui nomen tantùm Regis, ſed nullam poteſtatem Regiam habuerunt: reſpondiſſe meliùs eſſe illum regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret, dataque auctoritate ſua juſsiſſe Pipinum Regem conſtitui. Hæc P. *Natalis* ut hunc annaliſtam novi pariter commenti incuſet. Unde ſubdit. *At incredibile eſt ita conſultum æquiſsimum Pontificem non fuiſſe reſponſurum in gratiam Regiæ ſtirpis, eoſque damnaturum qui contra ius, faſque Regiam ſibi poteſtatem arrogarent ſuis Magiſtratibus abuſi.*

Sed quis credat (repono) æquiſſimum Pontificem oportuiſſe reſpondere in gratiam Regiæ ſtirpis, cujus ſocordia (ut infra pateſcet) exitium regno & Religioni imminebat? eoſque damnare qui

qui certe non contra jus,fasque Regiam sibi potestatem arrogabant,sed Regum incapacitate requirente, ea potestate in regni emolumentum utebantur. Aliud quod novis commentis adnumerat, est: Pipinum unctum fuisse à Bonifacio Archiepiscopo cum in solium elevatus est Suessione more Francorum: Probationem hanc subnectit : *Nec unctus est*, inquit, *Pipinus cum Rex appellari cœpit, nec à Bonifacio Archiepiscopo unctus est, à quo si unctus esset, illius unctionis meminissent Willibaldus & Otlhonus in vita Sancti Bonifacij. Sed unctus est à Stephano tertio, cum jam annum secundum Regni numeraret, nec Suessione unctus est, sed in monasterio Sandiosiniano agri Parisiensis, cum jam Childericus obiisset absque prole, & stirps Meroveadarum Regum esset extincta, ut Anastasius in vita Stephani III, Hilduinus in Ariopagiticis, Chronica Sanbenignianum & Besuense ad annum Christi Septingentesimum quinquagesimum secundum commemorant.*

Respondeo,non fuisse Pipinum unctum, cum in Regem est sublimatus,tam facilè negatur quam à Natali asseritur: quin & urgentiori ratione,cum luculen-

tum

tum hujus teſtimonium perhibeant ſupra memorati Francorum Annales, ac pariter referunt id præſtitum per manus Sanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiſcopi in Sueſſionis civitate.

Pipinus binâ vice inunctus.

Quibus argumentum negativum ex Willebaldo & Othlono petitum cedere oportet. Unctum fuiſſe Pipinum à Stephano III. cohæret cum unctione à Bonifacio peracta: Binâ enim vice Pipinum fuiſſe unctum, primâ à Bonifacio, à Stephano alterâ, tradit Chronicon S. Medardi Sueſſionenſis: ad annum quippe 750. ſic habet. "Pipinus junior, „parvus Princeps Francorum, Dux & „Præfectus palatij, & Major domûs, „filius Caroli Martelli per auctoritatem „Zachariæ electus eſt ad Regem, & „unctus per manus S. Bonifacij Archi-„epiſcopi, & elevatus à Francis in regno „Francorum in monaſterio S. Medardi „Sueſſion. Childericus verò, qui fal-„sè Rex vocabatur, tonſuratus eſt, & in „monaſterium miſſus eſt". Et ad annum 754: ita refert: "Stephanus Papa qui „venerat in Franciam, adjutorium & „ſolatium quærendo pro juſtitiis Eccle-„ſiæ Romanæ, Pipinum unctione ſacra

„confirmavit in Regem Francorum" : idque in monasterio Sandionysiano agri Parisiensis, ut vult *Natalis*, non inficior. Verùm tunc vitâ functum fuisse Childericum (quo tandem viam aperit Auctor ille,quâ Pipinus juxta suam mentem Regnum justè possedit) Anastasius minimè commemorat, nunc ex ipso constat oppositum. Anno namque Constantini secundo relatâ sublimatione Pipini, de Stephano tertio subdit: *qui & totundit decessorem ejus Regem, & in monasterio cum honore & requie circumscripsit.* Chronica San-benignianum & besuense tunc objisse Childericum aut stirpem regiam extinctam fuisse ne vel verbum habent; San-benignianum namque hæc refert. *Anno septingentesimo quinquagesimo secundo, Dominus Pipinus Rex sacratus est per manus Stephani Papæ & duo filij ejus, Caralomannus, & Carolus qui magnus dictus est*: Besuense autem idem omnino, nil verò de obitu Childerici,sed paulò supra ipsius,ac Majorum inertiam (quam *Natalis* inficiatur contra omnes pene scriptores) commemorat dicens: *In illo tempore deficientibus jam à pristino vigore Regibus, cura to-*

tius

tius Regni administrabatur per Duces & Principes Domûs, inter quos omnes præeminebat Pipinus quem supra retulimus, vir omni sapientia adornatus, ejusdemque Regni maxima pars erat in manu ejus.

Neq; Hildinius in Areopagiticis refert, Childericū fuisse vitâ functum cum Pipinus à Stephano in Regem unctus est, sed hunc per Apostolicæ Sedis auctoritatem ad eam dignitatem evectum esse testatur, ac alium Pontificiæ potestatis usum in Regnum Francorum commemorat. Relatâ namq; revelatione facta S. Stephano Papæ III. per quā ab infirmitate est curatus, subdit quæ sequuntur.

„Gesta sunt autem hæc in Beato Stephano Papa divinâ Clementiâ adjuvantibus Sanctis Apostolis Petro & „Paulo, per beatissimum Martyrem „Dionysium hoc anno, qui est ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi „septingentesimus quinquagesimus „quartus, quinto Calendas Augusti: „quo Christi roboratus virtute, inter „celebrationem consecrationis præfati „altaris, & oblationem Sacratissimi „Sacrificij, unxit in Reges Francorum, „Florentissimum Regem Pipinum &

,,duos filios ejus Carolum, & Carolo-,,mannum. Sed & Bertradam, ipsius in-,,clyti Regis Pipini conjugem indutam ,,Cycladibus Regijs, gratiâ Septifor-,,mis Spiritûs Sancti in Dei nomine ,,consecravit, atque Francorum Proce-,,res Apostolicâ benedictione sanctifi-,,cans, authoritate Beati Petri sibi à ,,Domino Jesu Christo vero Deo tradi-,,ta, obligavit, & obtestatus est, ut ,,numquam de alterâ stirpe per succe-,,dentium temporum curricula ipsi, vel ,,quique ex eorum progenie orti, Re-,,gem super se præsumant aliquo modo ,,constituere, nisi de eorum progenie, ,,quos ex divina Providentia ad Sanctis-,,simam Apostolicam Sedem tuendam ,,eligere, & per eum videlicet Vicarium ,,sancti Petri, imò Domini nostri Jesu ,,Christi in potestatem Regiam digna-,,ta est sublimare, & unctione sacra-,,tissimâ consecrare".

Idem *Natalis* aliam responsionem adhibet ad Historicorum suffragia, ne inde conficiatur, Zachariam exauctorasse Childericum, & Pipinum Regem creasse.

Respons. *Sed etsi* (inquit ad Dissertationis calcem)

ctem) *Romanum Pontificem consultum in causa translationis Regni à Childerico ad Pipinum, concederemus, & respondisse illum potiùs Regem habendum & appellandum esse, qui munia Regis obiret, & apud quem summa potestatis consisteret, ut Eginhardus, aliique post ipsum Scriptores, jam convicti falsitatis, commemorant, non sequeretur Zachariam vel Stephanum exauctorasse Childericum, & Pipinum Regem creasse. Cum enim illi Scriptores habent, auctoritate, mandatis, Sanctione, jussu Sedis Apostolicæ vel Romani Pontificis id factum, dignitatem potiùs, quàm responsum ejus spectant, qui consultus & interrogatus est. Ut preces enim, sic & responsa & consilia Potentum ut mandata solent æstimari, etiamsi re ipsâ mandata non sint. Commodè itaque sumenda sunt hæc Scriptorum in Objectionibus citatorum verba, & Francorum consultationi, & interrogationi adaptanda. Consultationis porro natura non patitur, ut qui respondet, per auctoritatem, jussionem, mandatum, sanctionem respondeat, si aptè & convenienter respondere velit.* *alia P. Natalis ad Hist. testimonia.*

Contra est, quod, etsi preces, responsa, & consilia Potentum ut mandata soleant *Refutatur.*

ſoleant æſtimari, non tamen mandata dicuntur, ne eorum, quæ in tantum diſcriminantur, confuſio fiat. Et præcipuè id Hiſtorici obſervant, qui texendo res geſtas Curialem non agunt, cui ſolemne eſt, urbanitatis officio, preces & reſponſa Magnatum ut mandata æſtimare, & ipſis præſentibus id verbis exprimere. Cum igitur Scriptores referant, Zachariam datâ ſuâ authoritate juſſiſſe, mandaſſe Pipinum Regem fieri non ſimplex reſponſum aut conſilium, ſed verum & Apoſtolicum mandatum deſignant: & rationem ſubjungunt, cur res ita contigerit, ut videlicet *non turbaretur ordo*. Et piè & convenienter ſic à Zacharia reſponſum fuiſſe, paulò ſuperiùs oſtenſum eſt.

Hæc cum ita ſint, exiſtimo, quod ſufficientem fidem faciant, Childerici exauctorationem, & Pipini ſubſtitutionem Zachariæ Papæ auctoritate peractam, non eſſe fabuloſam, ſed veram hiſtoriam cenſendam, cui ne quid adverſetur, reliquum eſt, ut argumenta, quæ *Natalis* luculenta vocat, diſſolvantur.

SOLU-

SOLUTIO OBIECTIONUM

R. P. Natalis Alexandri contra Childerici depositionem, & Pipini exaltationem à Zacharia summo Pontifice.

QUæ ad suam contra pene omnium Historicorum fidem, stabiliendam opinationem *Natalis* producit, levis armaturæ argumenta sunt, ut pote nonnisi vel negativa, vel conjecturæ, vel observationes haud satis fundatæ: & à negativis auspicans,

Zachariæ, inquit *auctoritate nec depositum Childericum, nec Pipinum Regem elevatum, probatur ex auctoribus, qui Zachariæ Pontificis Maximi vitam Scripsêre, apud quos altum est ea de re silentium. Anastasius Bibliothecarius prosaico stylo id executus est, metrico flodoardus: neuter mentionem ullam facit exauctorationis Childerici Regis, promotionis Pipini, aut legationis eam ob causam ad Zachariam destinatæ. Incredibile porro videtur, quod rem tanti momenti prætermisissent.* *Objectio 1.*

Respondeo. Si expendantur supra posita, id argumentum solutione non eget. *Solutio.*

 eget.

eget. Tantæ enim testium multitudini silentium duorum præjudicare non potest, multò minùs præferri.

Objectio 2. Obijcit 2. *Iudicium quod in causa Childerici Regis à Zacharia latum perhibetur, ab ejusdem Pontificis æquitate & sanctimonia penitus alienum est. Childericus enim jure hæreditario Rex erat, à novem annis erat in solio collocatus, nihil peccaverat, quo posset à Regni possessione deturbari.*

Solutio. Respondeo. Contrarium attestatus est Pius II. Pontifex Maximus in sua responsione ad Oratores Galliæ, ipsis nihil reponentibus, ut ex superioribus constat: ac insuper idem abundè liquet ex Relatione Francorum ad Zachariam Papam, pro sui à juramento fidelitatis absolutione, quò Childerico tenebantur: in quorum supplica (ut eam refert Scipio Dupleix Consiliarius & Historiographus Regius Tom. 1. Historiarum Franciæ) præter alia, hæc leguntur.

Childeric qui porte le titre de Roy, est haî, & mesprisé pour ses vices, & foiblesses brutales. Et pòst pauca: præfatæ absolutionis urgentem necessitaté exhibentes subdunt:

ſubdunt: *ce ſera le moien de reſtaurer entierement ce grand etat aſſeuré rampart de la Chreſtienneté.* Accedit, quod refert F. E. Mezeraij tom. 1. Hiſtoriæ Franciæ anno 1643. editæ: ubi laudato Pipino ob eximias virtutes & dotes, *L'extreme affection*, inquit, *que toute la France avoit pour luy, ſe renouvelloit plus fort de jour en jour par le méprìs qu'elle faiſoit de Childeric, la honte des Roys, en perſonne duquel on voioit avec regret divers changemens: car il paroiſſoit tantoſt niais & ſtupide, tantoſt il s'eveilloit comme d'un profond ſomeil pour ſe jetter dans la debauche du vin & des femmes, d'ou il ſortoit quelque fois inſensé, & quelquefois frenetique. Quel opprobre aux François, libres & vaillants d'etre ſubject d'un chei inutil, qui n'eſtoit capable ny de conduite ny de raiſon.*

Suum proſequens argumentum Natalis, *fingitur*, inquit, *per legatos ad Zachariam miſſos accuſatus de inertia & incapacitate ad Regnum adminiſtrandum: ſed nec accuſationem illam factam eſſe veriſimile eſt.*

Sed quis ipſi ſoli credat, omnibus contrarium teſtantibus? *Nec ſi facta eſſet, ejus rationem habuiſſet ullam ſanctiſſimus & æquiſſimus Pontifex.* Quod

Quod reddere certum ſatagit ex ætate Childerici juvenili cum exauctoratus traditur, & ex ijs quæ congerit, conficit, Childericum vix annum decimum egiſſe cum regium nomen conſecutus eſt, & annum circiter duodevigeſimum ætatis attigiſſe cum depoſitus refertur: & ſubdit: *Quâ verò ſpecie æquitatis accuſari poteſt ignavia, & propter ignaviam exauctorari Princeps illa in ætate, quæ regni gerendis negotijs per ſe vix ſufficit: florent hodie multa Regna, multique Principatus, in quibus cùm Reges, tum Principes liberam dominandi poteſtatem ante annum ætatis ſuæ decimum octavum non ſuſcipiunt, an ideo ſocordes, & ſolio indigni? vetat igitur Zachariæ juſtitia & ſanctitas, ut Childericum tertium depoſuerit, quia nihil clarum in ſe præter Regis vocabulum præferebat. Pontificem, quem Anaſtaſius in ejus vita virum mitiſſimum, ſuavem, omnique bonitate ornatum prædicat, rem tam inſolentem aggreſſum eſſe, & Regem inſontem exauctoraſſe, quis ſibi perſuadeat?*

Reſpondeo quod nemo, ſi vera ſint, quæ Auctor ille ſupponit & non probat: porro quantùm à veritate aliena ſint

ſint ex dictis ſatis ſuperque claret. Quomodo enim Rex ille inſons pronuntiatur in cujus manibus (ut Pius II. teſtatus eſt, nihil contradicentibus Oratoribus Galliæ) ob in capacitatem defluebat regnum uſque ad internecionem? Quomodo innocens proclamatur, qui niſi exauctoratus fuiſſet, irruptioni & deprecationi infidelium regnum tandem patuiſſet, ut Prælati & Proceres regni exhibuere Pontifici? Florent quidem hodie multa Regna, multique Principatus, in quibus cum Reges, tum Principes liberam dominandi poteſtatem antè annum ætatis ſuæ decimum octavum non ſuſcipiunt : qui ideo ſocordes, & ſolio indigni haud reputantur, quòd ingenio, prudentiâque polleant, quod virtute & fortitudine præſtent, quod denique cæteris ſuam dignitatem decentibus exornati ſpectentur, aut illorum ſaltem præ ſe ferant ſpecimina. Quæ ſi in Childerico luxiſſent, in cujus vel mente inſediſſet, ipſum accuſare vel regno privare? Verùm quia his contraria omnia in eo apparebant, regni Majores, ejus Proavorum ignaviæ & incapacitatis tam copioſè in ipſum deriva-

tæ

tæ pertæsi, regnique incolumitati prospecturi, justè potuerunt eum (fuerit ætate juvenis) apud Sanctam Sedem incusare, & ab ipsa deponi, ne imminens tam grande malum & Regno & Religioni obvenisset. Non vetuit igitur Zachariæ justitia & sanctitas, sed ursit, ut Childericum tertium deposuerit.

Objectio 3. Objicit tertio. *Commentum istud de Childerici Regis depositione, auctoritate vel consilio Zachariæ summi Pontificis facta, nititur putida fabula de Meroveadarum Regum ignavia, & socordia, quam auctores plerique omnes, qui consultum in causa translationis regni Francorum à Childerico in Pipinum, Zachariam, vel Stephanum tertium commemorant, rationem fuisse tradunt Regni ad Pipinum sic transferendi.*

Solutio. Respondeo. In contrarium facit ingens adeo Historicorum numerus, qui unanimi suo testimonio eam ignaviam satis confirmant. Accedit quod ipsi Prælati & Proceres Regni Francici illam ut in Childericum copiosè derivatam pro sui à juramento fidelitatis absolutione Zachariæ summo Pontifici exhibuerint. Sic enim Burchardus Legatorum alter Papam est affatus (Dupleix

refe-

referente loco, qui supra) *Ie ne sçais par quel malheur depuis quatre-vingt ans & d'avantage, nous n'avons que des ombres, ou des pourtraits des Roys au lieu des Roys animés, veu que neuf, qui ont porté le nom d'entresuit, il ny en at pas eu un, qui à tesmoigné par une seule action estre digne de porter sceptre ny couronne. Tous ont esté attaché à leurs voluptes, tous confits en oisiveté, tous (la verité force ma langue) feneans & stupide, tellement que sans la providence & la sage conduite des Maires du Palais, que la Prudence Divine nous à donné pendant leur miserable regne, ou plutost interregne, le Royaume de France eut esté souvent detruit, & par ses propres armes, & par les etrangers &c.* Idem confirmans prælibatus Historiographus ex Cedreno, Historico Græco subdit. *Tant la honteuse foiblesse de nos Roys de ce temps la étoit divulgée par tout le monde.*

Regum Merovingorum ignauia.

Illi autem, alijsque Historicis Gallis tanto major fides hâc in re est adhibenda, quo procliviores sunt ad suorum Regum consulendum honori, qui indubiè rem adeo probrosam scriptis non prodidissent, nisi explorata fuisset. Hinc

meritò

meritò dilaudandi, quod non suæ gentis privatus amor eos à veritate dimovere potuerit.

His & alijs authoribus adde Chronicon Hariulfi Monachi S. Richarij Centulensis lib. 2. cap. 1. de Genealogia Francorum, ubi habentur sequentia: „Pipinus & Carolomannus regni summam concordi societate divisam aliquot annis sub Childerico nominetenus rege gubernarunt: nam illo tempore decidente regali gloria per Præfectos Palatij domus regia ordinabatur: neque aliud Regi relinquebatur, quàm ut regio solùm nomine contentus solio resideret, ac speciem dominantis effingeret: Legatos undecumq; venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ erat edoctus, vel potiùs jussus ex sua velut potestate redderet, ac regni administrationem, & omnia quę vel domi vel foris erant agenda aç disponenda Pręfectus aulę procurabat.

Quæ P. *Natalis* cumulat ad suam contra omnes (excepto P. Carolo de la Cointe, quem unicum sibi patrocinantem refert) stabiliendam sententiam, reges quidem Merovingos commendant:

dant: at quia nunc unius, nunc alterius, nunc paucorum, nunc ipsius tantum testimonio nituntur, contra tot Auctores, & maximè Gallos, qui eos reges notarunt ignaviâ, ampliori refutatione non egent: etiam quod sine dependentia ab eo contendat contra omnes, Childericum non potuisse insimulari ignaviæ, neque deponi.

Sed etsi (inquit) *Theodoricus Childerici tertij Pater, ejusque Majores inertes fuissent, an ipse propterea, anno ætatis suæ decimo quinto, vel decimo octavo ex avito regno ejiciendus?*

Respondeo, quod non: neque est, qui id asserit; ac proinde in vanum objicitur. Non enim Childericus ob Majorum inertiam ex avito Regno dejectus traditur, sed quod illam tam affluenter hæreditaverit, ut Regni salus periclitaretur, quemadmodum ipsos Francos Zachariæ Papæ referentes paulò ante audivimus.

Incredibile est itaque (pergit Natalis) *Zachariam Pontificem æquissimum & sanctissimum, Childericum Regem inertiâ insimilatum damnasse absentem, inauditum, imò nescium accusationis contra se prolatæ,*

&

& Regnum ad Pipinum transtulisse.

Respondeo. Taliter fuisse Childericum depositum, *Natali* probatio incumbit. Adde, quod, ut supra à Pio II. Pontif. Max. audivimus, languente Regno Francorum, & ad eorum interemptionem defluente in manibus Childerici inutilis Regis, suos Legatos in Franciam Zacharias miserit, quos in dicti Regis depositione nihil omisisse à justitia exactum, velut certum supponi debet.

Objectio 4. Objicit quartò. *Verisimile non est Zachariam à suorum Decessorum doctrina, & Sedis Apostolicæ defecisse traditione. At ab ea defecisset, si Childericum III. exauctorasset, Regnumque ad Pipinum transtulisset. Pugnasset enim cum doctrina Gregorij II. à Majoribus accepta, qui in Epistola 1. ad Leonem Isaurum Imperatorem ita scripsit*: "Idcirco in Ecclesijs „prępositi sunt Pontifices à Reipublicæ „negotijs abstinentes: & Imperatores „ergo similiter ab Ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt. *Et* „*Epistola II.* Nam quemadmodum Pontifex introspiciendi in Palatium potestatem non habet, ac dignitates regias defe-

„deferendi , ſic neque Imperator in „Eccleſias introſpiciendi , & electiones „in Clero peragendi" &c.

Reſpondeo. Hæc Pontifex non intelligit de indirecta Eccleſiæ poteſtate : Hanc enim in Palatium introſpiciendi auctoritatem ſibi ineſſe , non negat , ſed affirmat Epiſtolâ primâ citatâ : *Doluimus* , inquit , *& nos , utpote qui facultatem & poteſtatem atque auctoritatem à ſancto Petro Principe Apoſtolorum habeamus , tibi pænam irrogare*. Hinc cum nullam Imperatori in Pontificem poteſtatem concedat , paritatem inductam non quoad omnia verificat. *Solutio.*

Nec per hoc, quod Pontifices à Reipublicæ negotijs feriatos velit , illis indirectam in civilia & temporalia denegat poteſtatem. Qui enim ijs dumtaxat ſe occupat , ob ſpiritualis vitæ finem , à Reipublicæ negotijs abſtinet , utpotè quæ finem alium ſibi præſtitutum non habent , niſi politicum. Quæ ſi ad finem ſpiritualem, prout illi famulari debent , colliment , Reipublicæ Chriſtianæ negotia ſunt , cum , ut Ethica docet , media finis dignitatem ſortiantur. Childerici autem degradationem , ac Pipini

ſubſtitutionem ad indirectam Romani Pontificis attinuiſſe poteſtatem, liquet ex defectu, quo ob Regum & noviſſimè Childerici inertiam & incuriam, nedum regnum, ſed Religio in Gallijs graviter laboravit: cujus deplorandum ſtatum ſanctus Bonifacius Archipræſul Moguntinus Zachariæ Papæ ita deſcripſit Epiſt. 132. *Notum ſimiliter ſit Paternitati veſtræ, quod Carolomannus Dux Francorum me accerſitum ad ſe rogavit, ut in parte regni Francorum, quæ in ſua eſt poteſtate Synodum facerem congregari: & promiſit ſe de Eccleſiaſtica Religione, quæ jam longo tempore, id eſt, non minùs quam per ſexaginta, vel ſeptuaginta annos, calcata, & diſſipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle.*

Franci enim, ut Seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archi-Epiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ Canonica jura alicui fundabant vel renovabant.

Modo autem maxima ex parte per civitates Epiſcopales Sedes traditæ ſunt Laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis, ſcortatoribus & publicanis ſæculariter ad perfruendum. &c.

Quæ

Quę cum intellexiſſet Pontifex, & aliunde per regni Legatos perciperet per oblongam annorum ſeriem Reges Francorum ſolo titulo fuiſſe Reges, & Childericum, qui tunc regnabat, non ſolùm more Majorum nihil curare, ſed etiam omni prorſus ingenio carere, ac verè ſtupidum dici & eſſe, ſimulque videret regnum & Religionem in Galliis ruere & omnes Proceres regni Pipinum, virum omnium regalium virtutum dotibus inſtructum, Regem exoptare; paſtorali curâ ipſum urgente, Childericum exauctoravit, & Pipinum ſubſtituit, nulla ratione à ſuorum Deceſſorum doctrina & Apoſtolicæ Sedis traditione deflectens: ad quam comprobandam, Gregorius II. inaniter adfertur, cum ut infra probabitur, eâ ipſe poteſtate uſus ſit.

Objicit quintò. *Stephanus tertius Pipinum à perjurio in Childericum admiſſo abſoluit, ut Theophanes teſtatur, ad annum octavum Leonis Auguſti, quod teſtatur & Anaſtaſius in Hiſtoria Eccleſiaſtica ad annum II. Conſtantini Auguſti,* ſoluente *ſcilicet*, eum *Pipinum* à perjurio in Regem commiſſo eodem Stephano: *Quibus* *Objectio 5.*

bus & Otho Frisingensis ad annum Christi DCCLIII. *suffragatur. Hujusmodi porro absolutio argumento est, Childericum tertium à Zacharia exauctoratum, non fuisse, nec Regnum Francorum Apostolica ejus auctoritatè ad Pipinum translatum.*

Respondeo ex P. Francisco Combefis Ordinis Præd. qui & ipse Gallus in suis ad Theophanem notis dicit: *Imperitè hæc de Stephano Papa huic assuta loco, quæ & Anastasius secundo Constantini anno repræsentat, sub quo etiam vixit Stephanus. Certiora de Pipino & Carolo Martello ex nostris petenda Historicis:* Qui nil simile referunt, sed per Apostolicam auctoritatem Childericum depositum & Pipinum sublimatum commemorant. Idem dicendum de Othonis suffragio, maximè quod P. *Natalis* ipsum in eo repugnantiæ redarguat: ubi enim sibi ex Bellarmino obijcit dicti Auctoris testimonium in Chronico ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum secundum dicentis, *Reversis à Roma Nuntijs auctoritate Zachariæ Papæ Pipinus à Beato Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, alijsque Regni Proceribus in Suessione Civitate ad Regnum eligitur:* Ref-

Respondet: *Pugnat secum ipse Oto Frisingensis dum scribit Pipinum à Stephano Papa primò à fidelitatis Sacramento, quod Childerico promiserat, cum aliis Regni Francorum Primoribus absolutum, detonso Childerico, ac in Monasterium detruso, postmodum in Regem unctum. Si enim à fidelitatis Sacramento, quo Childerico Regi tenebatur, Pipinum absoluit Stephanus tertius, argumento est, Zachariam ejus Decessorem non exauctorasse Childericum, nec regnum ad Pipinum transtulisse.*

Bene habet: si Auctor ille dictæ absolutionis relatione secum pugnet, quid suffragij in illa *Natalis* reperijt pro Theophane & Anastasio? Etenim prę-ter illam, nihil ibidem scribit, quo ipsis suffragetur.

Objicit sextò. *Pipinus secundum morem Francorum electus est ad Regem & elevatus à Francis in regno suo, in Suessionis Civitate, ut habetur in Annalibus Loiselianis quod & Sthiliani confirmant his verbis.* *Objectio 6.*

„Pipinus secundùm morem Franco-„rum electus ad Regem & elevatus à „Francis in regno Suessionis Civitate". *Atqui mos Francorum non erat, ut Reges à*

 summo

summo Pontifice postularent & acciperent, sed ut in regni Comitijs Clypeo impositos elevarent, acclamarentque, ut constat ex Gregorio Turonensi lib. 2. Histor. Eccles. Regni Francorum cap. 10. Vbi narrans quomodo Colonienses post Sigilenti Regis ejusque filij Chloderici mortem Clodovæo Magno se dediderunt, ait plaudentes tam palmis, quàm vocibus, eum Clypeo evectum super se Regem constituunt. Itaque nec à Zacharia &c.

Solutio. Respondeo. Pipinum secundùm morem Francorum electum esse ad Regem, & Apostolicâ Zachariæ authoritate exaltatum esse optimè cohęrent. Non enim auctoritatem hujusmodi mos ille Francorum excludit. Ipsi namque Loiseliani Annales ad annum Christi DCCXLVIIII, *Zacharias Papa* (referunt) *per auctoritatem Apostolicam jussit Pipinum Regem fieri* : & ad annum DCCL. *Pipinus secundùm morem Francorum electus est ad Regem &c.* Idem & Annales Tiliani & Laureshamenses confirmant. Adstipulatur Conradus Abbas Urspergensis in Chronico anno DCCL. dicens : *Pipinus per auctoritatem Zachariæ Papæ more Francorum electus ad*

Regnum

Regnum per manus Sancti Bonifacij elevatus est ad Regni solium. Suffragatur Genealogia Caroli Magni, superiùs laudata, in qua, ut vidimns hęc habentur: *Zacharias per auctoritatem Apostolicam jussit Pipinum parvum Regem fieri anno Domini* 751. *Pipinus verò parvus secundùm morem Francorum electus est ad Regem.*

Nec Gregorius Turonensis ab electione hujusmodi Pontificiam auctoritatem ablegat, nec morem Francorum in Regum electione servandum, ibidem commemorat, ut vult *Natalis*, sed factum memoratum simpliciter refert.

Unum alterumvè adhuc negativum argumentum ultimę objectionis solutioni insertum, communi sententiæ opponit. *Quæ Zachariam*, inquit, *fecisse commemorant Gregorius septimus & Gratianus, sine Synodo non fecisset, quam in gravioribus causis congregari Ecclesiæ mos erat, ac Romanorum Pontificum usus: Agebatur scilicet (ut in capite* Alius *habetur) de abdicando Rege inutili, de alium in ejus loco sufficiendo, & de Francigenis à juramento fidelitatis, quod præstiterant absoluendis: quæ maximi sanè momenti negotia erant, quibus nulla similia retro-* *Natalis objectio ultima.*

actis occurrerant sæculis. At nullam Synodum à Zacharia celebratam legimus, quâ jus hujusmodi vel jam assertum Romano Pontifici, vel certè asserendum comprobaretur, nullam Epistolam, quam Zacharias ad Episcopos & Proceres Francorum hac de re scripserit.

Solutio. Respondeo, ea de re Zachariam ad Francos Epistolam scripsisse, legitur in Chronico Godefridi Vitterbiensis, sic scribentis:

Littera Papalis Francis celeberrima venit:
Erigitur solium, Pipino gloria cedit.

Quod Synodus non legatur celebrata, nihil obest: Non enim res tanti momenti erat, quanti eam facit *Natalis*, ut Synodi congregatione opus fuerit. Regno enim & Religioni ea in parte orbis exitium imminebat, Regni Proceres eam ob causam pro alio Rege Sanctam Sedem conveniebant, ut liquet ex dictis: Neque Synodus celebrari debuit, pro asserenda Romano Pontifici illa potestate: illam antea exercuerat Gregorius Magnus, Reges suæ præcep-
tionis

tionis violatores à dignitate cadere statuendo, ut supra probatum est, eamdem & Gregorius II. Leonem Isaurum parte Imperij mulctando, ut infra monstrabitur. Neque Leo III. dum Imperium à Gręcis transtulit ad Germanos, ac Carolum Magnum Imperatorem creavit, legitur celebrasse Synodum, quâ illi ea potestas assereretur.

Tandem Pipinus & Francorum Proceres (finem suis argumentis *Natalis* imponit) *Zachariæ ob tantum beneficium gratias egissent maximas: nullum autem est monumentum in historia, quo ipsos gratias egisse perhibetur; nulla Pipini ad Pontificem hac de re Epistola.*

Respondeo, Pipinum & Francorum Proceres egisse, quod sui muneris erat, tanquam indubitatum debere supponi: id enim ex tanti beneficij adeptione necessariò consequitur, & ideo ab Historicis hujus, velut rei per se notæ, & ex priori consecutæ, narratio prætermissa fuit. Sic Anastasius in vita Stephani III. refert, hunc Pontificem unxisse Pipinum cum duobus filijs in Reges Francorum, nihil de eorum gratiarum actione subdens: Sic in vita Leonis III.

Transla-

Translationem Imperij in Carolum Magnum idem Author commemorat, silentio prçteriens Imperatoris ac Francorum pro tanto beneficio gratiarum actionem. Quod si ad facta Caroli Magni tanquam grati animi indicia provocetur, hujusmodi in Pipino non defuere. Siquidem Ecclesiæ Romanæ, & Sedis Apostolicæ ditioni civitates adiecit (ut ex Anastasio colligitur in vita Stephani III.) ejusque amore (ut idem refert) arma in Longobardos convertit, ac adduci non potuit, ut illas civitates ab Ecclesiç Romanç potestate quodammodo alienari pateretur. *Affirmans etiam sub juramento, quod per nullius hominis favorem sese certamini sæpius dedisset, nisi pro amore Beati Petri, & venia delictorum; asserens & hoc, quod nulla eum thesauri copia suadere valeret, ut quod semel Beato Petro obtulit, auferret.*

Silentium igitur apud Historicos de Pipini & Francorum actis gratijs, illius ad Regnum exaltationem à Romano Pontifice, minimè potest dubiam reddere, quæ tantorum testium testimonijs est comprobata.

Et hçc pro P. *Natalis* objectionum solutione,

ſolutione; quibus arbitratur ſe obſequium prǽſtare Eccleſiæ Romanæ, ex ijs ſic concludens: *Zachariæ igitur impudenter imponunt Centuriatores Magdeburgenſes in odium Romanæ Eccleſiæ ita ſcribentes.* "Divinam quamdam poteſtatem „arrogans(*Zacharias*) ponendi & depo-„nendi Reges, protervè aſſumpſit, & à „fidelitatis juramento ſubditos eorum „primus abſolvit" &c. Verum è contrario ſe res habet, cum his & alijs Hǽreticis ejus argumenta ferant ſuppetias: Illis ſiquidem Pontificiam hanc poteſtatem minimè ferentibus, id Zachariæ factum ſcopulus eſt, in quem bifariam impingunt: alij protervè & temerariè inficiando, ut Illyricus & ſimiles, alij tam apertæ veritati non valentes reluctari, impiè criminando, ut Magdeburgenſes. Utraque autem pars ex *Natalis* argumentis habet unde ſe muniat; quippe partim contendunt, Zachariam id non feciſſe, partim nec de facto, nec de jure potuiſſe.

Gregorij

Gregorij II. factum producitur.

ANte Zachariam eadem potestate, usus est Gregorius II. Quippe Leonem Isaurum ob proscriptum sacrarum imaginum cultum exactione tributorum Italiæ privavit, ut Historici Græci testantur: Et quidem Theophanes ad annum Leonis Isauri XIII. "In „veteri Roma, inquit, vir undique „Sacer & Apostolicus, Petri Apostolorum Coriphæi Confessor eruditione, „preclarisque facinoribus clarebat Gre-„gorius: qui Romam atque Italiam, „totumque Occidentem à Leonis obe-„dientia tam civili, quàm Ecclesiastica, „& ab ejus Imperio subtraxit."

Zonoras Tom. III. Annalium sic scribit: "Qua de causa Gregorius, qui „Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, „repudiatâ societate Presidis novæ „Romæ, nec non eorum, qui illum se-„querentur, illos unà cum Imperatore „Synodico anathemate obstrinxit, & „vectigalia, quæ ad id usque tempus „inde

„inde pendebantur, inhibuit, icto cum „Francis fœdere."

Cedrenus autem Tom. I. ad annum Leonis Isauri XIII. sic habet: "Grego„rius Apostolicus vir, & Petri Aposto„lorum Coriphæi Assessor .... Is à „Leone ob ejus impietatem defecit, & „pacto cum Francis icto, tributa Leoni „denegavit."

His adjungo Sigebertum (ut ab inimico etiam ejusdem veritatis testimonium habeatur) ad annum DCCXXXI. sic scribentem: "Gregorius Romanę „Ecclesię XCIX. prędidet: qui & ipse „Leonem Imperatorem erroris redar„guit, & Populum Romanum, & „vectigalia Hesperiæ ab eo avertit."

Narrationem Baronius ad annum septingentesimum trigesimum, Bellarminus lib. V. de Romano Pontifice Cap. VIII. & Cardinalis Perronius ad Tertium Regni Francici Ordinem recipiunt ac probant, inquit, *Natalis* in Historia Sæculi VIII. Dissertation. *I.* & respondet, *esse fabulam à Theophane, Cedreno, Zonora & aliis vulgatam.* Sed hoc refellitur ejus argumento solvendo. Unde

R. P. Na-

R. P. Natalis Alexandri argumenta contra Gregorij II. factum diluuntur.

PRimò quędam obijcit ex hujus Pontificis litteris ; aſt illa ſuperiùs ſoluta ſunt , nempe in reſponſione ad IV. objectionem contra Childerici depoſitionem , ſi trinas demas obſervationes, quas format ex his ejuſdem Pontificis verbis : "Quemadmodum Pontifex introſpiciendi in Palatium poteſtatem non habet, ac dignitates Regias „deferendi , ſic neque Imperator in Ec„cleſias introſpiciendi , & electiones in „Clero peragendi , neque conſecrandi „&c. Sed unuſquiſque noſtrum in qua „vocatione vocatus eſt à Deo , in ea „maneat. Vides Imperator ! Pontificum „& Imperatorum diſcrimen .... „Perſequeris nos , ac tyrannicò vexas „militari, carnalique manu : Nos inermes ac nudi , qui terrenos & carnales „exercitus non habemus , invocamus „Principem exercitûs omnis creaturę „ſedentem in Cęlis Chriſtum. Ut immittit

„mittat tibi dęmonem, ſicut ait Apo-
„ſtolus: Tradere hujuſmodi Satanę in
„interitum carnis, ut Spiritus ſalvus
„fiat." E quibus *Natalis* ſic arguit.

Tantùm abeſt, ut Gregorius II. Imperatoris obedientia ſe vel alios ſubtraxerit, & ne penderentur vectigalia inhibuerit, ut ne quidem illum Eccleſiaſtica communione privaverit, aut re ipsâ privatum in publico fidelium conſeſſu denuntiaverit, vel anathema dixerit. Invocandum duntaxat Deum eſſe ſignificat, ut quod apud Paulum Corinthio inceſtûs reo contigit, Imperatori contingat. Secundò ſe inermem ac nudum profitetur Pontifex ſanctiſſimus: quod ſane non dixiſſet, ſi tributorum penſionem inhibuiſſet, aut inhibere habuiſſet in animo. Tertio profitetur Pontificem introſpiciendi in Palatium poteſtatem non habere, ac dignitates Regias deferendi, ſicut nec Imperator in Eccleſias introſpiciendi. Multò minùs itaque exiſtimavit, ſe poſſe tributorum penſionem prohibere, & populos ad defectionem compellere. *Argument. I.*

Reſpondeo, quod hæc adductam hiſtoriam minimè infirment. Prius namque Sanctiſſimo Pontifici imponi, ex ejus verbis clariſſimum eſt. Etenim ſcribit, *Solutio.*

ſcribit, ſe quidem *invocare Principem exercitûs omnis creaturæ ut immittat dæmonem* &c, non autem id duntaxat eſſe faciendum, aut ſe facturum ſignificat. Quod autem Pontifex ſe inermem & nudum profeſſus ſit, quia carnales exercitus non haberet, quibus Imperatori reſiſteret, nihil urget: ſi quidem ſe altiori potentia in Imperatorem eſſe inſtructum, eidem Epiſtola 1. ſignificavit dicens: *Facultatem & poteſtatem atque auctoritatem à ſancto Petro Principe Apoſtolorum habemus tibi pœnam irrogare.* Quam poſtea (ubi ſe vidit nihil longanimitate & bonitate proficere) ipſi intulit, eum tributorum Italiæ exactione privando, ac populum, non ad defectionem compellendo, ſed ab illius obedientia abſolvendo. Et hęc eſt illa poteſtas, quam habet Pontifex introſpiciendi in Palatium, quando Imperator ſua abutitur poteſtate ad ſuam, aliorumque perniciem, ac dignitates Regias deferendi, ubi urgens Eccleſiæ bonum requirit. Neque hanc adductis verbis Gregorius negat, ſed eam, qua introſpiciatur in Palatium, ac dignitates Regiæ deferantur ſine ordine ad ſalutem æternam, cui

Regna

Regna & Imperia, ac quidquid Christiani habent, famulari & cedere debent. Juxta hunc modum intelligenda est paritas, quam idem Papa induxit: eam quippe non esse omnimodam satis insinuavit, dum sibi in Imperatorem potestatem asseruit, quam reciprocè Imperatori non concedit, sed illius potiùs debitam subjectionem significat Epist. 2. dicens: *Imperatores, qui piè & in Christo vixerunt, Ecclesiarum Pontificibus obedire minimè recusarunt.*

Profert deinde Paulum Diaconum Lib. VI. De Gestis Longobardorum Cap. XLIX. commemorantem, quod volentibus omnibus Ravennæ exercitibus vel Venitiarum ab Imperatore deficere, & alium super se constituere, Gregorius restiterit: & Anastasij Bibliothecarij non solùm silentium (quod ut patet, aliorum positivum testimonium minimè infirmat) sed disertum (ut dicit) testimonium, in vita Gregorij II. dicentis. "Respiciens ergo vir Pius „profanam Principis jussionem, jam „contra Imperatorem quasi contra ho„stem se armavit, renuens hæresim „ejus, scribens ubique se cavere Chri- *Argument. II*

„ſtianos, eò quod orta fuiſſet talis im-„pietas . . . . . . Cognitâ verò Impera-„toris nequitiâ, omnis Italia conſilium „inijt, ut ſibi eligerent Imperatorem, „& Conſtantinopolim ducerent: ſed „compeſcuit tale conſilium Pontifex, „ſperans converſionem Principis." *Qui non alia ratione*, inquit *Natalis*, *contra Imperatorem Iconomachum ſe armat quaſi contra hoſtem, quam ſcribendo litteras ad omnes ubivis gentium Chriſtianos, ut ab ejus impietate caveant, & qui Italiam omnem in officio continet & in obedientia erga Imperatorem, prohibetque, ne alium Imperatorem conſtituant, is certè ita affectus non eſt, ut tributorum penſionem impedire velit.*

Solutio. Reſpondeo, quod hæc facilè conciliëntur, ſi tempora (ut oportet) diſtinguantur. "Verum enim eſt (ait „Bellaminus Cap. XLI. contra Bar-„claium) Gregorium reſtitiſſe po-„pulis Italicis cupientibus ab Im-„peratore deficere: ſperabat enim „aſſiduis cohortationibus ſuis, aliquando „ceſſurum Imperatorem, & ad melio-„rem mentem ac ſaniora conſilia redi-„turum. "Sanctiſſimus enim Pontifex (ait

,,(ait Baronius ad annum 726.) cupi-
,,ens beneficijs potiùs Imperatoris ani-
,,mum delinire, revocareque ab errore,
,,quam austeritate censuræ Ecclesiasticæ
,,exasperare secundùm illud Apostoli: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios* ,,*vestros*: omne remedium antea experiri ad Eph. 6.
,,tentavit, quàm ab Orientali scindere
,,Imperium Occidentale, semper cum
,,vellet in promptu habere sciens om-
,,nem inobedientiam ulciscendi."

,,Sed ubi vidit Pontifex, se operam
,,perdere (pergit Bellarminus) & Im-
,,peratorem quotidie deteriorem fieri:
,,securim ad radicem misit, & Impera-
,,torem cœtu piorum eiecit, ac jussit,
,,ut ei tamquam Impio Italici Populi
,,non parerent, neque vectigalia dein-
,,ceps penderent".

Ipsum præivit Baronius ad annum 730. "Quod verò, inquit, non ob-
,,temperasset omnino, tunc demum
,,factum est, ut idem Pontifex tandem
,,eumdem Imperatorem, utpote penitus
,,impœnitentem, hæreticum cognitum,
,,& declaratum, fuerit anathemate exe-
,,cratus, tumque Romanos, tum Ita-
,,los ab ejus obedientia recedere penitus

„fecerit , qui antea id ſponte (ut vidi„mus facere ſæpe tentaſſent.

„Retinuerat hactenus habenas rebel„lantis populi ſæpe Gregorius , ne ad„versùs Imperatorem penitus rebella„rent , quamdiu ſpes aliqua eſſe po„tuit , ut ſæpe monitus promulgatum „de impietate revocaret edictum , non „curans ſe ob eam cauſam ſæpius eſſe „vitæ in diſcrimen adductum. Ubi au„tem eumdem neque verbis , ſcriptiſvè, „à cœptis potuit revocare , neque bene„ficijs continere , quin in deterius la„beretur : tèmpus jam adveniſſe ratus , „ut ſecuris ad radicem admoveretur ar„boris infelicis, Apoſtolicâ auctoritate: Dan. 4. „*Succidite eam* , clamat. Quo tonitru „excitati fideles Occidentales, mox deſ„ciſcunt penitus à Leonis Imperio , „Apoſtolico Pontifici inhærentes. Sic „dignum poſteris idem Gregorius reli„quit exemplum, ne in Eccleſia Chriſti „ſinerentur Hæretici Principes , ſi ſæpe „moniti in errore perſiſtere obſtinato „animo invenirentur. Tunc enim acci„dit , quod & Græci Hiſtorici omnes „affirmant , & idem Theophanes ait „anno decimo quarto Leonis Imperato-

ris,

,,tis, ipſum Leonem ab eodem Gregorio
,,privatum eſſe tributorum Italiæ exac-
,,tion. Teſtantur id Cedrenus & alij.
,,Zoneras [illegible] Romæ (quod par eſt cre-
,,dere) facta eſſe [illegible]odicè tradit, atque
,,in eodem Concilio ipſu[illegible] Imperatorem
,,anathematis affectum pœn. Cujus rei
,,causâ factum eſt, ut vehementius Le-
,,one in Oriente Eccleſia vexaretur.

Ejuſdem rei teſtimonium perhibet Gilbertus Genebrardus & ipſe Gallus, Lib. III. Chronol. in Gregorio II. "Gregorius ergo Pontifex (inquit) ,,Leonem anathemate ferit, monet om- ,,nes Orthodoxos, ne ejus mandato pa- ,,reant, vectigalia Italos ei dare vetat, ,,icto cum Francis fœdere. Ita deſerto ,,Imperatore ob perverſam illius opinio- ,,nem, pacem cum Francis fecit, cum ,,priùs ſæpe dediſſet operam, ut eum ,,per litteras ab odio Dei revocaret.

Quod licet Paulus Diaconus & Anaſtaſius non referant, non tamen negant, quod Hiſtor. Græci & Latini affirmant.

Adducit præterea ſingularem hujus Pontificis moderationem in graviſſima contra ſuam vitam perſecutione, cohibentis populum, ne perſecutori vitam eripe- *Argumentum III.*

eriperent, & ad orationum & jejuniorum ſubſidium ſe convertentis. Sed id præoccupatum eſt. Hoc namque contigit eo tempore (ut ex ordine rerum geſtæ liquet) quo Sanctiſſimus Pontifex Imperatoris animum ex bonitate demulcere, & ad meliora reducere ſtudebat; non curans (ut à Baronio audivimus) ſe eam ob cauſam ſæpius eſſe vitæ in diſcrimen adductum.

Solutio.

Argumentum IV.

Inſuper opponit Gregorij III. res geſtas, qui Gregorio II. proximè ſucceſſit. *Is enim* (inquit) *teſte Anaſtaſio in ejus vita, Leonem ut Imperatorem agnovit, plenas ad eum humaniſſimis cohortationibus & admonitionibus litteras ſcripſit, ut eum ab impietate revocaret: Inter illos, quos à communione Corporis & Sanguinis Dominici denuntiavit extorres, Imperatorem ne nominavit quidem. At non ita ſe geſſiſſet, ſi Gregorius II. ejus Deceſſor Imperij jugum excuſſiſſet, & ne ab Italis Leoni Iſauro penderentur vectigalia, prohibuiſſet. Sed nec Legatos miſiſſet Conſtantinopolim Georgium Presbyterum & Conſtantinum Defenſorem; nec eos carcere duntaxat per annum detineri juſſiſſet (ut fecit) ſed trucidari præcepiſſet impius ac ferus* Prin-

Princeps, & armatâ manu in Pontificem & Romanos irruisset. Denique si Romani ac finitimi Populi rebellassent adversùs Imperatorem, & recusassent vectigalia pendere, cuncta generalitas Italiæ pro erigendis imaginibus supplicationum scripta unanimiter ad eumdem non direxisset. Quod ipsam fecisse testatur Anastasius. Haud enim grata fuissent illa supplicationum scripta, si hinc Italia se Imperatoris subtraxisset obedientiæ. &c.

Respondeo. Agnoverit Gregorius III. Leonem ut Imperatorem, nihil urget. Erat enim Orientis Imperator, etsi parte Imperij esset mulctatus. Neque Anastasius testatur, litteras ad Imperatorem directas, fuisse plenas humanissimis admonitionibus, sed tales, ut Gregorius Presbyter, *humano ductus timore non eadem scripta Imperatori porrexerit.* Inter illos, quos à communione Corporis & Sanguinis Dominici Pontifex denuntiavit extorres, Imperatorem nominare non debuit, utpote à suo Decessore tali anathemate perculsum, & aliàs sufficienter comprehensum sub generali sanctione, quâ omnes obortæ hæreseos cultores perstrinxit. *Solutio.*

 Tamet-

Tametsi Imperator esset parte Imperij privatus, à Pontificis pastorali cura Orientales non erant oves exemptæ, de quarum periculo agebatur ipso Imperatore imminentis ruinæ auctore: unde potiùs colligitur, eò Legationem direxisse (ut fecit). Quod Legatos carcere non solùm per annum detineri jussisset (ut fecit) sed eos trucidari præcepisset, est divinare. Armatâ autem manu in Pontificem, & Romanos irruisse, auctor est Theophanes ad ann: X V I. Imperij Leonis. "Imperator, inquit, „contra Papam, atque recessum Romæ, „& Italiæ (*quod scilicet ab ipso Imperatore „recessissent*) sæviebat; Constructumque „stolum *exercitum videlicet* magnum „direxit adversùs eum, Manem Præto„rem Cyberotensium caput in eo con„stituens. Tunc impugnator Dei per „amplius sæviens cum Arabico sensu „teneretur adversùs imagines, tributa ca„pitalia tertiæ parti Siciliæ seu Calabriç „super imposuit. Ea verò quæ dicuntur „patrimonia Sanctorum Principum „Apostolorum, quæ olim Ecclesijs auri „dimidium, & tria conferebant argenti „talenta, publicæ rationi ex olvi præce-

pit.

„pit. Considerare etiam ac describere „natos Mares jubens, ut Pharao quondam eos qui erant ex Hæbreis, quod „nec ipsi magistri ejus Arabes in Christianos, qui in eis sunt oris fecisse „noscuntur." Quod attinet Italorum Legationem, Cardinalis Baronius ad annum septingentesimum trigesimum tertium, *Tum Gregorius Papa*, inquit, *& seorsum Italia Legationem misêre ad Leonem Imperatorem, quibus ipsum suaderent ab impietate desistere; quâ sublatâ de medio, fore ut omnes se ipsi subijcerent, consuetumque Vectigal, ut subditi, penderent. De hac autem ab Italia Legatione missa meminit Anastasius verbis istis: Cuncta generalitas istius Provinciæ Italiæ similiter pro erigendis imaginibus supplicationes scriptas unanimiter ad eosdem Principes Leonem & Constantinum direxêre.* Quare ex hac Legatione facta observatio deficit, non minùs quàm aliæ suo Auctori perquam familiares.

Denique Sacras Litteras, & Patrum traditionem opponit, quibus verisimile esse asserit, Sanctissimum & doctissimum Pontificem non fuisse refragatum: & non modò verisimile, sed indubi- *Argument. V.* *Solutio.*

dubitatum id esse dicimus : haud tamen inde confici potest, ipsum non privasse Leonem Isaurum exactione tributorum Italiæ. Etenim Sacra Oracula, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari : Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Reddite omnibus debita : subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti* &c. subjectionis & debitorum solutionis nullam indicant necessitatem, dum Princeps sua potestate, aut jure privatur. Quod fieri posse, citata testimonia non negant, & aliàs articulo IV. proferenda luculenter affirmant. Neque aliud volunt Patrum testimonia, tradentium scilicet Regi & Imperatori parendum, ipsis tributa & vectigalia præstanda, quamdiu scilicet sua potestate & jure potiuntur. Qui Pontificiæ & Regiæ potestatis quoad actus & officia discretionem docent, ut neutra in ea, quæ alterius sunt, se ingerat, de directa Pontificis & Ecclesiæ auctoritate id intelligunt, non de indirecta, in ordine scilicet ad spiritualia, quam nemo Patrum negat. Neque his ampliùs immorari opus est, quòd similia infra recurrent pleniùs explananda.

Duo

Duo restant, quorum altero Romanum Pontificem, altero Romanam etiam Ecclesiam synodaliter congregatam, Imperatori subjectam insinuat, tametsi non exprimat. Etenim in repræsentanda Patrum Traditione, cui juxta ipsum Gregorius II. refragatus fuisset, si Leonem Isaurum exactione tributorum Italiæ privasset, *Sic*, inquit, *S. Gregorius Magnus Lib. II. Epist. LXII. ad Mauritium Imperatorem, ipsum rogans ut legem iniquam, & Ecclesiæ incommodam, quâ homines publicis rationibus obnoxios, & milites Monachos fieri prohibuerat, temperaret*: "Ego verò, *inquit*, hæc „Dominis meis loquens, quid sum nisi „pulvis & vermis? Sed tamen quia „contra Auctorem omnium Deum hanc „intendere Constitutionem sentio, Do„minis tacere non possum..... Ego „quidem jussioni subjectus, eamdem „legem per diversas terrarum partes „transmitti feci; & quia lex Omnipo„tenti minimè concordat, ecce per sug„gestionis meæ paginam serenissimis „Dominis nuntiavi. Utrobique ergo „quæ debui exsolvi, qui & Impera„tori obedientiam præbui, & pro Deo, quod

Argumentum VI.

,,quod sensi, minimè tacui."

Sic Agatho in Epist. Synodica missa ad Constantinum Pogonatum: "Servilem, *inquit*, vestri serenissimi Principatûs Romanam urbem. *Et se Legatos misisse scribit, ut obedientiam Imperatori debitam impleret*, pro obedientia, *inquit*, quam debuimus.

Solutio. Respondeo, quod hæc & similia Orthodoxus non deberet in argumentum adducere, sed exponere, cum per ea Sacerdotium Regno subjiciat, à quo Jure Divino exemptum esse dignoscitur. Id fuit olim Imperatoris Constantinopolitani error, quem Innocentius III. Pontifex Max. Cap. *Solitæ*. De Majorit. & Obedient. egregiè refellit, præter alia dicens: "Potuisses prærogativam Sacerdotij ex eo potiùs intelligere, quod ,,dictum est, non à quolibet, sed à ,,Deo: non Regi, sed Sacerdoti: non ,,de Regia stirpe, sed de Sacerdotali ,,prosapia descendenti, de Sacerdotibus ,,videlicet, qui erant in Anathot. *Ecce*
Hier. 1. *constitui te super gentes & Regna, ut evellas, & dissipes, ædifices & plantes*. Præte- ,,rea nosse debueras, quod fecit Deus ,,duo magna luminaria in firmamento

cœli,

,,cœli, luminare majus ut præesset
,,diei, & Luminare minus, ut præesset
,,nocti: utrumque magnum, sed alte-
,,rum majus. Ad firmamentum igitur
,,cæli, hoc est universalis Ecclesiæ; fe-
,,cit Deus duo magna luminaria, id
,,est, duas instituit dignitates, quæ sunt
,,Pontificalis auctoritas, & Regalis po-
,,testas. Sed illa quæ præest diebus, id
,,est spiritualibus, major est: quæ verò
,,carnalibus minor: ut quanta est inter
,,solem & lunam, tanta inter Ponti-
,,fices & Reges differentia cognoscatur.
,,Hæc autem si prudenter attenderet
,,Imperatoria celsitudo non faceret, aut
,,permitteret Constantinópolitanum Pa-
,,triarcham, magnum quidem, & hono-
,,rabile membrum Ecclesiæ juxta sca-
,,bellum pedum suorum in sinistra parte
,,sedere: cum alij Reges & Principes
,,Archiepiscopis & Episcopis suis, sicut
,,debent, reverenter assurgant, & eis
,,juxta se venerabilem sedem assignent.
,,Nos autem etsi non increpando scrip-
,,serimus, potuissemus tamen rationa-
,,biliter increpare. Nobis autem in B.
,,Petro sunt oves Christi commissæ
,,dicente Domino: *Pasce oves meas*, *Ioan. 2.*

non

„non distinguens inter has oves & alias;
„ut alienum à suo demonstraret ovili,
„qui Petrum & Successores ipsius,
„Magistros non recognosceret & Pa-
„stores: ut illud tanquam notissimum
„omittamus, quod Dominus dixit ad
„Petrum, & in Petro dixit ad Succes-
Matth. 16. „sores ipsius. *Quodcumque Ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis*
„&c. nihil excipiens qui dixit: *Quod-*
„*cumque.*" Hactenus Innocentius.

Ex quibus perspicuum fit, quam exorbitet à veritate, qui censet Romanum Præsulem terrenæ subjici potestati.

Neque id Gregorius Magnus asseruit, sed tantùm se de facto jussioni Imperatoris subjectum, & obedientiam exhibuisse: quam servitutem pro meritis exaggerat, ac suam exemptionem luculenter declarat in Psalm. 4. Pœnitent. sic scribens:

„In tantùm autem suæ temeritatem
„(Mauritius) extendit vesaniæ, ut ca-
„put omnium Ecclesiarum Romanam
„Ecclesiam sibi vendicet, & in Domina
„gentium terrenę jus potestatis usurpet,
„quod omnino ille fieri prohibuit, qui
„hanc B. Petro Apostolo specialiter
com-

„commiſit dicens: *Tibi dabo Eccleſiam* „*meam*. Obſtruatur ergo os loquentium „iniqua, & omnis Hęreticorum acies „obmuteſcat: quia nullas vires habet „mendacium, quod ipſius voce verita„tis invenitur deſtructum."

Neque ſic juſſionem Imperatoris S. Pontifex adimplevit, eam promulgando, quin ſimul illius corrector, emendator & cenſor extiterit: maximumque ediderit ſpecimen Sacerdotalis vigoris, Pontificiæ auctoritatis, & ſuper Imperium poteſtatis. "Dum acce„dens (inquit Baronius ad annum 593. „num. XIX.) cenſor & arbiter Con„ſtitutionis Imperatoriæ, & admovens „ad ſacram (quam vocabant) tabulam „ſtylum, edicti illius quædam ex„punxit, quædam addidit, jungens ac „minuens pro arbitrio, ut ad rectam „Catholicæ Eccleſiæ normam & diſci„plinam aptaret, nihilque penitus in „eo, quod Eccleſiaſticæ officeret liber„tati, & ſacris canonibus contradiceret, „prætermittens intactum: Poſteris „egregium relinquens exemplum, quid„quid leges ſanciendo, delirant Impe„ratores ac Reges, à Romanæ Eccleſiæ

Ponti-

„Pontificibus esse protinus emendan-
„dum, & corrigendum. sicque ab ipsis
„favendum eorum votis, ut eos erran-
„tes cum mansuetudine (ut videmus
„fecisse Gregorium) corrigant,& Pon-
„tificiâ potestate, quod perperam fac-
„tum norunt, Apostolicâ censurâ casti-
„gent: seque exhibeant eorum Magi-
„stros, Doctores, & correctores, juxta
„illud Divinum Oraculum non illi tan-
„tùm Prophetæ pronuntiatum, sed om-
„nibus qui pro Deo ad populum divina
Hier. 1. „legatione funguntur": *Constitui te hodie super gentes, & super Regna, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes.*

Et interjectæ Epistolæ Pontificiæ ad Metropolitanos tum Orientis, tum Occidentis unà cum Imperatoria constitutione missæ subdit: "In qua videas in
„duobus esse emendatum Imperatoris
„edictum, nempe in eo primùm, quod
„prohiberet actionibus publicis implica-
„tos nullo pacto recipiēdos in monaste-
„rium. Hos enim recipiendos esse Gre-
„gorius statuit, cum iisdem obligationis
„nexibus fuerint soluti. Deinde quod
„Imperator statuisset, milites nō nisi ab-
soluto

ſoluto tempore militandi, poſſe ingredi monaſterium vult Gregorius, ſi probati inventi ſunt, eoſdem recipi & retineri.

Quæ ex Agathone *Natalis* attulit, nihil urgent. Quod enim Pontifex Romanam urbem (de qua dicit ſe Legatos miſiſſe) ſervilem Imperij appellet, nihil contribuit ad Imperatorem eximendum à Pontificia poteſtate indirecta, quam habet in Imperium; eam ſiquidem, quam eſſe conſtat ſpiritualem, ac in Ordine ad ſuum finem cuncta temporalia ſubordinantem, terrenorum directa poſſeſſio nec ampliat, nec côarctat. Quid autē Pontificij dicti ſenſus habet, præſentis inſtituti non eſt: Quamquam ſit indubitatum, quod Romanus Antiſtes à pluribus ſæculis Romanæ urbis ſit directus Dominus.

Quod autem idem Pontifex, ſe Legatos miſiſſe ſcribat, *pro obedientia, quam debuimus* (quæ verba non in Synodica, ſed in hujus Pontificis Epiſtola privatim ſcripta leguntur) fuit id in Religionis negotio, nempe in fidei ſuggeſtionis tranſmiſſione, quā Orientales amplecti oporteret: Romanum autem Præſulem in Religionis negotio Imperatori de

jure debere obedientiam, hæreſis eſt: quare obedientiam dicit debitam de facto, non de jure: atque ita *Natali* non favet.

Manet itaque in ſuo robore laudatorum Hiſtoricorum narratio certatim teſtantium, Gregorium II. privaſſe Leonem Iſaurum exactione tributorum Italiæ, ac populum ab ejus fide abſolviſſe. Quibus tam facilè negare fidem (ut Author prælibatus fecit) haud facilè à temeritate abſolvitur.

Aliorum Pontificum Gregorii VII. Anteceſſorum acta adducuntur.

Leo III. tranſtulit Imperium à Græcis in Germanos.

ITem Leo III. Pontifex ſanctiſſimus Imperium à Græcis ad Germanos tranſtulit ac meritiſſimò Carolo Magno Eccleſiæ defenſori contulit.

Aſt *his offenſum* (inquit Baronius num. 800. XIX.) *Crabronum examen excitatum exurgit, & exerto aculeo obvium quemque petit. Talis eſt Novatorum hujus temporis Schola, cujus qui in hiſto-*

rica

rica facultate apud eos esse profiteretur antistes, commentarium scripsit adversùs eos, qui assererent, collatum esse Occidentis Imperium per Romanum Pontificem in Carolum Magnum: quam quidem scriptionem si quis mendaciorum nuncupaverit officinam, proprio quidem titulo mendax opus inscripserit. . . . . Qui ejusdem officinæ abdita penetravit, veritatis lucernâ singula perscrutatus, quæ tenebrarum erant effusa caligine, qualia essent non omnibus nota, jam adversariâ scriptione palam fecit, & cunctis perspicuè demonstravit Vir doctissimus Bellarminus hodie Collegij Apostolici decus & ornamentum, Cardinalis amplissimus, qui id quod conatus est adeo est feliciter consecutus, ut nobis vel alijs non sit admodùm laborandum, sed gratulandum, potiùs uti potentissimo vindici veritatis. *Novatores inficiantur.* *Card. Bellarminus potenter vindic.*

Eam sic olim retulit Gallicanis Oratoribus Pius II. in sua Responsione ad eorum Orationem superiùs laudatâ: in qua beneficijs in Francorum domum à Sancta Sede collatis, hanc Imperij translationem connumerat. "Majus illud, „inquit, quod Leo III. Romanus Præ-„sul in eumdem Carolum contulit. „Etenim Leone quarto, qui duos inter *Narratur à Pio II.*

,,Conſtantinos imperavit,alteriùs filius, ,,alterius pater, Italiam negligente, & ,,in hæreſim lapſo, qui ſculpturas imaginum exhorrebat, prohibebatque indignatus Leo Pontifex maximus, Imperium de Græcis ad Germanos: in ,,perſona Magnifici Caroli Magni ,,tranſtulit. Quid majus potuit Apoſtolica Sedes præſtare Francorum Domui ,,quam eam Romano Imperio decorare, Provinciarum Dominam & Principem Populorum, Gentium, Nationumque conſtituere? Quid potui facere vineæ meæ, inquit Propheta in ,,perſona Domini, & non feci? Honorata eſt præ cæteris Francorum Gens, ,,& in ſublimi vertice montium à Romana Eccleſia ſuſcepto Imperio collocata. Neque & vos aſſerere viſi eſtis ,,dimidiatum Imperium ad Francos dimiſſum eſſe, ſive duo Imperia facta, alterum Græcorum, Latinorum alterum. ,,Numquam Romani Præſules hanc abſurditatem commiſiſſent, ut hoſti fidei ,,gladium dimitterent. Sed Carolus ipſe ,,cum Hirene priùs Imperatrice, & ,,Conſtantini ſexti matre, & deinde ,,cùm Nicephoro Patricio, & cum eodē

poſtea

„postea Imperatoris nomen adepto, „Imperium partitus est, & quod totum „accepit, dimidiatum retinuit. His nihil reposuere Galliæ Legati in sua Responsione. *Legati Galliæ non contradixerant.*

Eam translationem P. *Natalis* profitetur in Histor. Sæcul. IX. Dissert. I. tametsi ipsam satis detruncet. *Quid*, inquit, *in illa Imperij translatione Carolus Magnus accepit? Imperiale nomen ac dignitatem, & Imperialia signa. Cujus auctoritate? Leonis Tertij Pontificis Maximi, qui ipsum coronavit, & Romanis auctor fuit, ut ipsum Imperatorem salutarent.* Hæc ille: qui jus Imperij ac potestatem in subditos à Pontifice in eumdem Carolum non esse derivatam contendit. Sed contrarium constat ex laudato testimonio Pij Pontificis: & sine inconsequentiæ nota sustineri non potest. Imperialem quippe dignitatem jus & potestas indivulsè comitantur, cujus proinde auctoritate illa confertur & hæc donari necessum est: quod Historici, alij nomine *Imperij*, alij nomine *dignitatis Imperialis*, sufficienter expressêrunt, cum unum sit necessarium consectarium alterius, & sic patet respon- *Diminutè à Natali traditur.*

ſio ad teſtimonia Auctorum, quæ refert: inter quæ unum laudat Ottonis ſcilicet Friſingenſis, quod ipſi apertè contradicit, eâ namque tranſlatione commemoratâ, ſubdit: *Exhinc Regnum Romanorum, quod à Conſtantino uſque ad ad tempus in urbe Regia, ſcilicet Conſtantinopoli fuit, ad Francos eſt derivatum.* Aſt his immorari opus non eſt, cum ijs, quæ ultro *Natalis* fatetur, perſpicuum ſit, Leonem Tertium ſibi tribuiſſe poteſtatē in temporalia Regum, qualia eſſe *Imperiale nomen ac dignitas & Imperialia ſigna*, probatione non eget, quæ prælibatus Papa juxta præfatum Authorem de una gente in aliam tranſtulit.

Gregor. IV. Decretum Francor. abrogationis Imperij Ludovici Imperator. reſcidit.

Item Gregorius IV. decretum Francorum, quo Ludovico Pio Imperium auferebatur, ſuâ auctoritate reſcidit, & Imperium Ludovico reſtituit, ut refert Paulus Æmilius lib. 3. De Rebus geſtis Francorum, his verbis: "Lugduni Con„cilium Epiſcoporum, quos Ludovici „Imperatoris filij contraxerant, habi„tum, Imperiumque Patri abrogatum: „quod decretum mox à Gregorio Pon„tifice Maximo reſciſſum eſt". Idem & Marianus Scotus commemorat lib. 3. Chro-

Chronici, dicens: "Ludovicus Reginam Aquis obviam & venientem jubente Papa Gregorio accepit: Siquidem filij Ludovici non ſolùm Imperium Patri abrogaverant, ſed etiam Juditham uxorem ei ademerant; ſed utrumque jubente Gregorio recepit".

Præterea Hadrianus II. cum Carolus cognomento Calvus Rex Francorum occupaſſet Lotharij nepotis defuncti Regnum Ludovico Imperatori jure hæreditario debitum, ei reſtitutionem mandavit, eum in finem minacibus ad eum datis Litteris, in quibus hæc præter alia continentur: "Quoniam, ut prædiximus, ſicut omnium pondera in humeris noſtris geſtamus, ita omnium actus prævidere debemus: nec pro humanis favoribus nos hæc dicere quis exiſtimet. Si fortè acciderit, ut Principes noſtri, quibus à te pervaſum Regnum jure debetur ſibi illatas injurias non vendicarent: nos uſque ad veſtram emendationem, quia omnes ſalvare volumus, perjuria illa, atque invaſionum tyrannides impunitas nullo pacto dimitteremus; quia non ambitione

Iuxta Hadrianum II. debet Papa omnium actus prævidere.

„tione Regni, ſed juſtitiâ commove-„mur, & non terrarum ſpatia quæri-„mus, ſed ex debito, vitijs ac pravita-„tibus quibuſcumque reſiſtere vigila-„mus. Igitur ut interim pro paucis glo-„riam tuam conveniamus, monemus, „& auctoritate Apoſtolica modis qui-„bus poſſumus ſpiritualiter ſuademus, „paternoque affectu præcipimus, ut jam „tertiò monitus, te ab invaſione Regni „Spiritalis filij noſtri Chriſtianiſſimi „Principis ſubtrahas & compeſcas, alie-„na non concupiſcas & quæ tibi non „vis fieri, illi non facias. . . . Nos ete-„nim, quoniam ſalvum te conſiſtere „cupimus, & ut animâ, corporeque fe-„lici ſucceſſu polleas, anhelamus: niſi „ſaltem nunc noſtris alijs ſalubribus pa-„rueris monitis, & ut priùs inobediens „ſpiritali cenſuræ conſtiteris; nullo „pacto, nulloque prętermittemus in-„genio, quominus Deo adjuvante, „nos metipſi partes illas petamus, & „quod noſtri eſt miniſterij penitus „peragamus." Hæc Hadrianus: Qui ejuſdem argumenti litteras dedit ad Epiſcopos in Regno ejuſdem Caroli conſtitutos, & ad Regni proceres: ac

Vitijs ac pravitatibus quibuſcumque reſiſtere.

Quid Carolo Calvo Francorũ Regi idẽ Papa comminatus ſit?

Hinc-

Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem gravi comminatione exagitavit, illud inculcans, ut si Carolus Sedi Apostolicę obtemperare recusaret, ipse se ab ejus communione sejungeret, si vellet cum Apostolica Sede communicare, ut constat ex Hincmari litteris ad eum Papam redditis, in quibus sic ait: "De „hoc quod scripsistis, ut si Rex ipse Ca„rolus in obstinationis suæ perfidia post „meam conventionem persistere malue„rit, quàm juxta vestra monita resipis„cere, ab illius me communione & „consortio sequestrem, & secundùm „Apostolum nec ave ei dicam, & si „vestræ communionis volo esse parti„ceps, prę sentiam ejus modis omnibus „devitem: &c. *1. Tom. 2.*

Denique Gregorius V. sibi in imperium potestatem tribuit.

Gregorius V. jus & potestatē eligendi Imperatorum, contulit quibusdā Principibus.

Etenim certis Germaniæ Principibus Imperatorem eligendi jus & potestatem contulit, ut potenter & validè firmavit doctissimus Bellarminus lib. 3. de Transl. Imp. Rom. cap. 3. ac egregiè illustravit, pariterque roboravit Card. Baronius ad annum 996. adversus Novatores totum id Othoni Imperatori, nihil Pontifici

tifici tribuentes. "Qui cum liberioris (inquit ibidem num. 38.) essent affectûs, & non hominum gratiâ ducerentur, his verbis veritatem liberè sunt professi: *Gregorius suam Patriam insigni aliqua dignitate ornaturus, sanxit, ut penes solos Germanos esset jus eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator & Augustus appellaretur.* Et num. 40. "Est firma & in omnibus ,,constans assertio, sicut Imperium auc- ,,toritate Romani Pontificis ex Oriente ,,in Occidentem translatum est, ita & ,,jus eligendi Imperatorem Germanis ,,concessum, vel dixerimus Regem in ,,Imperatorem promovendum, ab eo- ,,rumdem Romanorum Pontificum au- ,,ctoritate manasse. Accipe quæ de his ,,Innocentius III. Papa scripserit ad ,,Ducem Caringiæ sive Thuringiæ: ,,*Illis Principibus jus & potestatem eli- ,,gendi Regem in Imperatorem post modum ,,promovendum recognoscimus, ut debe- ,,mus, ad quos de jure, antiqua consuetu- ,,dine noscitur pertinere. Præsertim cum ad ,,eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica ,,Sede pervenerit, quæ Romanum Imperium ,,in persona magnifici Caroli à Græcis trans-*

Novatores fassi sunt.

tulit

„*tulit ad Germanos.* Hæc Innocentius.
„In Concilio Viennensi eadem Clemens
„V. his verbis : *Romani Principes Ortho-*
„*doxæ fidei professores Sacrosanctam Ro-*
„*manam Ecclesiam, cujus caput est Christus*
„*Redemptor noster, ad Romanum Pontificē*
„*ejusdem Redemptioris Vicarium fervore*
„*fidei & claræ devotionis promptitudine*
„*venerantes eidem Romano Pontifici, à quo*
„*approbationem personæ ad Imperialis*
„*promptitudinis apicem assumendæ, nec non*
„*unctionem, consecrationem, & Imperij*
„*coronam accipiunt, ut sua submitterent*
„*capita, non reputarunt indignum, seque*
„*illi & eidem Ecclesiæ, quæ à Græcis Im-*
„*perium transtulit in Germanos, & à qua*
„*ad certos eorum Principes jus & potestas*
„*eligendi Regem in Imperatorem promo-*
„*vendum pervenit, adstringere vinculo ju-*
„*ramenti. &c.*

"Id quidem adeo sine contradictione
„à Majoribus receptum est, ut semper
„ipsi Electores & Imperatores ab eis
„electi, hoc ipsum ingnuè professi sint,
„intellexerintque pariter, ejusdem esse
„facultatis, qui dedit, & auferre pariter,
„cum viderit expediens esse Reipublicæ
„Christianæ. Quod & cætera exempla
„demonstrant."

Lu-

Luculenter itaque constat, Gregorium VII. Romanorum Pontificum non fuisse primum, qui sibi Regum exauctorandorum potestatem tribuit. Restat, ut refellantur, quæ in oppositum adducuntur. Quare

R. P. Natalis Alexandri argumenta convelluntur, quibus Gregorium VII. novitatis incusat.

Argument. I. OBjicit primò Ottonis Frisingensis testimonium lib. VI. cap. XXXV. De Henrici IV. Germaniæ Regis exauctoratione dicentis: *Lego & relego Romanorum Regum, & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quemquam ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, & Regno privatum.* Et lib. I. de Gestis Frederici I. cap. I. *Gregorius VII. qui tum Pontificatum tenebat, eumdem Imperatorem, tanquam à suis destitutum, anathematis gladio feriendum decernit. Cujus rei novitate eò vehementiùs indignatione motum suscepit Imperium, quo numquam ante hac*

hæc tempora hujusmodi sententiam in Principem Romanorum promulgatam cognoverat.

Respondeo, quod prius Ottonis testimonium fideliter citatum non sit. Non enim habet, *excommunicatum & Regno privatum* (quo innuat illud copulatum numquam antea accidisse) sed *excommunicatum, vel Regno privatum*, quo neutrum antea contigisse significat: & ita, si ideo Henrici exauctoratio sit incusanda novitatis, eamdem notam *Natalis* impingat in ejusdem Henrici excommunicationem, quam tamen legitimam & justam deprædicat: vel asserat, quod Gregorius noster, primus fuerit, qui sibi Regum exauctorandorum tribuerit potestatem (quod à vero aberrare probatum est) nihil contribuere ad hujus facti reprehensionem aut reprobationem, ac per consequens se incassum illam partem suscepisse probandam. *Solutio.*

Præterea Otto Frisingensis commemorat, Romanos Pontifices in Regum sceptra ante Gregorium VII. exercuisse potestatem. Siquidem lib. V. Chronicorum, Pipini ad Regnum Franciæ exaltationem ita describit: "Anno ab In-

„Incarnatione Domini DCCLI. Cum „ut ſæpe jam dixi, Regibus Francorum „ſolo nomine regnantibus, Majores „Domùs omnem Regni curam admi„niſtrarent: Pipinus qui hanc dignita„tem per ſucceſſionem acceperat, Bur„chardum Herbipolenſem Epiſcopum, „& Folradum Capellanum ſuum ad „Zachariam ſciſcitandi gratiâ miſit: „Pontifex ergo meliùs eſſe, ut ille, qui „curam omnium haberet, Rex dicere„tur, quam qui ſolum nomen Regis „gereret, remandavit.

„Eo tempore Hildericus ex antiquo„rum Francorum Regum, qui à Mo„reveo Clodij filio Merovingi diceban„tur, ſanguine deſcenderat, inane ut „ſupra dixi Regium nomen tenebat.

„Igitur anno ab Incarnatione Domini „DCCLII. reverſis à Roma nuntijs „auctoritate Zachariæ Papæ Pipinus à „Beato Bonifacio Moguntino Archie„piſcopo, alijſque Regni Principibus „in Sueſſiona civitate ad Regnum eli„gitur. Anno ſequenti Zachariâ defun„to Stephanus Papa ſucceſſit.

„Anno ab Incarnatione Domini „DCCLIV. Pipinus à Stephano Papa, primò

„primò à fidelitatis Sacramento , quod „Hilderico promiſerat, cum alijs Regni „Primoribus abſolvitur : ac detonſo „Hilderico, & in monaſterium detruſo, „poſt modum in Regem inungitur. Hic „Merovingorum Regno finito, Caro„lingorum, per quod etiam Conſtanti„nopolitanum minuendum erat, cœpit. „Et ex hoc Romani Pontifices Regna „mutandi auctoritatem trahunt. "Huc uſque Otto Frinſingenſis. Cujus quidem hanc narrationem P. *Natalis* repugnantiæ redarguit (ut ſuperiùs vidimus) eò quod referat, Pipinum auctoritate Zachariæ elevatum ad Regnum, & à Stephano III. abſolutum cum cæteris Francis à Sacramento fidelitatis Childerico promiſsô. Verùm an ita ſit, quoad pręſens nihil moror. Sufficit namque clarè exhibuiſſe, quod Scriptor ille referat Romanos Pontifices ante Gregorium VII. ſibi exauctorandorum Regum tribuiſſe poteſtatem, ut hinc liquid è conſtet, ipſum diſertè non aſſerere (ut Opponens dicit) quod Gregorius VII. Romanorum Pontificum primus ſibi illam poteſtatem tribuerit.

Quod de hujus Pontificis ſententia

in Henricum dicit, ad Romanos Reges & Imperatores reſtringit, ut hic inter eos primus ſit excommunicatus vel regno privatus. Quod an ita ſit, collige ex ijs quæ ſupra relata ſunt.

Argument. II Obijcit 2. Sigeberti teſtimonium ad annum 1089. dicentis: *Nimirum (ut pace omnium bonorum dixerim) hæc ſola novitas (ne dicam hæreſis) necdum in mundo emerſerat*,& cæt. quæ calumniam continent, & art. ſeq. refellentur. *Solutio.*] Hic adnotare ſufficit, quod ſcriptor ille commemoret Gregorij VII. tempora præceſſiſſe Apoſtolicę auctoritatis uſum in temporalia Regum. Ut enim ſupra vidimus, ad ann. 731. teſtatur Gregorium II. Imperij parte mulctaſſe Leonem Iſaurum, & ad ann. 750. *Pipinus Princeps*, inquit, *auctoritate Apoſtolica, & Francorum electione à S. Bonifacio in Regem conſecratur*. Quomodo autem hæc cum adducto teſtimonio conſiſtant, ipſe viderit, qui illum in patronum elegit. Ea ſiquidem eſt, impugnantium veritatem miſera ſors, ut frequenter ſecum pugnent.

Argumentum III. Obijcit 3. Godefridi Viterbienſis teſtimonium Chronicorum parte XVII. in-

inquientis. *Ante hunc Imperatorem non legimus aliquem à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno privatum.*

Reſpondeo (ut ad teſtimonium Othonis) hinc nihil confici poſſe contra Henrici exauctorationem, quin idem conficiatur contra ejus excommunicationem; quæ *Natali* rata & juſta eſt. Videtur Viterbienſis ſuum dictum reſſtringere ad Imperatores: Non enim obſcurè ſuffragatur communi ſententiæ de exaltatione Pipini: ſic namque in Chronico Legatos Francorum apud Pontificem loquentes inducit. *Solutio.*

Si cupis Eccleſias, Regni virtute juvari,
Præcipias Regem validum, fortemque levari.
Scribe Pater Francis, pete, ſuggere, præcipe, ſemper
Vt faciant Regem Patriæ, gladioque potentem.
Littera Papalis Francis celeberrima venit:
Erigitur ſolium, Pipino gloria cedit:
Quippe ſibi Regnum Francia tota dedit.

Juſſu nimirum, & præcepto Zachariæ: Nam legati dixerant: *Præcipias*: quod Pontificem fuiſſe executum, ſatis clarè idem Author ſubindicat, dum prꝗcepti neceſſitatem à legatis aſſertam refert „ ſi vellet Papa Eccleſias Franciꝗ Regni virtute adjuvari: quibus hoc ſubſidium Pontifex ſanctiſſimus non negavit, cui omnium Eccleſiarum cura incumbebat, & aliunde noſſet ex litteris Bonifacij Archiepiſcopi Moguntini Eccleſiꝗ Franciæ deplorandum ſtatum, ſuperiùs exhibitum.

Argumentum IV. Obijcit quartò teſtimonium Trithemij in Chronico Hirſaugienſi ad annum MCVI. dicentis: "Henricum iſtum hominem perverſum & juſto judicio ab „Eccleſia ejectum omnibus revera ſuo „tempore conſtabat manifeſtum. . . . . „Ipſe autem primus eſt inter omnes „Imperatores per Papam depoſitus. „Scholaſtici certant, & adhuc ſub Judi„ce lis eſt, utrum Papa poſſit Impera„torem deponere. Quam quꝗſtionem, „cum ad nos non pertineat, indiſcuſſam „relinquamus.

Solutio. Reſpondeo, fuerit Henricus primus inter omnes Imperatores depoſitus, pri-

mus

mus inter Reges non fuit. Certasse Scholasticos, adeo ut sub judice lis esset tempore Trithemij, *utrum Papa poßit Imperatorem deponere*, admittendum non est. Oppositum etenim luculenter patescit ex Scholastacis, & qui Trithemium præcesserunt, & qui ejus tempore anno scilicet M. D. floruerunt, quos videre est Articulo V. Accedit quod res illa erat indubita Ecclesiæ Romanę, cujus assensu Henricus est exauctoratus; & Magno Lateranensi Generali Concilio sub Innocentio III. cap. 3. decernenti, quemcumque Dominum temporalē à Romano Pontifice Principatu privandum, qui ab Ecclesia monitus, terram suam neglexisset ab hęretica fœditate purgare: Item & Concilio Generali Lugdunensi sub Innocentio IV. quo approbante solemnissimè depositus est Fredericus II. Imperator: Non poterat ergo ea de re sub Judice lis esse, cujus tam irrefragabilia præcesserant firmamenta.

Obijcit 5. testimonium Onuphry Panvini Ordin. Æremit. S. August. lib. IV. de varia Creatione Romanorum Pontificum, dicentis: "Primus omnium *Argumentum V.*

„Romanorum Pontificum Gregorius „VII. . . . . præter Majorum morem „Cæsarem ipsum, à quo si non electus, „saltem confirmatus fuerat, non dico „excommunicare, sed etiam Regno, „Imperioque privare ausus est. Res ante „ea sęcula inaudita. Nam fabulas, quæ „de Arcadio, Anastasio & Leone Ico-„nomacho circumferuntur, nihil mo-„ror."

Solutio. Respondeo, quod Onuphrius hęc exprimat ad hujus Pontificis virtutem animi commendandam, ut patet ex ijs, quæ præmittit, & postponit: articulo sequenti referenda. Quę cum *Natalis*, ad eum Papam novitatis redarguendum, adferre præsumat, Onuphry quidem zelum laudamus, verùm primatum illum, supradictis innixi, non admitti-mus. Fatendum nihilominus, non fuisse ante hunc, Romanum Pontificem, qui tam invicto animi robore nefarijs Regum ausibus restiterit, ac eos Apostolicę animadversionis gladio ferierit: ut veridicè de eo Otto Frisingensis scripserit: *inter omnes Sacerdotes & Romanos Pontifices pracipui Zeli, & auctoritatis erat.* De quo Deus laudandus & bene-

benedicendus, quod tantæ virtutis virum Ecclesię suæ prȩfecerit, qui Regibus ostenderit, quid sit Ecclesię mandata contemnere.

R. P. Natalis Alexandri argumenta à Romanorum Pontificum Gregorij VII. Antecessorum traditione petita solvuntur.

ADducit deinde *Natalis* Romanorum Pontificum Gregorij Antecessorum traditionem, quasi non modò in Regum temporalia potestate usi non fuerint, sed eâ se destitutos esse, docuerint. Unde sic prosequitur.

Hanc sibi exauctorandi Reges potestatem non tribuit Nicolaus I. qui Sacerdotium olim Regno conjunctum fuisse docet, sed veri Regis & Pontificis adventu factam fuisse, & dignitatum & munerum divisionem, non verò subjectionem, aut subordinationem. Ita scribit ad Michaëlem Græcorum Imperatorem. *Argument. I.*

,,Sed cum ad verum ventum est, Re-

„gem atque Sacerdotem, ultra ſibi nec „Imperator jura Pontificatûs arripuit, „nec Pontifex nomen Imperatorum „uſurpavit. Quoniam idem Mediator „Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus „ſic actibus proprijs & dignitatibus of- „ficia poteſtatis utriuſque diſcrevit, ut „& Chriſtiani Imperatores pro æterna „vita Pontificibus indigerent, & Pon- „tifices pro curſu temporalium tantum- „modo rerum Imperialibus legibus „uterentur: quatenus ſpiritalis actio „carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo „militans Deo minimè ſe negotijs ſæ- „cularibus implicaret: ac viciſſim non „ille rebus divinis prǽſidere videretur, „qui eſſet negotijs ſæcularibus impli- „catus."

Solutio. Reſpondeo, quod Nicolaus quidem Pontificiam & Imperialem poteſtatem doceat eſſe actibus, dignitatibus, & officijs diſtinctam, nullo tamen verbo indicet (ut conſideranti patet) neutram alteri ſubjectam: Quin potiùs contrarium inſinuet. "Quoniam (ut eruditè pro more Cardinalis Bellarminus obſervat Cap. II. contra Barclajum) "idem Ni- „colaus paulò poſt ſubjungit, Chriſtia-

nos

„nos Imperatores egere Pontificum „ministerio pro æterna vita, & contrà „Pontifices uti legibus Imperialibus pro „cursu tantùm vitæ temporalis: apertissimè indicatur, finem potestatis Pontificiæ superiorem esse fini Potestatis „Politicæ, ac per hoc potestatem Pontificum imperium habere super Politicam potestatem, quatenus opus est, „ut potestas Politica non impediat adeptionem vitæ æternæ, ad quam à Pontificia dirigenda est".

Hanc sibi exauctorandi Reges potestatem non tribuit Gregorius II. Sanctissimus Pontifex qui ad Leonem Isauricum scribebat. „Ecclesiæ præpositi sunt Pontifices à „Reipublicæ negotijs abstinentes", & cætera, quæ supra soluta sunt. Ubi etiam ostensum est, quod Gregorius illa potestate usus sit. *Argument. II* *Solutio.*

Hanc sibi potestatem non tribuit S. Martinus I. nec ipsam exercuit adversus Constantem Imperatorem, quamvis ab ipso vexatus, quamvis Orthodaxam fidem ab ipso peti videns, & Monothelitarum hæresim ejus typo asseri: Et in Epist. ad Theodorum de exilio suo ita scribit. *Argumentum III.*

„Quod autem pręparati non fuerimus ad

„repugnandum, melius judicavi decies „mori, quam vniuscujuscumque san-„guinem in terram fundi... Eâdem ita-„que horâ dedi me ipsum ad exhiben-„dum Imperatori, non ad resistendum".

Solutio. Respondeo. Quod hic Pontifex illam potestatem adversùs Constantem non exercuerit, incassum obijcitur: neque enim illum excommunicavit, an ideo censuerit se tali potestate destitutum?

Rationem non exercitæ potestatis ipse *Natalis* insinuat, dum S. Pontificem ab eodem Imperatore vexatum commemorat: quod tam varié, ac atrociter est perpetratum, ut hinc liquidissimè constet, defuisse vires ad illius potestatis exercitium necessarias. Accipe quæ de horribili & inaudita illa impietate Cardinalis Baronius ad annum 651. num: 22. repræsentat, "Accidit ei opportu-„num, inquit, ut sub Principe Christia-„no, sed tamen hæretico invenerit suo „lucro Decios, & Diocletianos, qui „etsi non gladio ageret, & temperaret „à nece, non id faceret commiseratio-„nis ergô, sed majori crudelitate, durius „atque prolixius parans illi martijrium, „quo eum (si posset) faceret desertorem, adi-

„adigeret ad impietatem; ſin minùs fa-
„me necaret: ſtultè putans, niſi ſangui-
„nem funderet, ipſum non honeſtan-
„dum inſigni coronâ martyrij, quam
„eidem adverſarius invidebat; cum ta-
„men ſuâ ferinâ rabie eam quam præ-
„clariſſimam fabricarit. Quale tunc vi-
„ſum eſt in urbe illa totius Orientis
„Metropoli immane ſpectaculum? An-
„teſignanum fidei, Epiſcopum Epiſco-
„porum, primarium Chriſtianæ Reli-
„gionis Antiſtitem, Judicem univerſa-
„lis Eccleſiæ, præcipuum Doctorem
„atque Magiſtrum ſacrorum dogma-
„tum, Cuſtodem Canonum, Cenſorem
„& Vindicem Eccleſiaſticæ diſciplinæ,
„clavium Cœli Arbitrum & inferni:
„hunc ipſum à ſede turbatum intueri
„captivum ductum, vinculis mancipa-
„tum, ſceleratorum manibus traditum,
„Pontificijs inſignibus exutum, cate-
„narum onere prægravatum, omni vi-
„tæ ſolatio deſtitutum, diverſis carceri-
„bus mancipatum, pænè nudum om-
„nium oculis deridendum expoſitum,
„per urbem inſtar latronis tractum, &
„diſtractum, protritum & attritum, in
„fruſtra ſcindendum traditum, & cate-
narum

„narum pressuris cute disrupta fluore „sanguinis vestigia consignantem, con„sumptumque in carcere frigore, ægri„tudine laceratum, maceratum inediâ, „omnique ex parte (ut uno verbo di„cam) afflictionibus lancinatum? Qui „hæc non oculis fidei fuerit contempla„tus certè, quidem eumdem miserrimum „omnium hominum facilè indicarit: ita „sanè, qui oculos habet & non vident. „Cæterum cui desuper lumen Dei in „mente refulget, & radijs ex divinis „Scripturis fulgentibus illustratur; verè „eum beatissimum prædicabit, Petro „dicente: *Si quid patimini propter justi-*
1.*Pet.*3. „*tiam beati.* &c". Hinc clarè colligitur, quæ huic Pontifici vires fuerint ad exercendam adversus Constantem ullam potestatem.

Fuerat idem Sanctus Pontifex in suspicionem adductus, quod in Ecclesia, ubi jacebat infirmus, arma præparasset, & armatos haberet intus, & multitudinem lapidum collegisset (ut eidem Theodoro scribit) & addit, quomodo loricati omnes in Ecclesiam venerint tenentes lanceas & spathas suas, quin & arcus paratos unà cum scutis: ac subdit, quod

quod prȩparatus non fuerit ad repugnandum armata ſcilicet manu (ut ſuſpicio de illo ferebat) ſed eâdem horâ ſe dederit Imperatori ad exhibendum, non ad reſiſtendum. Quæ (ut patet) nihil urgent contra Gregorij VII. facta.

Hanc ſibi non tribuit Pelagius I. ad Childebertum Regem ſcribens: "Quanto „nobis ſtudio ac labore ſatagendum eſt, „ut pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo „obſequium confeſſionis noſtræ Regi„bus miniſtremus, quibus nos etiam „ſubditos eſſe ſanctæ Scripturæ præci„piunt"? *Argument. IV*

Reſpondeo, quod Brentius ſimili medio utatur ad errorem ſuum ſtabiliendum de Eccleſiaſtico regimine penes Principes ſæculares, ita arguens apud Bellarminum lib. 1. de Rom. Pontif. Cap. VII. *Epiſcopi ſervi ſunt Eccleſiæ, 2. ad Corinth. 4. Non noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum, nos autem ſervos veſtros per Ieſum. Quanto igitur magis Regum ſervi erunt, præſertim cum de Regibus dicat B. Petrus, 1. Pet. 2. Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi tanquam præcellenti,* *Solutio.*

ſive

ſive ducibus tanquam ab eo miſſis.

Et eruditè(pro more) Bellarm. reſpon-,,det: Duplex eſſe genus ſervitutis: om-,,nes enim qui laborant in alterius com-,,modum, dicuntur ei ſervire, ſed quidam ,,laborant & ſerviunt alteri eum regen-,,do, eique præſidendo; quidam labo-,,rant & ſerviunt obediendo & parendo, ,,qualia propriè ſunt mancipia: Epiſco-,,pi autem ſervi ſunt Eccleſiæ, ſed ad ,,priorem modum. Quemadmodum ,,etiam Magiſtratus ſervit Reipublicæ, ,,& Rex populo (ſi Rex non tyrannus ,,ſit) & pater filijs, & magiſter diſci-,,pulis.

,,Quare B. Paulus 1. Corinth. 4. ,,quorum ſe dixerat ſervum, eorum ,,patrem ſe eſſe dicit: *per Evangelium*, ,,inquit, *ego vos genui.* Et addit: *Quid ,,vultis? in virga veniam ad vos, an in ,,charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* ,,Et Heb. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, ,,& ſubiacete eis.* Et Actor. 20. *Spiritus ,,Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam ,,Dei.* Hâc ratione B. Gregorius ſervum ,,ſervorum Dei ſe vocat. Et B. Auguſ-,,tinus lib. 9. confeſſion. cap. ultim. ,,*Inſpira Domine ſervis tuis, fratribus*

meis

,,*meis, filijs tuis, dominis meis, quibus*
,,*voce, & corde, & litteris servio*. Et B.
,,Bernardus lib. 2. de Consideratione ait,
,,Eugenium, cum factus esset Pontifex,
,,elevatum super gentes & Regna,
,,sed ad ministrandum, non ad domi-
,,nandum.

Juxta hunc itaque modum dicit se Pelagius Regibus esse subditum secundum sanctas Scripturas: quod ex ipsa re gesta colligitur. Ut enim ex alia hujus Pontificis epistola ad. eumdem Regem constat, *In provincijs Galliarum quidam semina scandalorum sparserant, dicendo quid contra fidem Catholicam admissum*. Non ferens id Childebertus Rex, ad præfatum Pontificem recurrit, ac tandem ab eo petijt fidei professionem exactissimam. Cui annuens Pontifex rescripsit, his verbis: "Humani generis
,,Salvator ac Dominus discipulos suos
,,docens, ait: *Non est voluntas Patris*
,,*vestri, qui in cælis est, ut unus saltem* Matth. 18.
,,*pereat de pusillis*: de quibus nec scan-
,,dalizari quemquam sine magni asserit
,,comparatione supplicij. Cum igitur
,,etiam de pusillis ista forma præcepti
,,sit, quanto nobis studio ac labore sata-
gendum

„gendum eſt,ut pro auferendo ſuſpicio-
„nis ſcandalo obſequium confeſſionis
„noſtræ Regibus miniſtremus ; quibus
„nos etiam ſubditos eſſe ſanctæ Scrip-
„turæ præcipiunt" ? Unde miniſtratio
& ſubjectio Regibus à Pontificibus de-
bita , quam idem Pontifex aſſeruit, ea
eſt , & non alia, quâ quis dicitur ſervire
alteri , regendo, inſtruendo , & præſi-
dendo.

Argumentum V. *Hanc ſibi non tribuit S. Gregorius Magnus , qui Imperatorem Mauritium Dominum ſuum appellabat , ſeque ejus juſsioni ſubditum profitebatur. lib. II. Epiſt.LXII.*
"Ego verò , *inquit* , hæc Dominis meis
„loquens , quid ſum niſi pulvis & ver-
„mis ? Ego quidem juſſioni ſubjectus ,
„eamdem legem per diverſas terrarum
„partes tranſmitti feci; & quia Lex om-
„nipotenti Deo minimè concordat ,
„ecce per meæ ſuggeſtionis paginam
„Sereniſſimis Dominis nuntiavi. Utro-
„bique ergo quod debui exolvi , qui &
„Imperatori obedientiam prębui, & pro
„Deo quod ſenſi minimè tacui.

Solutio. His ſupra reſponſum eſt , dum Gre-
gorij II. factum vindicaretur.

Et in eadem Epiſtola Chriſtum inducit ,
qui

qui sic Imperatorem alloquatur: "Ego
„Sacerdotes meos tuę manui commisi,
„& tu meo servitio milites tuos sub-
„trahis".?

Respondeo, quod hunc locum Baronius ad annum 593. Num. 14. ita Lectorem desuper instruat. "Sed amabo
„te, hic pie Lector, siste gradum:
„Etenim ni fallor, dum hęc audisti, te
„admiratum vidi, & subindignatum
„obduxisse supercilia, eò quod abjectè
„nimis visus sit tibi locutus S. Grego-
„rius, dum pręter alia tum in Epistola
„ad Mauritium, tum in ista ad Theo-
„dorum data quodammodo professus
„appareat, Sacerdotes à Deo subjectos
„esse Imperatori, verbis illis imprimis,
„cum ait ex persona Christi: *Sacerdotes*
„*meos tuæ manui commisi*: & de Impe-
„ratore ad Theodorum, ei & omnia
„tribuit, & dominari eum non solum
„militibus, sed etiam Sacerdotibus con-
„cessit. At hæc Novatores, non ut tu
„mœrens, sed hilari vultu, exultan-
„tes, imò & insultantes, quasi irrefra-
„gabile nacti sint testimonium viri
„sanctissimi, atque doctissimi, cui nefas
„sit contradici; qui docentis cathedram
cum

„cum aſcenderit, tam apertis verbis vi-
„deatur eſſe teſtatus, ſubjectum à Deo
„Imperatori Sacerdotium eſſe: ut non
„niſi contumeliâ tanti Patris id negari,
„& aſtrui contrarium videri poſſit, nem-
„pe ipſum hallucinatum, & non vera
„locutum, vel ſaltem Imperatori turpi-
„ter adulatum. Sed larvis abſterreant
„Novatores ipſi infantes, & clamori-
„bus iſtiuſmodi pueris pavorem incu-
„tiant, non tibi, Lector, ſi bene noſti
„vim. Sanctionum Eccleſiaſticarum,
„atque traditionum robur, & fortitudi-
„nem doctrinæ Patrum: ſed ridebis
„nobiſcum inſultantium impudentiam
„& imprudentiam. Dum enim nulla ha-
„betur ratio rerum geſtarum & tempo-
„rum id efficitur, ut fruſtrà iſti inſul-
„tent, vel timeant pavidi. At cum ac-
„curatè cuncta perſpecta habuerint,
„planè intelligent, S. Gregorium,
„acerrimum fuiſſe vindicem Pontificiæ
„æſtimationis, & aſſertorem immuni-
„tatis Eccleſiaſticæ. Hæc ut omnes per-
„ſpiciant, in primis meminiſſe oportet,
„quæ ſuperiùs dicta ſunt, quantùm
„idem Gregorius deploravit hæc infeli-
„ciſſima tempora, quibus licet ſub Im-
peratore

,,peratore Catholico, ipsa tamen Ec-
,,clesia fuerit non secus, ac sub Nero-
,,ne, & Diocletiano captiva. Revó-
,,canda hìc tibi sunt in memoriam (quod
,,rerum sic exigat argumentum) quæ
,,idem S. Gregorius de his habeat jam à
,,nobis anno primo ejus Pontificatûs
,,superiùs recitata, ubi inter alia: *Con-* *In Psal. Pœnit. 4*
,,*citavit enim Diabolus adversùs Eccle-*
,,*siam Dei non solùm innumerabilem populi*
,,*multitudinem, verùm etiam Regiam (si*
,,*fas est dicere) potestatem: nulla enim*
,,*ratio sinit, ut inter Reges habeatur, qui*
,, *destruit potiùs, quàm regat Imperium.*
,,Et paulò post. *Ecclesiam quippe, quam*
,,*suo Sanguinis pretio redemptam Salvator*
,,***noster voluit esse liberam, hanc iste, pote-***
,,***statis Regia jura transcendens, facere***
,,***conatur ancillam.*** **Hæc & alia fusiùs à**
,,nobis recitata sunt. Quibus in primis
,,vides, S. Gregorium definire, non so-
,,lùm non esse subditam Regibus aliquo
,,modo Ecclesiam, verùm etiam firmiter
,,asseverare (cum de his agit) non haben-
,,dum esse Mauritium inter Imperato-
,,res, dum adversùs Dei Sacerdotes Re-
,,giam potestatem exercet: Rursum
,,ejus Gregorij sententiâ reddi firmum
 intel-

„intelligis, Christi Ecclesiam ab ipso
„liberam factam esse, quam Imperator
„iniquissimè redigere studuerit in servi-
„tutem. Adeo ut, quod dicit in duabus
„recitatis Epistolis, à Deo subjectos
„fuisse sacerdotes Imperatori: ne ipse
„sibi contrarius Gregorius fuisse dica-
„tur, necesse sit, ut aliud divinæ tribue-
„re voluerit voluntati, permissioni verò
„aliud.

„Sed quomodo permissioni? cum vi-
„delicet permiserit Deus (ut ipse deplo-
„rat) non posse exequi munus suum
„summum universæ Ecclesiæ Sacerdo-
„tem, nisi etiam persolutâ pecuniâ,
„electioni factæ ipse consensisset Im-
„perator. Sic igitur Deum subjecisse
„tradit Sacerdotes Mauritio Imperatori,
„ut olim eosdem subiecerat persecuto-
„ribus Neroni atque Diocletiano, quos
„in eos etiam gladio agere permisit.
„Cum ijsdem quidem certè constat,
„Gregorium adnumerasse Mauritium.
in Psal. 4. Pœn. „*Quid Nero? Quid Diocletianus? Quid*
„*denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam*
„*persequitur? Numquid non omnes portæ*
„*inferi?* Habes ergo ex Gregorio ipso
„sensum verborum ipsius: quâ inter-
preta-

,,pretatione nulla verior, nec germa-
,,nior esse potest: ut sic dixisse vo-
,,voluerit, subjectos à Deo sacerdotes
,,Imperatori, quemadmodum Christus
,,Redemptor noster fatetur, se divinâ
,,permissione subditum potestati Pilati,
,,& sicut itidem dixit ijs, qui ipsum ne-
,,ci tradere satagebant: *Hæc est hora ve-* Ioan
,,*stra, & potestas tenebrarum.* Quam- 19. Luc.
,,obrem si res jure agatur, non violen- 23.
,,tiâ, ut solent latrones in silvis, non
,,subjectos esse Sacerdotes Imperatori-
,,bus, sed Imperatores Sacerdotibus
,,ejusdem Gregorij, sicut & aliorum
,,Sanctorum Doctorum omnium con-
,,stans est firmaque sententia". Huc usq; Baronius pro interpretatione S. Gregorij testimonij, cujus objectione, uti & aliorum similium *Natalis* suam sententiam potiùs infirmat, quàm firmet, cum proprijs hæreticorum armis non semel utendo, ansam præbeat opinandi, quod non Catholicas partes propugnet.

Ibidem (pergit *Natalis* ex Magno Gregorio) "Potestas Dominorum meo-
,,rum pietati cœlitus data est super om-
,,nes homines".

Respondeo quod hoc testimonium

conjunctum verbis, quæ immediatè sequuntur, pro Gregorij nostri sententia militet: quare eam ob causam articulo V. adducetur. Cæterum ad ejus prout hic obijcitur, sinistrum sensum refellendum (qui etsi non exprimatur, insinuatur tamen) juvat Bellarmini solidam responsionem subnectere, quâ Guilielmo Barclaio idem opponenti occurrit.

"Respondeo (inquit cap. III.) Sanc-„tus Gregorius non solius Imperatoris, „sed omnium fidelium servum se nomi-„nabat, cum initio Epistolarum [ad-„scriberet, *Gregorius servus servorum* „*Dei*. Et Joannes Diaconus lib. 4. „vitæ Sancti Gregorij, cap. 58. testa-„tur à Sancto Gregorio vocari solitos „fratres, omnes Sacerdotes, filios, om-„nes Clericos; Dominos, omnes Lai-„cos; nec tamen, opinor, Barclaius „concedet, Sanctum Gregorium om-„nibus Laicis fuisse subjectum. Porro „quod scribit Sanctus Gregorius datam „fuisse potestatem Imperatori cœlitus, „non significat Imperatoriam potesta-„tem esse immediatè à Deo; sed esse à „Deo in eo sensu, quo dicit Apostolus

ad

„ad Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* „Omnis enim potestas à Deo est ; sed „aliqua immediatè , ut Moysis , ut „Sancti Petri , ut Sancti Pauli : aliqua „mediante consensu hominum , ut po-„testas Regum , Consulum , Tribuno-„rum: nam ut S. Thomas docet in 2. 2. „q. 10. art. 10. & q. 12. art. 2. Dominia „& Principatus de jure humano sunt, „non de jure divino. Quod addit S. Gre-„gorius , *super omnes homines* , intelligi-„tur super omnes homines Romano „Imperio subditos ; alioqui potestas „Mauritij Imperatoris fuisset etiam su-„per Antipodas , super Garamantas , & „Indos , & tamen non fuit super vicinos „Persas , vel Scytas , nec super Germa-„nos , aut Francos , aut Hispanos , aut „alios innumerabiles : proinde poterat „Barclaius omittere illam consecutio-„nem : *ergo super Papam , si homo est*".

Hanc potestatem exauctorandi Reges sibi non tribuit S. Silverius , qui calumnijs oppressus , è Sede dejectus est jussu Iustiniani Imperatoris ; & in exilium Pataram Lyciæ civitatem deportatus. Hanc sibi non tribuit Agapetus erga Theodatum Regem Gothorum , qui ipsum Constantinopolim ad *Argumentum VI.*

 Im-

Imperatorem Iustinianum coëgit proficisci, facultatibus ad conficiendum iter necessarijs ita destitutum, ut sacra vasa Regijs Arcarijs ipsum oppignorare necesse fuerit. Hanc sibi non tribuit Ioannes primus, qui à Theodorico Rege Gothorum Ariano Constantinopolim missus, ut Justinum Imperatorem à vexandis in Oriente Arianis deterreret, Romam redux ab eo in vincula conjectus est, ibique ærumnis confectus, Martyr obijt.

Solutio. Respondeo, quod ipse *Natalis* solutionem subministret: ijs namque, quæ retulit, perspicuum reddit, illis Pontificibus defuisse vires hujusmodi exercendæ potestatis. Accedit quod hæc omnia militent contra ipsum. Neque enim illi prælibati Pontifices, excommunicandi potestatem (quam ipse etiam respectu Regum in Romano Pontifice cognoscit adversus dictos impios exercuerunt: ex quo tamen consequens non fit, quod illam sibi non tribuerint, id est senserint se eâ non esse præditos.

Argumentum VIII. *Hanc sibi non tribuit Symmachus adversus Anastasium, impium Imperatorem, Hæreticis faventem, & Accacio cummunicantem, & libello famoso ab ipso impetitus,*

tus, ſolam poteſtatem excommunicandi ſibi vendicat, non ipſum exauctorandi, ut conſtat ex Epiſtola Apologetica, quam ad ipſum ſcripſit, in qua Pontificiam cum Imperatoria comparans dignitatem, ſolam diſpenſationem ſpiritualium Pontificibus tribuit, ac Imperatoribus parendum eſſe docet ab ipſis ſummis Sacerdotibus, niſi aliquid contra Dei legem præcipiant?

"Conferamus, *inquit*, honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iſte divinarum. Tu Imperator, à Pontifice Baptiſmum, ſacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas: poſtremò tu humana adminiſtras, ille tibi Divina diſpenſat. Itaque ut non dicam ſuperior, æqualis certè honor eſt... fortaſſis dicturus es, omni Poteſtati nos ſubditos eſſe debere. Nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas erigunt voluntates. Cæterum ſi omnis poteſtas à Deo eſt, magis ergo quæ rebus eſt præſtituta divinis. Defer Deo in nobis, & nos Deo deferemus in te".

Solutio. Respondeo, quod nihil eorum, quæ *Natalis* prætendit, Papa Symmachus tradiderit. Ac inprimis nusquam sibi solam excommunicandi Imperatorem potestatem vendicavit: neque id constat ex Epistola Apologetica, quàm ad ipsum scripsit, cum in ea quidem in ipsum latam excommunicationem commemoret, nihil autem de illa, aut alia potestate adijciat: dispensationem spiritualium non sic Pontificibus tribuit, ut eis deneget temporalium dispositionem, prout spiritualibus famulari debent, nisi propositio absoluta contra Dialecticas Institutiones, eum sensum reddat, quem exclusiva. A summis sacerdotibus parendum esse Imperatoribus non docet: sed eos humanas suscipere potestates, ubi nihil contra Dei legem determinant; quô nihil subjectionis designat (unde non dicit se Apostolicâ sententiâ comprehensum) sed rationi decentiam innuit, quâ ducti summi Sacerdotes, exequuntur quæ citra Dei legem potestates ordinant, tametsi se norint ab ijs exemptos: sicut etiam Nicolaus I. ad Michaelem Imperatorem scribit: Pontifices uti legibus Imperialibus pro cursu rerum tem-

temporalium, non quidem vi legum, ſed vi rationis, ut contra Barclaium Bellarminus bene exponit. Res planè indigna, quod Author Catholicus toties Romanum Pontificem Regi aut Imperatori ſubjectum velit: quem divino jure ab omni creata poteſtate exemptum, & ſoli divinæ ſubditum eſſe conſtat. Quod verò Symmachus ſcribit: *ut non dicam ſuperior, æqualis certè honor eſt*: causâ modeſtiæ dictum intellige. Quantùm enim honor ſuus Imperatorium excedat, ſatis inſinuat, dum paulò ſuperiùs dicit, *inter hos tantùm diſtare, quantùm hic rerum humanarum curam gerit, ille divinarum.*

Hanc auctoritatem deponendi Regis ſibi non tribuit Gelaſius I. qui ad Anaſtaſium Imperatorem ſcribens, docet illum præſidere humano generi dignitate, quamvis in perceptione Sacramentorum Sacerdotibus ſubdatur. *Argumentum IX.*

"Duo ſunt, *inquit*, Imperator Auguſte! quibus Principaliter mundus „hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & Regalis Poteſtas. In quibus „tantò gravius eſt pondus Sacerdotum, „quantò etiam pro ipſis Regibus hominum

„num in divino reddituri ſunt examine
„rationem. Noſti enim Fili clemen-
„tiſſime, quod liceat præſideas humano
„generi dignitate; rerum tamen Præ-
„ſulibus divinarum devotus colla ſub-
„mittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis
„expetis, inque ſumendis cœleſtibus
„Sacramentis, eiſque ut competit diſpo-
„nendis, ſubdite debere cognoſcis Re-
„ligionis ordine, potiùs quàm præeſſe.
„*Et lib. de Anathemate, duo eſſe ait*, qui-
„bus Principaliter mundus hic regitur,
„auctoritatem ſacram Pontificum &
„Regalem poteſtatem &c. Quantum ad
„ordinem pertinet diſciplinæ, ejus cui
„Imperium supernâ diſpoſitione colla-
„tum cognoſcunt, legibus ipſos quoque
„parere Religionis Antiſtites".

Solutio. Reſpondeo, quod Gelaſius doceat Sacerdotium ac Imperium eſſe duas in Eccleſia ſupremas poteſtates, ita tamen ut hæc illi ſubſit, ac debeat colla ſubmittere, ut patet ex littera: unde non modo in perceptione Sacramentorum, ſed in alijs illi ſubditur Imperator, quin & in ſuæ poteſtatis uſu, dum eum deviare contingit: Nam ſi Pontifex redditurus eſt Deo rationem pro Imperatore & Regi-

Regibus (ut ibidem tradit) certè dirigere eos debet, & si fortè devient, corrigere, atque in viam reducere. Quomodo autem potest dirigere & corrigere Imperatores & Reges, si in ipsos, eorumque regna nullum habeat imperium, in quorum administratione natum est eos aberrare, ac suâ abuti potestate, quemadmodum de multis legimus? Quare Gelasius I. Gregorio nostro non adversatur, sed favet.

Quod attinet quæ ex libro ejusdem Pontificis de Anathemate *Natalis* obijcit, in eo non extant, sed in laudata Epistola subdit Pontifex: "Nosti inter hæc ex illorum (nempe Sacerdotum) te pendere judicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Si enim quantùm ad ordinem pertinet disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi supernâ dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent Religionis Antistes, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ: quo rogo te decet affectu eis obedire, qui pro te erogandis venerabilibus sunt attributi mysterijs"? *Quod audis* (inquit Baronius ad annnum 494.

num.

num.4.) *Gelasium profiteri Pontifices obedire legibus Principum : jam dictum est iterum superiùs ; nec refugisse Romanos Pontifices parêre legibus Ethnicorum, imò & persecutorum Imperatorum, quæ justitiâ pollerent & veritate.*

Non quod ijs se obstrictos censerent, sed quod in tantùm essent amantes justitiam & veritatem, ut apud quoscumque reperirent, eam susciperent. Neque Gelasius Religionis Antistites legibus Imperialibus subjectos vult, tametsi parêre asserat, cum scribat, hoc eos præstare, *ne in mundanis videantur exclusæ obviare sententiæ.*

Argumentum X. *Hanc sibi non tribuit auctoritatem Felix Tertius adversùs Zenonem Imperatorem, qui Eutychianis favebat, Acacium tuebatur, Henoticon ediderat causæ fidei valde noxiam : & Sedis Apostolicæ legatos violaverat ; sed solùm apud ipsum conquestus est, suasitque ut Petri Moggi & Acacij damnationi acquiesceret, nec Ecclesiæ libertatem opprimeret, sed eam sineret uti legibus suis, ejusque decretis voluntatem suam in causis Dei subderet".* Puto, *inquit*, „quod vobis sine ulla dubitatione sit „utile, si Ecclesiam Catholicam vestri tem-

„tempore Principatûs ſinatis uti legibus „ſuis; nec libertati ejus quemquam per„mittatis obſiſtere, quæ Regni vobis „reſtituit poteſtatem (Baſiliſco Tyran„no Catholicis repulſo) Certum eſt „enim hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, „ut cum de cauſis Dei agitur, juxta ip„ſius conſtitutum, Regiam voluntatem „Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, „non præferre: & Sacro-ſancta per eo„rum Præſules diſcere potiùs, quàm „docere: Eccleſiæ formam ſequi, non „huic humanitus ſequenda jura præfi„gere: neque ejus Sanctionibus velle „dominari, cui Deus voluit Clemen„tiam tuam piæ devotionis colla ſub„mittere; ne dum menſura cœleſtis diſ„poſitionis exceditur, eatur in contume„liam diſponentis".

Reſpondeo, Felicem liberiùs & potentiùs egiſſe adversùs Zenonem, teſtis eſt Gelaſius I. immediatus Felicis ſucceſſor Epiſt. XIII. ad Dardaniæ Epiſcopos, ubi inter alia Sacerdotalis vigoris adversùs Reges & Imperatores exempla, "Sanctæ Memoriæ Papa ſimplicius „(inquit) & poſt eum Sanctæ Memo„riæ Papa Felix non ſolùm Baſiliſcum *Solutio.*

Tyran-

„Tyrannum , ſed etiam Imperatorem
„Zenonem pro ijſdem ipſis exceſſibus
„auctoritate liberâ ſæpiùs increpaſſe
„noſcuntur , flectique potuiſſet , niſi
„Conſtantinopolitani Præſulis accende-
„retur inſtinctu, qui particeps externæ
„communionis effectus , neceſſariò in
, quod inciderat , jam fovebat , malens
„in ſuæ prævaricationis obſtinatione
„perſiſtere , quàm curandus ad ſalubria
„remeare , ſicut ipſe rerum probavit
„eventus".

Quæ ex Felice prolata ſunt optimè cum hac narratione cohærent , & Gregorio noſtro in nullo refragantur , ſed potiùs ſuffragantur , ſi ſeriò expendantur. Quod Felix Zenonem non exauctoraverit , nihil urget , quandoquidem neque ipſum excommunicaverit , ut ex Annalibus conſtat , quo tamen nihil conficitur contra Eccleſiaſticam poteſtatem Reges & Imperatores excommunicandi.

Argumentum XI. *Hanc ſibi poteſtatem adversùs Valentem Imperatorem Arianum S. Damaſus non tribuit , quamvis in Catholicos crudeli perſecutione graſſaretur. Hanc ſibi adversùs Iulianum Apoſtatam , & Conſtantium Impe-*

Imperatorem Arianum non tribuit S. Liberius. Nam de Iuliano S. Gregorius Nazianzenus scribit, ipsum Dei clementiâ duntaxat & lacbrymis Christianorum coërcitum fuisse; "cum solum hoc contra perse,,cutorem haberent remedium" *(Orat. I. adversùs Iulianum) Et S. Augustinus in Psalmum CXXIV. explicans illa verba,* Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, *de Christianis sub Imperio Iuliani militantibus ait:* "Milites Christiani serviebant ,,Imperatori infideli; ubi veniebatur ad ,,causam Christi, non agnoscebant nisi ,,illum, qui in cœlo erat. Quando vole,,lebat, ut idola colerent, ut thurifica,,rent, præponebant illi Deum. Quando ,,autem dicebat, Producite in aciem, ,,ite contra illam gentem, statim ob,,temperabant. Distinguebant Domi,,num æternum à Domino temporali, ,,tamen subditi erant propter Dominum ,,æternum etiam Domino temporali". *Quod verò Constantium spectat, illi se subditum profitebatur Liberius in ijs quæ contra Dei & Ecclesiæ leges non pugnarent, ut constat ex illius colloquio cum ipso Constantio apud Theodoretum lib. II. Histor.*

Eccles.

Eccleſ. Cap. XVI. Valeſianæ verſionis :
"Conſtantius Imperator dixit : Nos ,
„quoniam & Chriſtianus es , & Epiſ-
„copus noſtræ civitatis, idcirco te evo-
„candum duximus , & admonendum,ut
„nefariæ dementiæ impij Athanaſij
„communionem abijcias ...... Unum
„eſt quod quæritur. Te namque , ubi
„Eccleſiarum communionem fueris
„amplexus , Romam remittere volo.
„Aſſentire igitur paci & ſubſcribe , at-
„que ita Romam revertere. Liberius
„dixit : Fratribus qui Romæ ſunt jam
„vale dixi. Potiores enim ſunt Eccle-
„ſiaſticæ leges,quàm domiciliumRomę.
„Imperator dixit : Ergo trium dierum
„ſpatium habes ad deliberandum, utrum
„ſubſcribens , Romam redire velis , aut
„ad cogitandum , quem in locum cu-
„pias deportari. Liberius dixit : Trium
„dierum aut menſium intervallum non
„mutat ſententiam. Itaque mitte me
„quò voles. Biduò poſt Imperator, cum
„Liberium accivisſet , atque is de ſen-
„tentia non decederet , eum Bæream
„Thraciæ relegari præcepit.

Solutio. Reſpondeo ex Franciſco Romulo in Apologia cap. 8. ubi ſic ait : "jam verò quod

,,quod quarto loco adversarius obijcit ,,de Majorum nostrorum consuetudine, ,,qui Principes multos Hęreticos passi ,,sunt, ut Constantium, & Valentem, ,,Arianos: Anastasium Euthychianum, ,,Heraclium Monothelitam, & si qui ,,sunt alij, ad rem nihil facit: neque ,,enim Ecclesia temerè & inconsideratè ,,potestate suâ debet abuti. Porro non ,,rarò accidit, ut tanta sit quorumdam ,,Regum cum improbitate, ac sævitia ,,juncta potentia, ut Ecclesiastica cen- ,,sura, neque ad eos coërcendos quid- ,,quam prosit, & Catholicis populis, in ,,quos Principes irritati magis sæviunt, ,,plurimùm obsit. Quid enim quæso ,,profuisset quondam Ecclesiæ, si ten- ,,tasset, vel Ostrogothos Reges in Ita- ,,lia, vel in Hispania Wisegothos, aut ,,Wandalos in Africa excommunicare, ,,ac de solio deturbare, quamvis id fa- ,,cere optimo jure potuisset? Quod ,,idem de Constantio, Valente, & alijs ,,supra nominatis intelligi debet. Siqui- ,,dem ea tunc erant tempora, ut potiùs ,,ad Martyrium subeundum Episcopi, ,,quam ad Principes coërcendos parati ,,esse deberent. At ubi vidit Ecclesia suę

„potestati locum aliquem aperiri, vel „cum ipsorum Principum spirituali „utilitate, vel certè sine detrimento, & „pernicie populorum; non sibi defuit; „ut exempla paulò ante allata demon-„strant. Sic enim Ecclesia Leonem „Isauricum Imperij parte, & Henricum „quartum toto Imperio, & Childeri-„cum Regno Franciæ spoliandos esse „judicavit, ut reipsa deinceps, & Leo „parte Imperij, & Henricus Imperio „toto, & Childericus Regno caruerit. „Itaque veteres illos Imperatores Con-„stantium, Valentem, & cæteros, non „ideo toleravit Ecclesia (ut adversarius „somniat) quod legitimè in Imperium „successissent; alioqui enim Leonem „etiam, & Henricum, & Childericum, „qui non minùs legitimè successerant, „pertulisset; sed quod illos sine populi „detrimento coërcere non poterat, istos „poterat". Huc usque Romulus.

Quod *Natalis* ex Nazianzeno protulit, intelligi debet *de facto*, non *de jure*: quod enim adversùs Julianum præter Christianorum lachrymas & Dei Clementiam, de jure remedium aliud Ecclesia non habuerit, clarum est, id dici

aut

aut censeri non posse. Neque id *Natalis* prætendere potest, qui Ecclesiam habuisse potestatem Julianum excommunicandi admittit. Eamdem & in Julianum de jure fuisse potestate instructam, Nazianzenus etiam luculenter tradit in Oratione ad populum irascentem & Præsidem iratum: ubi politicam potestatem jure subjectam esse debere spirituali Pontificum potestati docet, & Imperatorem à Deo suis subsellijs esse subjectum dicit: proinde vult solùm, quod tempore Juliani non habuerit Ecclesia vires sufficientes, quibus furentem illum persecutorem compesceret, ac illius tyrannidi manu validâ resisteret. Quare mirum non est, quod ipsum de solio non deturbaverit. Sed de hoc latiùs infra.

Neque obest quod ex Augustino adduxit. Id enim optimè consistit cum Nazianzeni asserto, si tempora distinguas. Quoniam initio Imperij sui Julianus Christianos tolerabat; nec solos milites Christianos esse patiebatur; sed etiam Episcopos Catholicos, quos Constantius relegaverat, abolitis damnationis illorum tabulis ad suas Ecclesias postlimi-

liminio redire permisit. Quam restitutionem Hieronymus tom. 2. adversùs Luciferianos, testatur dicens: *Omnes Episcopi, qui de proprijs Sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis ad Ecclesias redeunt.* Eadem habent Socrates, Zozomenus atq; Theodoretus. Verùm postmodum, cogebat omnes aut idolis sacrificare, aut militiâ excedere. Ut constat ex Historia tripartita lib. 7. cap. 1. ubi sic habetur. *Iulianus electionem militibus lege proposuit, ut aut sacrificarent, aut militiâ cederent.*

Quod autem de Liberio Papa, *Natalis* adiecit, nempe ipsum se Imperatori subditum professum fuisse in ijs quæ contra Dei & Ecclesiæ leges non pugnarent, perperam colligit ex illis, quæ in probam adduxit. Etenim ex illius colloquio cum Constantio nihil est è quo id possit eruere, nisi ex illis verbis: *Itaque mitte me quo voles*: quibus non subdidit se ejus potestati (quę nulla in ipsum erat) sed permisit se illius impietati, potiùs quã nefariæ sententiæ subscribere: non secus ac gloriosi Martyres se Tyrannorum sævitiæ fortiter submiserunt, quàm fidei Christi renuntiarent.

tiarent. Unde ſequitur: *Biduo poſt Imperator cum Liberium acciviſſet, atque is de ſententia non decederet, eum Beream Thraciæ relegari præcepit.*

Hanc ſibi deponendi Reges poteſtatem non tribuebant ſummi Pontifices tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis ſub Ethnicorum Imperatorum perſecutionibus gementes, & ipſis nihilominus in ijs quæ contra Dei leges non erant obedientiam præſtantes. *Argumentum ultimũ.*

Reſpondeo quod Imperatores & Reges Ethnici non ſubſint Juriſdictioni Eccleſiæ unde Apoſtolus, *Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, judicare?* Quare ex non uſu talis poteſtatis eo tempore, quo vix ullus diadema ſuum Chriſti jugo ſubmiſerat, nihil momenti habetur. Accedit, quod cum Pontifices ſub Ethnicorum perſecutionibus vix reſpirarent, clariſſimum ſit, defuiſſe vires, quibus (etſi ſubditi fuiſſent) hujuſmodi poteſtas exerceretur. Itaque tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis ea auctoritas non defuit, ſed ejus exercitium. Poterat inſuper Eccleſia fideles à dominio infidelium avertere (ut infra ex S. Thoma videbimus) aſt non erat exercitio locus ob Imperatorum potentiam & ſævitiam. *Solutio.*

Quod Pontifices illis obedientiam præſtiterint, paulò ſupra reſponſum eſt. Adde, quod ſi voluntariè parêre non elegiſſent, à quibus de jure ſe norant exemptos, eorum potentiâ ad obedientiam fuiſſent adacti, ſub quorum perſecutione gemebant.

Nemo igitur Gregorij VII. Anteceſſorum Pontificiam in temporalia Regum poteſtatem negavit, plures autem (ut probatum eſt) eam ſibi tribuerunt: Ut proinde clariſſimè conſtet, huic ſanctiſſimo Pontifici merè eſſe impoſitum, quod ipſe Romanorum primus Pontificum ſibi illam poteſtatem tribuerit.

ARTICULUS II.

ASSERTIO SECUNDA.

Gregorius VII. sibi Regum exauctorandorum potestatem tribuit nec contra Patrum doctrinam, nec contra verbum Dei.

HUjus veritatis argumento ſunt viri ſanctiſſimi & doctiſſimi præfato Pontifici coævi, qui ejus ſententias, quibus Henricum IV. Germaniæ Regem Regni adminiſtratione privavit, atque exauctoravit, approbarunt, ac validam & juſtam fuiſſe, conſtanter propugnarunt. Ac in primis S. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus: *Vir litteris* (inquit Urſpergenſis in Chronico) *apprimè eruditus, ingenio acutiſſimus, facundiâ præcipuus, & quod omnibus majus eſt, in Dei timore & ſancta converſatione nominatiſſimus, adeo ut tam in vita, quàm poſt* *Gregorij VII. factorum contra Henricum approbatores & defenſores.* *S. Anſel. Lucenſis.*

mortem referatur clarus miraculis. Pro hujus Pontificis decreto & rebus gestis contra dictum Henricum, & Guibertum Anti-Papam ex Patrum sententijs libros duos conscripsit; ac doctrinam in eis contentam in morte quasi testamento confirmavit, teste Pœnitentiario ejus, qui ubi de sancto ejus obitu agit, cum Gregorio VII. comparans, sic scribit. *Testamentum non fecit, quia unde faceret, non habuit; imitatus etiam in hoc Magistrum, quem pauperem & in exilio novimus defunctum .... Equidem quod in vita sua Magister & Discipulus docuerunt, hoc & in morte quasi testamento confirmaverunt .... Hic præsentibus nobis in verbo Domini præcepit, ut in fide & doctrina Beatissimi Papæ Gregorij permaneamus.* Tam indivulsè eidem Papæ adhæsit, ut ante omnia id studij semper habuerit, *quatenus ipsum* (inquit idem Auctor in ejus vita) *imitaretur in omnibus, adeo ut discrepare ab illo prorsus nollet etiam in aliquo.* Quantùm autem hæc in rebus contra Henricum fuerint ab hoc remota, quod Patrum doctrinæ & verbo Dei essent adversa, comprobant eximia viri Sanctitas, & in vita

patrata

patrata miracula, nec non pretiosa ejus mors in conspectu Domini, quam usque ad diem quinquasimum miracula octuaginta subsecuta sunt.

Sanctus Gebehardus Archiepiscopus Salisburgensis disputans cum Wicelone Archiepiscopo Moguntino coram utriusque partis, Pontificiæ scilicet & Henricianæ, Episcopis & Proceribus, *affirmabat* (inquit Urspergensis in Chronico) *proponente hoc prius Wicelone: Imperatorem non injusto judicio, tam Regno, quam communione, Apostolici sententiâ privatum.* Hoc ipsum acerrimè defendit Stephanus Halverstadensis Episc. S. & doctus in Epist. ad Waltramum (Magdeburgensem uni, Naumbergensem Episc. alteri) in persona Ludovici Thuringiæ Comitis data, quem ille litteris exhortabatur, ut Henrico tanquam Regi adhæreret, eum in finem producto Apostolico illo: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo. Qui autem resistit potestati, Dei Ordinationi resistit*: ac eo conficere præsumpserat: *Rudolphus, Hildebrandus, Eggebertus, & innumeri Principes Dei ordinationi in Henrico Imperatore restiterunt.*

S. Gebehardus Salisburgensis.

Stephanus Halverstadensis.

Quas

Quas sanè Litteras (inquit Dedochinus in Appendice ad Marianum) *prædictus Comes suscipiens, vocato ad se venerabili Stephano (qui & Herrandus) Halverstadensi Episcopo eas tradidit legendas, rogavitque eum, quatenus his diligenti examinatione perspectis, juxta rationem veritatis congruâ obviaret responsione, & linguam blasphemantis, os quoque iniqua proferentis contra justitiam, auctoritate sancti Spiritûs, & testimonio scripturarum obstrueret, & ne ampliùs contra Ecclesiam Dei latratus proferret insanos, & fureret. Venerabilis autem Episcopus secundùm petionem Comitis susceptis litteris, ac diligenti examinatione perspectis, vocato Notario epistolam dictavit*: quâ Waltrami litteras integras efficaciter confutavit; præter alia ei dicens: *Miror autem, si in te vel gutta sanguinis est, quod non erubescis Dominum Henricum Regem dicere.* Et relatis ejus nefandis sceleribus: *Pro quibus nefandis malis*, inquit, *ab Apostolica Sede excommunicatus, nec Regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus, poterit obtinere.* Pro ejusdem rei justitia stetit etiam S. Altmannus Pataviensis Episcopus, *Vir Apostilicæ conversationis*

S. Altmannus Pataviensis.

& magnarum in Christo virtutum. Hi, præter alios infra referendos, se murum validum opposuere numerosæ Schismaticorum turmæ B. Gregorij res gestas certatim sugillantium; qui aut sua impietate obcœcati, aut Henriciano amore fascinati, aut fastu ambitionis abrepti, in eam Sedis Apostolicæ injuriam prorupeiunt.

Quatuor ex his suæ sententiæ patronos *Natalis* producit, ac memoratis Sancti Pontificis defensoribus non modò opponere, sed præferre non erubescit; videlicet Venericum Vercellensem, Waltramum Naumburgensem, sive Nureburgensem, Otbertum Leodiensem cum suo Clero, Episcopos, & Sigebertum Monachum. Verùm horum ipse auctoritatem enervat, dum impietatem prodit.

Gregorij VII. factorum contra Henricũ reprobatores.

Nullius sunt auctoritatis.

Æterno quidem (inquit) *digni sunt vituperio Authores illi, quod Schismate Henrici IV. se polluerint, & Speudo-pontifici adhæserint contra Gregorium VII. Sed laude digni, quod ejusdem Henrici Domini sui Majestatem & Iura tuiti sint, si id servatâ unitate, charitate, & reverentiâ erga Sedem Apostolicam, & legitimum Pontificem fecissent.* Sed

Sed quis credat ea esse Jura Regis, quæ tam impij, reclamantibus sanctissimis, ijsque doctissimis Viris, tuiti sunt? Nemò enim nescit eam esse hominum depravati affectûs conditionem, ut dicant bonum malum, & malum bonum, & lucem tenebras, & tenebras lucem ponant: juxta illud Philosophi. *Qualis quisque est, talis ei finis videtur.* Cui consentaneè Doctor Angelicus in I. ad Corinth. cap. II. Lect. III. scribens, ait: *In omnibus ille, qui rectè se, habet rectum judicium habet circa singula. Ille autem, qui in se rectitudinis defectum patitur, deficit etiam in judicando. Vigilans enim rectè judicat, & se vigilare, & alium dormire; sed dormiens non habet rectum judicium de se, nec de vigilante. Vnde non sunt res tales, quales videntur dormienti, sed quales videntur vigilanti. Et eadem ratio est de sano & infirmo circa judicium saporum, & de debili & forti circa judicium ponderum, & virtuoso & vitioso circa agibilia.*

Incassum igitur Gregorij defensoribus homines adeo perversos *Natalis* opponit & præfert: ac in eo suæ sententiæ derogat, quod, dum tam impios ejus de-

defensores constituit, satis insinuet piorum patronorum defectum.

Cæterum (inquit ipse) *potiores ipsorum fuisse, quàm Gregorij VII. & paucorum in ejus studia abreptorum, rationes, & magis consentaneam Scripturæ Sacræ, Traditioni, & exemplis Sanctorum Pontificum, qui ante Gregorium VII. sederant in S. Petri Cathedra, sententiam, constat ex his; superiùs diximus.*

Præferuntur à Natali.

Respondeo, rem esse planè indignam, & probrosam, quod vir Catholicus non modo viros Sanctos & doctos, sed etiam Romanum Pontificem, *omnium Christianorum Patrem & Doctorem*, Schismaticis in doctrina postponat; quam non ut particularis persona (cui etiam magis oportebat deferri) sed ut Ecclesiæ Catholicæ Doctor proposuit, quemadmodum Articulo postremo probabitur. Horum Impiorum rationes esse potiores constare non potest ex ijs, quæ ipse dixit, nisi cum suis coincidant, sicque impurum fontem declarat, ex quo eas hausisse dignoscitur.

Refellitur.

Gregorij defensores, quos vitæ Sanctimonia & integritas tantopere commendat, ne dicat abreptos, sed suæ sen-

tentiæ

tentiæ patronos: quos fuisse corrupti judicij, nec ipse negare potest, quos constat probasse Gregorij depositionis impijssimum decretum, ac præter calumnias & contumelias in sanctum Virum impactas, Idolum pro vero Pontifice coluisse.

Ne ad vim illarum (pergit ipse) rationum videlicet schismaticorum, *Gregorius VII. Anselmus Lucensis & alij nonnulli attenderent, ac earum pondere vincerentur, humani ingenij tenebræ, opinio præconcepta, Henrici flagitia, tyrannis, schisma prohibuere. At earum examen modestia & reverentia tranquillis temporibus à Gregorio VII. Pontifice, alioquin Sanctissimo, facilè impetrassent. Id conjicere fas est ex ejus voluntate ad mansuetudinem erga Reges aliàs propensâ, cujus specimen promicat in Epist. V. Lib. IX. &c.*

Respondeo quod ipse Art. XII. in Gregorij & Anselmi commendationem ex hujus Pœnitentario hæc laudet. *Ille fons erat, hic quasi rivus bonus ab eo fluebat, & aridam irrigabat: Ille ut caput totum corpus gubernabat, iste quasi manus studiosa quod injunctum est peragebat: Ille sicut Sol illuminavit omnia, Iste velut*

splendor

splendor declaravit singula. Proinde humani ingenij tenebræ ad hos non habuere accessum in ijs, quæ adversùs Henricum & Schismaticos exercuerunt & docuerunt, nec consequenter ad alios ipsis consentientes.

Adversùs Henrici flagitia, tyrannidem & schisma sancto zelo exæstuarunt & quidem in Gregorio *secundum scientiam sancti zeli fervorē* fuisse *Natalis* deprædicat ex Hugone Flaviniacensi loco citato: Zelus autem hujusmodi nequit esse impedimentum suscipiendæ veritatis, sed admittendæ falsitatis. Suæ sententiæ Patronis humani ingenij tenebras & quidem densissimas cum fundamento potest ipse tribuere: quibus cum eò aberrarint, ut falsum pro vero sint venerati, mirum non est, quod pro vero falsum tradiderint.

Gregorij VII. factorum contra Henricū alij approbatores.

Rerum gestarum Gregorij VII. contra Henricum approbator & defensor etiam extitit Herimannus Metensis Episcopus, qui eum in finem scriptis ejusdem Pontificis muniri rogavit, ut patet ex Epist. XXI. Lib. VIII. Item & alij undecim, Germaniæ Præsules Pontificiam sententiam in eumdem Hen-

Henricum latam propugnarunt. Quos & quatuor memoratos, nempe Salisburgensem, Haverstadensem, Pataviensem, & Metensem ex Germania Antistites, Venericus Vercellensis sic impudenter sugillat: *Magna Hæresis, Dei ordinationi resistere, quod constat, quindecim Pseudo-Episcopos fecisse, dum destruere nitebantur Regnum Henrici Regis, ei à Deo collatum.*

Romana item Ecclesia, omnium Ecclesiarum Magistra, cujus tanta, & irrefragabilis est auctoritas, ut, si quæ fuerint de fide exortæ quæstiones, ejus debeant judicio definiri, quemadmodum Gregorius X. declaravit approbante & acceptante Orientali & Occidentali Ecclesiâ in Generali Concilio Lugdunensi, hæc inquam utramque Gregorij VII. sententiam in Henricum latam probavit. De priori P. *Natalis* refert sequentia Art. IV.

Paulus Benriedensis in vita Gregorij VII. refert gravissimam Sancti Pontificis Orationem ad Patres in Synodo congregatos: quâ absolutâ, Sancta & Magna Synodus dixit: "Tua Sanctissime Pater „quem ad regendum nostri temporis

sæcu-

„sæculum divina peperit clementia, „contra blasphemum, invasorem, ty- „rannum, desertorem, talem senten- „tiam proferat, quę hunc conterat, & „futuris sæculis transgressionis caute- „lam conferat. &c. Tandem omnibus „acclamantibus, definitum est, ut „honore Regio privaretur, & anathe- „matis vinculis tam prænominatus Rex, „quàm omnes assentanei sui colligaren- „tur. Acceptâ itaque fiduciâ Dominus „Papa, ex totius Synodi consensu & „Judicio protulit anathema. *Hanc Gregorij VII. & Synodi Romanæ in Henricum Regem sententiam referunt Paulus Benriendensis, in ejus vita, & Bruno in lib. de Bello Saxonico, legiturque Tom. IX. Concil. Ædit. P. Labbe pag. 355. Incipit his verbis*: "Beate Petre Apostolorum „Princeps, *& post longam satis invocationem sic habet.* "Hac itaque fiducia „fretus, pro Ecclesiæ tuę honore & „defensione ex parte Omnipotentis „Dei Patris & Filij & Spiritûs Sancti, „per tuam potestatem & auctoritatem „Henrico Regi filio Henrici Impera- „toris, qui contra Ecclesiam tuam in- „auditâ superbiâ insurrexit, totius

Henricus judicio totius Synodi Romanæ administratione Regni privatus.

„Regni Teutonicorum, & Italiæ gu-„bernacula contradico, & omnes Chri-„ſtianos à vinculo juramenti, quod ſibi „fecere, vel facient abſolvo, & ut nullus „ei ſicut Regi ſerviat, interdico. Dig-„num eſt enim, ut qui ſtudet honorem „Eccleſiæ tuæ imminuere, ipſe hono-„rem amittat, quem videtur habere. Et „quia ſicut Chriſtianus contempſit obe-„dire, nec ad Dominum redijt quem „dimiſit, participando excommunicatis, „& multas iniquitates faciendo, meaque „monita, quæ pro ſua ſalute ſibi miſi, „Te teſte, ſpernendo, ſeque ab Eccleſia „tua, tentans eam ſcindere, ſeparando; „vinculis eum anathematis vice tua „alligo". *Suſpenſum duntaxat à Regni adminiſtratione Henricum iſtius Concilij, Romanique Pontificis ſententiâ, non depoſitum, probat Hiſtoriæ ſeries: nec aliud ibi ſignificat ſubditorum abſolutio à juramento fidelitatis, aut depoſitionis nomen, quo utuntur Hiſtorici. Exauctoratumque namque penitus non fuiſſe Henricum ante Annum M. LXXX. in ſeptima Synodo Romana Gregorij VII. Acta iſtius Synodi, & lata in ea ſententia demonſtrant.* Hæc *Natalis: qui id factum gloſſet pro ut libuerit, nobis ſufficit,* Syno-

Synodum Romanam hanc ſententiam probaſſe, ac ex ejus Judicio eſſe latam, quæ juxta ipſius opinionem, Patrum doctrinæ & Verbo Dei adverſatur; ut hinc etiam pateat, quantùm à veritate aberret. De altera in Henricum ſententia Art. VIII. hæc idem Author commemorat.

Anno Chriſti milleſimo octogeſimo Indictione III. Gregorius VII. Concilium Romæ celebravit, quod inter ejus Concilia ſeptimum numeratur. Ad quod Legati Rodulphi Regis & Teutonicorum Principum, novas quærimonias adverſus Henricum Regem protulerunt. Quibus relatis ſubdit: *His excitatus Pontifex, ſententiam excommunicationis & exauctorationis in Henricum Regem protulit,*" auſcultante & „aſpirante Concilio" (*inquit Paulus Benriedenſis*) cum ſcilicet (ut refert Art. VII.) ſextæ Romanæ Synodi quàm plures decreviſſent, in Henrici tyrannidem gladium Apoſtolicum debere evaginari, & Apoſtolica manſuetudo diſtuliſſet in annum ſequentem. *Verba ſententiæ Palmaria ſunt hæc*, quæ præſenti inſtituto deſerviunt. "Quapropter con„fidens de judicio & miſericordia Dei,

Henricus judicio Romanæ Synodis exauctoritatus.

„ejusque pijssimæ Matris semper Vir-
„ginis Mariæ, fultus vestrâ auctoritate,
„sæpe nominatum Henricum, quem
„Regem dicunt, omnesque fautores
„ejus, excommunicationi subijcio, &
„anathematis vinculis alligo: & iterum
„Regnum Teutonicorum & Jtaliæ
„ex parte Omnipotentis Dei & vestra
„interdicens ei, omnem potestatem &
„dignitatem illi Regiam tollo, & ut
„nullus Christianorum ei sicut Regi
„obediat, interdico, omnesque qui ei
„juraverunt, vel jurabunt de Regni
„dominatione, à juramenti promissione
„absolvo. . . . ut autem Rodulphus
„Regnum Teutonicorum regat, &
„defendat, quem Teutonici elegerunt
„sibi in Regem, ad vestram fidelitatem
„ex parte vestra dono, largior & con-
„cedo omnibus sibi fideliter adhærenti-
„bus absolutionem omnium peccato-
„rum. . . . Sicut enim Henricus pro sua
„superbia, inobedientia, & falsitate à
„Regni dignitate justè abijcitur, ita
„Rodulpho pro sua humilitate, obe-
„dientia & veritate potêstas & dignitas
„Regni conceditur". *Extat hæc sententia in Collectionibus Conciliorum in actis Romana*

Rodulphus in Regem Germaniæ Henrico suffectus.

mana Synodi septima sub Gregorio VII. in cujus etiam vita illam exhibet Paulus Benriedensis. . . . Secundum hæc Gregorius Coronam Rodulpho Regi misit cum hac inscriptione.

ROMA DEDIT PETRO, PETRUS DIADEMA RODULPHO.

HÆc cum ita sint, quis capiat, quod vir Orthodoxus Romanam Ecclesiam synodaliter congregatam sibi refragantē sustineat, & quod majus est, ipsam dissonantiæ à verbo Dei & Patrum doctrina audeat incusare? Hoc quidem disertis verbis *Natalis* non exprimit: verùm cum ejus Pontificis sententiam, ab ipsa approbatam ac ex ejus judicio latam taliter insimulare præsumpserit, eamdem & sic accusare convincitur.

Longè aliter de hoc sancto Pontifice sensit Ivo Carnotensis, sanctissimus & gravissimus Ecclesiæ Gallicanæ Præsul, illius quidem tempore florescens, licet nondum ad Episcopalem dignitatem elevatus, sed ab Urbano II. anno à Gregorij obitu septimo ex Præposito Bello-

vacensi S. Quintini, consecratus Carnotensis Episcopus. *Quod faciendo Vrbanus* (inquit Cardinalis Baronius ad ann. M.LXXXXII. Num. II.) *planè lucernam ardentem perspicuam universo Occidentali Orbi super Candelabrum collocavit.* Gregorij sententiæ in Henricum accusationem à viro Catholico minimè esse expectandam, Laudunensi Episcopo Epist. 239. luculenter insinuat. *Quod si Reges*, inquit, *aut Imperatores à Pontificali judicio eximere tentaveris; recurre ad Magnum Constantinum, qui in Nicano Concilio, præsente Papa Silvestro per Legatos, hujusmodi verba legitur habuisse. Vos*, inquit, *Episcopi à solo Domino judicandi estis. Non ait, ego & vos à solo Domino judicandi sumus: cum enim solos excludit Episcopos, se procul dubio & omnes Reges Ecclesiastico subdit judicio. Numquid culpas factum clarissimi Doctoris Ambrosij qui Theodosium Imperatorem ob suam culpam excommunicavit? Numquid incusas Gregorium septimum, qua Regem Henricum ob sua scelera damnavit?*

Ivo Carnotensis Gregorij VII. factorum contra Henricũ approbator.

Sed quid, si affirmando respondisset, & Gregorium contra Patrum doctrinam, imò contra Verbum Dei hanc sibi tribuisse

buiſſe poteſtatem, aſſeruiſſet, quid, inquam, ipſum illi reſcripturum fuiſſe, cum fundamento conjecturari licet? Haud certè minus, quàm quod Richerio Archi-epiſcopo Senonenſi (qui ipſum ab Urbano II. conſecratum Gaufredi Sedem invaſiſſe, aſſerere præſumpſerat) Epiſt. 18. idem Præſul perſcripſit: *In quo manifeſtè*, inquit, *contra Sedem Apoſtolicam caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos quantùm in vobis eſt, deſtruitis, & quod illa deſtruxit, vos ædificare contenditis. Cujus judicijs & conſtitutionibus obviare, planè eſt Hæreticæ pravitatis notam incurrere, cum Scriptura dicat: Hæreticum eſſe conſtat, qui Romanæ Eccleſiæ non concordat.*

Præclarè item ſentit de Gregorij rebus geſtis contra Henricum Gilbertus Genebrardus, natione Gallus, Theologus Pariſienſis, Divinarum, Hebraicarumque Litterarum in eadem Academia plures annos Profeſſor Regius, vir ſui ſæculi doctiſſimus, & Hæreticorum expugnator acerrimus, cum ſapientiæ & zeli ſui ſpecimen inſigne dediſſet, Archi-præſul Aquenſis creatus. Et quidem de priori præfati Pontificis in illum *Etiam Genebrardus Archiepiſcopus Aquenſis.*

Regem ſententia Chronographiæ lib. IV. *Henricum* IV. (inquit) *multa in Eccleſiâ temerè molientem omni priùs privatum Imperatoriâ adminiſtratione anathemate percutit, nec abſolvit, donec depoſito Regio ornatu, nudis pedibus, quamvis aſperrima eſſet hiems, & gelu cuncta rigeſcerent, ad ſe veniret petens veniam, & pollicens integram obedientiam & emendationem. Vir dignus Pontificatu ad deprimendum Politicorum ſupercilium. Monarchas terruit nominis ſui & zeli claritate. Captivitatem Eccleſiæ & ſervitutem, quam à principibus patiebatur, reſtituit, ululantibus Centuriatoribus. Cultor & defenſor juſtitiæ, & libertatis Eccleſiæ propugnator acerrimus: Miraculis coruſcavit. Signa & prodigia per orationes faciebat, dono Prophetiæ præditus, ſemper in Eccleſiaſtico rigore conſtanſtiſſimus, inter Romanos Pontifices præcipui zeli & auctoritatis. Soli Centuriatores reclamant.*

De poſteriori autem ſententia (quæ & exauctorationis eſt) eodem loco ſic ait: *Abſolutus* (Henricus) *non diu permanſit in jurejurando, ut proinde eum denuo excommunicare oportuerit, & in ipſius caput juſtè ea attrahere, ob quæ miſeri* Cen-

Centuriatores cœlum, terramque contra Christi Vicarios obtestantur.

Item Illustrissimus & doctissimus Cardinalis Perronius Archiepiscopus Senonensis bene sensit de ejusdem Papę gestis contra Henricum, ac in Oratione adversùs tertium Regni Francici Ord. pro vindicanda Romani Pontificis in Regum Sceptra potestate, assentiente & applaudente venerabili Clero & Illustri Nobilitate Galliæ, inter Pontificum gesta ad Reges coërcendos, priorem in præfatum Regem sententiam laudavit. dictus autem Ordo in sua Responsione partem adversam propugnans, eam non incusavit. Sed è cœlo testimonium requiramus.

Item Cardinalis Perronius Archiepiscopus Senonensis.

Gregorij VII. res gestæ divinitus comprobatæ.

IPse P. *Natalis* in Hist: sæculi XI. part I. Art XI. luculentum hujus rei testimonium perhibet. De hoc namque Pontifice ibidem refert, quod sequitur. *Dum Missarum solemnia perageret, visa est à viris pijs columba è cœlo delapsa hu-*

mero

Visio cœlestis de Gregorij VII. ostensa.

mero ejus dextero insidens, alis extensis caput ejus velare.: quo significatum est, Spiritus Sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine, ut Paulus Benriedensis in ejus vita commemorat.

Ponderatur.

Quid ergo Sanctum Pontificem in Ecclesiæ regimine tam turpiter & graviter errasse contendit, ut scilicet in gravissima materia usurpaverit judicium & potestatem? Negari enim non potest, quin in Henricum IV. Germaniæ Regem ferendo sententias, administrarit Ecclesiam (etsi malè juxta ejus Osores) Illas namque in Synodis à se coactis sanxit & promulgavit pro Rege ad officium revocando, pro ove scabiosâ, ne alias inficeret, ab Ovili Christi separanda, pro nefandis malis & scandalis ab Ecclesia eliminandis. Cum ergo in ejus regimine ductum asserat *Spiritus Sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus*, ipsius facta contra dictum Regem, justa & sancta deprædicare debet, ac venerari, nec sine in consequentiæ nota incusare potest, ut facit. Præcipuè, cum pene continuum eidem Papæ adversùs Reges negotium fuerit pro eorum

rum correctione: nunc Philippo Francorum Regi comminando ſubditorum ab ejus obedientia exemptionem, & Regni ademptionem, nunc Boleſlaum Poloniæ Regem degradando, nunc Henricum IV. priùs adminiſtratione Regni privando, poſtmodum exauctorando, in quibus ſententijs ad mortem uſque perſtitit.

Pro ampliori notitia hujus cœlitus datæ probationis ſcire oportet, eam contigiſſe, poſt latas omnes in Henricum ſententias. Quo tempore graviſſimâ perſecutione urgente, ab Urbe Gregorius recedens, Caſſinum primùm advenit, ubi de illo cœleſtem hanc viſionem fuiſſe oſtenſam Leo Oſtienſis lib. 3. cap. 53. ſic narrat.

Ampliùs declaratur

"Factum eſt autem cum idem Papa „Gregorius Miſſarum Solemnia cele„braret, vir quidam Joannes nomine „juxta Altaris crepidinem immobilis „perſtitit. Cumque ad Altare deflexiſſet „obtutus, ſubito in extaſim raptus, ni„veo candore columbam, cujus erat „aureum guttur, ſupra eamdem aram „aſtare conſpexit. Quæ inde leviter „advolans ac ſupra dexterum Pontificis hume-

„humerum recubans, alis protinus ex-
„pansis, utrumque protextit, ac tam
„diu sic perstitit, quo ad usque com-
„mixtio Dominici Corporis & Sangui-
„nis in calice fieret. Iterumque se in
„dexterum humerum colligens, inde ad
„altare descendit, caput blandè super
„hostiam flectens, viro illo quid hæc
„sibi vellent, non intelligente, cum
„volatu præcipiti pleno rostro remeavit
„ad cœlum.

„Post hæc homo ille in se rediens,
„nulla penitus hujus rei vestigia memo-
„riâ tenuit. Nocte verò subsecuta cum
„se sopori dedisset, vir quidam illustri-
„or sole, minaci vultu in medio suæ
„domus hospitio eidem apparuit. Quo
„ille viso, de strato exiliens terrore
„correptus, fugam tentat arripere. Vir
„autem ille porrecta manu continuit
„brachium ejus suaviter tenens. Cum
„autem ejus manus nequiret effugere,
„ac si vinctus stetit invitus: ad ejus
„mox auxilium quidam niueâ canitie
„aspersus, indutusque stolâ candidâ af-
„fuit, ejusque mœrorem consolans, de
„manu se tenentis eripuit. Quem ille
„quisnam hic esset tantæ charitatis vir,
quæsi-

„quæsivit intrepidus. Hic, inquit, est „sol justitiæ: Et ille, nomen quoque, „ait, tuum inquirenti similiter pande. „Nequaquam, ait ille, scire te oportet „nomen meum: sed mihi ad interroga„ta responde. Putasne recolis, quid „heri dum in Ecclesia adstares, vidisti? „& ille, cujus animum occuparat obli„vio, cœpit intra se volvere quidnam „esset, quod ab eo senior quæreret, subi„tòque reminiscens, cuncta sibi, quæ „viderat, ex ordine retulit. Et ille: „Vade, inquit, celeriter, & hoc ipsum „auribus Papæ intimato, ut constanter „vigore Sancti Spiritûs, quod cœpit ex„equatur. His dictis ab oculis ejus ela„bitur". Huc usque Leo.

At quid columba visio in Pontifice (sic eam expendit Cardinalis Baronius ad annum 1084. num. 12.) *nisi Spiritûs Sancti eum instinctu regi & gubernari? Quid insuper illud, quod eidem nuntiari mandatur, ut vigore Sancti Spiritûs, quod cœpit, exequatur, nisi manifestum divino oraculo reddi, quæ ab eo hactenus gesta essent, ejusdem Spiritûs Sancti opere bene facta probari? Quàm ista opportuno tempore sint mortalibus divino consilio declarata,* *Amplius expenditur*

rata,

rata, cum non apud Schismaticos tantùm, verùm apud Catholicos tunc viventes, & qui postea futuri essent, ejusdem Pontificis fama in suspicionem nimiæ austeritatis adduceretur, periclitareturque proscissum tanti Pontificis nomen? De quo adversùs obloquentes & detrahentes illud Apostolicum pro defensione liceat usurpare. QUIS STABIT ADVERSÙS ELECTOS DEI? DEUS QUI IUSTIFICAT, QUIS EST QUI CONDEMNET? *ut quod divino calculo rectè probari posset, non auderet humana temeritas sugillare: ut sic ora loquentium mendacium obstruerentur, qui ipsum Gregorium in fine, obitûs tempore, pœnituisse facti, mentiti sunt in suo ipsorum Conciliabulo Guibertini, ex quo Sigebertus, qui narrat de Gregorij pœnitentia, noscitur descripsisse:* & oppilarentur sugillantium fauces, qui eumdem Gregorium assererent, egisse contra Patrum doctrinam, imò contra & verbum Dei, Regem Henricum exauctorando. *Quomodo ergo potuerunt ipsi displicuisse, quæ adversùs Schismaticos gesserat, ac pœnituisse exantlati laboris & bene functi certaminis,* ac refragatum fuisse Traditioni, & Verbo Dei, *qui ut vidisti di-*

ad Rom. 8.

vigore

vinitus monitus fuerat, ut constanter, quæ vigore Sancti Spiritûs cœperat, facere pergeret?

Gregorij VII. Sanctitas Asserto R. P. Natalis Alexandri Opposita.

SAnctitatem Gregorij eximiè hic Author commendat: quod divino consilio actum existimo, ut tam præclara ex Scriptoribus ipse produxerit, quibus sua contra Sanctum Virum assertio sine negotio rueret.

Non solùm intrusionem, inquit art. 12. *sed nefaria crimina Gregorio VII. objiciebant Schismatici, quæ Benno Pseudo-Cardinalis in virulentum opus suum congessit, & quæ vel commemorare piget. Putidas enim calumnias fuisse, probat Gregorij vindicata sanctitas, patrata ab ipso miracula & graviorum testimonia Scriptorum. Lambertus Schafnaburgensis:* "Papa, *inquit,* tam eximiè, tamque Apostolicè „vitam instituebat, ut nec minimam „sinistri rumoris maculam conversatio„nis ejus sublimitas admitteret....

Signa

„Signa etiam & prodigia, quæ per ora-
„tiones Papæ frequentius fiebant, &
„zelus ejus ferventissimus pro Deo &
„Ecclesiasticis legibus, satis eum contra
„venenatas detractorum linguas com-
„municbant."

Veritas & justitia numquã ori ejus defuit.

Sancti Anselmi Lucensis Pœnitentiarius in ejus vita, Gregorij VII. sanctitati testimonium perhibet: "Cum *inquit*, de om-
„nibus finibus sæculi ad eum fieret con-
„cursus, ritè omnibus satisfecit: veri-
„tas verò & justitia nunquam ori ejus
„defuit: imò quod magis est miran-
„dum, in ipsis sæcularibus negotijs sæ-
„pius excessit mente, exhilarato spiritu
„suo cœlesti contemplatione: qui, si
„privatus interdum extiterit, revelatio-
„nibus etiam divinis jucundatus est, &
„confortatus. *Et infra de illius miraculis*
„*scribit*: miracula quæ per eum opera-
„tus est Dominus, alia quidem vidimus,
„alia ab idoneis testibus audivimus".

S. Anselmi Lucensis summa virtutum quod ipsi consentiret in omnibus.

Et cap. V. summam virtutum S. Anselmi in eo ponit, quod Gregorium VII. Magistrum suum fuerit imitatus: "ante om-
„nia, *inquit*, id studij semper habuit,
„quatenus primum Magistrum suum
„Papam Gregorium imitaretur in om-
nibus,

„nibus, adeo ut discrepare ab illo prorsus nollet etiam in aliquo. Ille fons „erat, hic quasi rivus bonus ab eo fluebat, & aridam irrigabat: ille ut caput „totum corpus gubernabat, iste quasi „manus studiosa quod injunctum est „peragabat: ille sicut sol illuminavit „omnia, iste velut splendor declaravit „singula, ille moriens mitram capitis „sui transmisit isti, tanquam potestatem suam ligandi & solvendi, sed & „miracula, credo, faciendi: nam non „multo post, cognoscentibus nobis „omnibus per ipsius consilium & fidem „magnam, præclara quædam fecit Deus „per eamdem mitram miracula. Inter „alia enim reverendissimus Dominus „Ubaldus, Mantuanus scilicet Episcopus, multis jam annis gravissimè phreneticus, toto corpore ulceratus, apposita eâdem mitrâ ubi major ingruerat „dolor, pristinæ redditus est sanitati.

S. ipse Anselmus in Commentario super Psalmos in secundum Psalmum ad illa verba, adstiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus, *ita scribit de Henriciano schismate & per-*

secutione Gregorio VII. illata: "Reges
„terræ, membra videlicet ejus, qui reg-
„nat super omnes filios superbiæ, non
„solum venerunt, sed & astiterunt &
„exercitu suo Romanam Ecclesiam ob-
„sederunt, & Principes sacerdotum con-
„spirantes convenerunt in unum contra
„S. Petrum & contra Vicarium ejus
„Gregorium, imò ipsum, qui dicit, qui
„vos tangit, me tangit, iterum crucifi-
„gunt Filium Dei. Nonne tibi videntur
„Principes Sacerdotum in domum Pi-
„lati colligere concilium, ut Christum
„morti tradant, cum tot falsos testes
„contra summum Pontificem Henricus
„adornavit, cum omnes clamant: *Reus
„est mortis.* Nonne iterum Barrabas eli-
„gitur, & Christus sub Pilato morti ad-
„dicitur, cum Ravennas Guibertus eli-
„gitur, & Papa Gregorius reprobatur?
„Nonne tibi videtur iterum Pilatus ma-
„nus suas lavisse & dixisse, *mundus ego
„sum à sanguine hujus: nullam in eo cau-
„sam invenio*: quando simulatâ pœni-
„tentiâ Henricus adoravit summum
„Pontificem: deinde falsis Episcopis
„suis dixit: *secundum legem vestram ju-
„dicate eum.* Ampliùs, *Dirumpamus
vincula*

Ab omni culpa immunis.

„*vincula eorum & cat : opprimamus*, in-
„quiunt, *virum justum, quoniam contra-
„rius est operibus nostris. Si enim dimiseri-
„mus eum sic, venient Romani & tollent
„nostrum locum & gentem:* Si Papa Gre-
„gorius vixerit, mittet contra nos prędi-
„catores veritatis, qui discutientes vi-
„tam & actus nostros eripient oves
„Christi de panibus nostris & justè di-
„ripient spolia nostra & dimittent Ec-
„clesiam facientibus fructum in ea". *Hæc refert Benriedensis suppar Gregorio VII. in ejus actis, in quibus ipsius sanctitatem & miracula commendat.*

Hugo flaviniacensis in Chronico virdunensi loquens de sanctissimi Pontificis secessu Salernum (qui contigit post exauctorationem Henrici) *ait* : "Confortabatur
„autem in Domino, & prosperabatur
„in spiritu, quia sicut omnia adversa
„habet, qui sibi displicet, ita & quem
„non remordet conscientia pura, sim-
„plex, lucida, nullo bono indiget. Re-
„memorabatur Prædecessorum suorum
„Romanorum Pontificum, Gregorij,
„Leonis, & aliorum, qui quantò per-
„fectiores in via Dei fuerunt, tantò
„à Romanis gravius insectati sunt, &

 ideo

Incedebat securus per justitiæ semitas.

„ideo digni inventi sunt. Simplex oculus corpus reddebat lucidissimum. Incedebat securus per justitiæ semitas, cui „testimonium perhibebat conscientia, „quod pro defensione veritatis patiebatur, ideo non tribulabatur. Videbat „& sollicitus secum retractabat, quia „si Papa cum Deo esse vult, pauper & „inops efficietur: qui autem volet esse „cum sæculo, ut quęrat quę sua sunt, „non quę Jesu, à simonia manum non „cohibeat, iniquitati faveat, congregandis peccunijs inhiet, hic ditabitur „opibus, & superabundabit.

„Ideo paupertatem Christi non habentis in corde pravorum, ubi caput „reclinet, tanto magis appetebat, quanto „mammonæ furentis & illicientis fallaces & non veras aspernabatur divitias. „Adstringebatur enim in utroque humero velamine superhumeralis, qui „contra adversa & prospera virtutum „semper ornamento muniebatur, & ad „sola quæ anteriora sunt, nitens, in „nullo delectationis infimæ latere flectebatur."

Gregorij VII. sanctitati testimonium etiam perhibet Otto Frisingensis lib. 6. Chronic.

Chronic. cap. 34. *ubi de ipſo ita ſcribit.* "Ipſe qui per multum temporis ad libertatem Eccleſiæ obtinendam privatus laboraverat, jam ad ſacerdotalem dignitatem provectus, à cepto deſiſtere indignum ducens, tam pro hoc, quam pro ſimonia extirpanda, ac incontinentia Clericorum reprimenda plurimum deſudabat. Denique non ſolum Regem pro hujuſmodi ad ſynodalia reſponſa crebro vocavit, ſed & datis decretis, Clericorum à Subdiaconatu & ſupra connubia in toto orbe Romano cohibuit: formaque gregis factus, quod verbo docuit exemplo demonſtravit, ac fortis per omnia Athleta, murum ſe pro domo Domini ponere non timuit." *Et cap.* 36. *de illius obitu ita loquitur.* "Porro Gregorius Salerni manens appropinquante vocationis ſuę tempore dixiſſe fertur: Dilexi Juſtitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Quia ergo in Principe ſuo Regnum ab Eccleſia præciſum graviter percuſſum fuit, Eccleſia quoque tanto Paſtore, qui inter omnes ſacerdotes & Romanos Pontifices præcipui zeli ac auctoritatis erat, or-

bata, dolorem non modicum habuit.

Ejusdem Pontificis sanctitatem commendat Bertoldus Constantiensis Presbyter in appendice ad Chronicon Hermanni contracti. "Sed jam, *inquit*, Deus omni-„potens famulum suum Gregorium Pa-„pam nolens diutius laborare, imo pro „laboribus suis dignè remunerare vo-„lens, de hujus vitæ ergastulo convo-„cavit: nam aliquanto tempore gravi-„ter corpore infirmatus, sed in defen-„sione justitiæ usque ad mortem fir-„missimus, Salerni diem clausit extre-„mum. De cujus obitu omnes Reli-„giosi utriusquè sexus & maximè pau-„peres doluerunt. Erat enim Catholicæ „Religionis ferventissimus institutor, & „Ecclesiasticæ libertatis strenuissimus „defensor. Noluit sanè ut Ecclesiasticus „ordo manibus Laïcorum subijaceret, „sed eisdem & morum sanctitate & or-„dinis dignitate præemineret. Post-„quam autem in gubernatione sedis „Apostolicæ imo totius Ecclesiæ duode-„cim annos & unum mensem legitimè „decertavit tandem ex hac luce anno „M. LXXXV. Indictione octava VIII „Kall. Junias subtractus supernæ voca-tionis

In defensione justitiæ usque ad mortem firmissimus.

„tionis bravium accepiſſe, non dubita-
„tur."

Ejuſdem Pontificis integritatem ac ſanctimoniam prædicat Guilielmus Apulienſis lib. V. rerum in Apulia ac Regno Neapolitano Normannicarum.

„Vir venerabilis hoc in tempore Papa Salerni.
„Gregorius moritur quem nec perſona, nec auri
„Unquam flexit amor: juſtum ſervare rigorem
„Semper propoſuit: nec cor dare læta valebant
„Abſque modo lætum nec triſtia reddere mæſtum
„Solator mæſti, lucis via, doctor honeſti,
„Legibus arcebat tumidos, humileſque fovebat.
„Terror iniquorum, clypeus fuit ille proborum:
„Atque ſalutiferi ſpargendo ſemina verbi,
„Nunquam ceſſavit Populum revocare fidelem

„A vitijs : ad eos quibus itur ad æthera mores
„Vitaque doctrinæ non discordare solebat.
„Non fuit instabilis vel arundineæ levitatis.

Willelmus Malmesburiensis lib. III. de gestis Regum Anglorum in Willelm I. Gregorij VII. sanctitatem fuisse tantam testatur, ut & cordium arcana interdum noverit, & visionibus divinis recreatus sit, & miracula patraverit, dum adhuc Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus esset. Quæ se ab eo accepisse testatur author, qui ea ex ore S. Hugonis Cluniacensis Abbatis audivisse jurabat. De ejus verò obitu mentionem faciens ait: "ita obijt vir apud Deum „felicis gratiæ, apud homines austeritatis „fortassis nimiæ". *Alios omitto scriptores gravissimos à Cardinali Bellarmino, & à P. Gretsero S. I. professore doctissimo in Apologia Gregorij VII. laudatos. Ipsorum namque testimonijs illustrius est ac firmius illud Romanæ Ecclesiæ in suo Martyrologio ad diem Maij XXV.* "Salerni depositio „Beati Gregorij Papæ septimi Eccle„siasticæ libertatis propugnatoris ac de-

fensoris

„ſenſoris acerrimi." *Ex quibus omnibus exploratum eſt, meras eſſe calumnias atque convitia, quæ à Bennone pſeudo-Cardinali ſchiſmatico referuntur, & quæ à conjuratis ſchiſmaticis objecta ſunt Gregorio VII. crimina:*

Et à veritate alienum, quod ipſe ſibi Regum exauctorandorum tribuerit poteſtatem contra Patrum doctrinam & verbum Dei: quod probatione non eget, ſi flagitiorum immanitas expendatur, quorum contraxiſſet reatum, ſi eâ poteſtate caruiſſet. Enim verò quàm enorme injuſtitiæ crimen, in hypotheſi uſurpati judicij & poteſtatis, admiſiſſet, exauctorationis ſententiam in Henricum ferendo, nemo communiſſima naturæ Principia conſulens, ignorare permittitur. Graviſſimè item deliquiſſet, dum eumdem antea privavit omni adminiſtratione Regni, ſubditos à Sacramento fidelitatis abſolvit, & ne ipſi parêrent inhibuit, ac in ſua ſententia ita perſtitit, ut licet anno elapſo illum in communionis gratiam, & ſinum S. Matris Eccleſiæ receperit, Regnum tamen illi non reſtituerit, ut fatetur in ſententia in eumdem lata in VII. Romana Syno-

do.

do. Grandem item culpam commisisset, ob firmatam exequendi voluntatem adimpletâ conditione, dum ante hæc Philippo Francorum Regi subditorum ab ejus fide & obedientia exemptionem, & Regni privationem, si in nequitia perduraret, ut videre est Lib. I. Regist. Epist. XXXIII. & lib. II. Epist. V. & XVIII. Item dum Boleslaum Poloniæ Regem Regno privavit.

Accedit ad numerum criminum, quod gravissimorum malorum ac peccatorum auctor, aut reus extitisset, quæ occasione istorum factorum oborta sunt, & perpetrata. Siquidem juxta Theologiæ principia, mala sive culpæ sive pœnæ ex injusta actione sequi nata, ponenti actionem attribuuntur, quæcumque manant.

Et Regum autem depositione *maxima* (inquit *Natalis* pag. 361.) *in Republica perturbationes cædesque innumeræ consequi solent, ut satis probat Gregorij VII. & Henrici IV. Germaniæ Regis, Historia:* quin & mala occasione depositionis ejusdem Regis orta adducit, ut illam usurpatam ostendat: Igitur juxta ejus sententiam, dicendus est prælibatus

libatus Pontifex plurimorum, graviſſimorumque criminum reus, ac perconſequens hæc cum eximia ejus Sanctitate tantopere ab ipſo deprædicata minimè conſiſtit.

Quare Waltramus Magdeburgenſis vel Naumbergenſis Epiſcopus ſibi conſtans Ludovico Thuringiæ Comiti ſcripſit: *Rodulphus, Hildebrandus, Eggebertus & innumeri Principes Dei ordinationi in Henrico Imperatore reſtiterunt: & ecce quaſi non fuerint perierunt, quia profectò neceſſe eſt, malam fuiſſe principium, quorum finis peſſimus ſubſecutus eſt.* Et Sigebertus veritus fortaſſe poſtremum aſſerere, aliud figmentum ſuæ pariter opinioni conforme prodidit, hujus videlicet Pontificis pœnitentiam, ad annum M.LXXXV. dicens: "Hildebrandus Papa qui & Gregorius VII. apud Salernum exulans moritur. De hoc ita ſcriptum reperi (in Guibertino Conciliabulo) volumus vos ſcire, qui Eccleſiaſticæ curæ ſolliciti ſitis, quod Dominus Apoſtolicus Hildebrandus, qui & Gregorius, nunc in extremis poſitus, ad ſe vocavit unum de duodecim Cardinalibus, quem multum dili- *Figmentum de Gregorij VII. Pœnitentia.*

gebat

„gebat præ cæteris, & confessus est
„Deo, & S. Petro, & toti Ecclesiæ, se
„valde peccasse in Pastorali cura, quæ
„ei ad regendum commissa erat, &
„suadente Diabolo contra humanum
„genus odium & iram concitasse. Po-
„stea verò sententiam, quæ in Orbe
„terrarum effusa est, pro augmento
„Christianitatis cœpisse dicebat. Tunc
„demum misit prædictum Confessorem
„ad Imperatorem, & ad totam Eccle-
„siam, ut optaret illi Indulgentiam,
„quia finem vitę suę aspiciebat, & tam
„citò induebat se Angelica veste: &
„dimisit ac dissolvit vincula omnium
„bannorum suorum Imperatori, &
„omni populo Christiano vivis & de-
„functis, Clericis & Laicis, & jussit
„suos abire de domo Deoderici, & ami-
„cos Imperatoris ascendere."

Refellitur à Natali. *Sed graviorum* (inquit *Natalis* Art. 18.) *& coævorum etiam Auctorum testimonio refellitur Sigebertus. Primò Paulus Benriedensis in vita Gregorij septimi à P. Gretsero S. I. edita ubi de ejus obitu agens ita scribit.* "Interea Pontifex Beatus
„Gregorius super his quos excommuni-
„carat requisitus si quam dispensationem
facere

„facere vellet respondit : prçter Henri-„cum Regem dictum , & Guibertum „Apostolicç sedis invasorem , & omnes „illas principales personas, quç aut con-„silio aut auxilio favent nequitiç vel „impietati illorum, omnes absolvo & „benedico quicumque me hanc habere „specialem potestatem in vice Aposto-„lorum Petri & Pauli credunt indubi-„tanter. . . . . . . ubi vero in extremo „positus erat ultima verba ejus hçc fue-„runt : dilexi Justitiam & odi iniqui-„tatem , propterea morior in exilio."

Secundò Pœnitentiarius S. Anselmi Lucensis in ejus vita ubi de sancto ejus obitu agit, disertè refellit Sigebertum: S. quippe Anselmum cum Gregorio VII. comparans ita scribit : "Testamentum non fecit, „quia unde faceret non habuit , imitatus „etiam in hoc magistrum, quem & in „exilio novimus defunctum : qui etiam „in extremis suis, sicut ab ipsius Capel-„lanis didicimus religiosis , post omnia „inquit , *dilexi Iustitiam & odio habui* „*iniquitatem* , *idcirco morior in exilio.* „Equidem quod in vita sua magister & „discipulus docuerunt hoc & in morte „quasi testamento confirmaverunt.

Ille

„Ille quos obedientes ſibi vivens adhuc
„benedixit, moriens quoque Domino
„precibus commendavit: Henricianos
„verò penitus penituſque niſi poſt mag-
„nam demum pænitentiam & conver-
„ſionem, reprobavit. Hic pręſentibus
„nobis in verbo Domini pręcepit, ut in
„fide ac doctrina Beatiſſimi Papę Gre-
„gorij permaneamus."

Tertiò. Hugo Flaviniacenſis Abbas in Chronico Virdunenſi Gregorij VII. obitum his verbis commemorat. "Sciens ergo
„imminere diem vocationis ſuę, longè
„ante convocatis Cardinalibus, Epiſco-
„pis, & cæteris concaptivis, diem obi-
„tus ſui prędixit, conſummatiſque om-
„nibus Eccleſiaſticę inſtitutionis officijs
„XV. Kal. Junij prędictos fratres ſub
„diſtricti judicis interminatione, &
„ſanctę obedientiæ præcepto conſtrin-
„xit, ut ſi qua in ſe corrigenda depre-
„hendiſſent, nullatenus tacere præſu-
„merent. Quibus collaudantibus & vitę
„converſationem & diſciplinam doctri-
„næ ſanctæ, morumque inſtitutionem,
„& ſecundum ſcientiam ſancti zeli fer-
„vorem: compulit eos Apoſtolica auc-
„toritate ſigillatim ſibi dextras dare,
pre-

„promittentes, quod hæreticum illum
„invasorem sanctæ & Apostolicæ Ec-
„clesiæ nunquam reciperent, nisi fortè
„canonicè resipiscens, puram confessio-
„nem Cardinalibus Episcopis offerret,
„nudatus omni Ecclesiastici ordinis dig-
„nitate: contestans & affirmans omnes
„simul in perpetuum condemnandos
„quicumque communicare præsumpsis-
„sent Henrico Archipiratæ usurpatori
„Imperij, nisi deposita dignitate Regni
„secundùm præceptum eorum pæniten-
„tiam ageret .... & sic spiritum crea-
„tori tradens anno ab Incarnatione Do-
„mini M. LXXXV. obijt Martyr &
„Confessor."

His P. *Natalis* figmentum Sigeberti à Guibertinis mutuatum refellit, & nullā suæ assertionis cum Gregorij VII. sanctitate cohærentiam conficit. Ys siquidem reddit perspicuum, ipsum non pœnituisse factorum, sed sua morte confirmasse, quæ (ut censet) usurpatæ potestatis & judicij sunt, & gravissimorum malorum causa, ac enormia proinde flagitia. Tam apertam quidem sequelam haud ipse admittit, quòd ea facta existimet non nisi leves noxas,

aut

aut nævos; verùm, præterquam id jam præoccupatum sit, proprijs ejus armis iterum refellitur.

Respondetur objectis à R. P. Natali Alexandro pro sui asserti concordia cum Gregorij VII. sanctitate.

GRegorij VII. inquit, *sanctitatem in Romano Martyrologio celebratam frustra quis opponeret, ut justè ipsum sententiam exauctorationis in Henricum Imperatorem tulisse probaret. Quis enim nescit, eam esse humanæ infirmitatis conditionem, eas humanæ mentis tenebras, ut ipsi viri sancti quandoque in errores impignant, & servato æquitatis affectu, zelo immodico abrepti, ab æquitatis tramite deflectant.*

Contra militat, quod ipse Gregorij II. & Zachariæ Romanorum Pontificum sanctitatem opponat, ut probet, hunc non exauctorasse Childericum Regem Francorum, & substituisse Pipinum: illum non privasse Leonem Isaurum exactione tributorum Italiæ.

Sic

Sic namque arguit in Histor. Sæculi VIII. Dissertatione I. *Gregorius II. eruditus fuit in divinis Scripturis Pontifex, teste Anastasio in ejus vita. Non est igitur verisimile, quod Romanos Italosque tributa solvere Imperatori prohibuerit, cum aliunde vir sanctissimus esset. Non est, inquam verisimile ipsum violasse mandatum Christi dicentis Lucæ XX.* Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari: *Repugnasse Paulo ad Romanos scribenti:* Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit &c. *Non est verisimile refragatum fuisse S. Petro Epist. I. Cap. II. dicenti:* Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti &c. Et iterum. *Pontifex doctissimus traditionem Patrum non ignoravit, nec ab ea qui Sanctissimus erat, ac traditionis retinentissimus atque observantissimus* (quę observantia non nisi ejus sanctitate nititur) *deflexit. Porro Patres Imperatoribus etiam Hæreticis obsequendum docent in iis quæ jura Reipublicæ spectant.* Quorum traditione relata (cui articulo superiori responsum est) subdit. *Nequaquam igitur verisimile est, quod Gregorius II. eruditus & Sanctus Pontifex*

ab ea traditione aberrarit, &c.

Et Dissertatione II. *Verisimile non est Zachariam à suorum Decessorum doctrina, & Sedis Apostolicæ traditione defecisse. Ut ab ea defecisset, si Childericum Tertium exauctorasset, Regnumque ad Pipinum transtulisset.* Et ad Dissertationis calcem. *Nec Bellarminus Cardinalis satis æquum se præstitit erga Zachariam, cum eum justè & legitimè deposuisse Childericum Regem asserit: quod si præstitisset, Iustitiæ & Sanctitatis laudem non retulisset.* Hæc *Natalis.* Non ergo frustrà, quis opponeret Gregorij VII. Sanctitatem, ut justè ipsum sententiam exauctorationis in Henricum Imperatorem tulisse probaret: nec ipsa, ijs connumerari potest, quæ etiam Viris sanctis ex fragilitate conditionis humanæ contingunt, sed inter ea reponi debet, quæ Sanctitatem evertunt; alioquin eam ipse frustrà opponit, ut Pontificibus similia facta deneget, qui Gregorio nostro vitæ Sanctimoniâ non præstant.

Accedit, quod ex ijs, quæ in hujus Papæ commendationem, *Natalis* produxit, liqueat, illum non impegisse in errorem, nec modico zelo abreptum,

ab

ab æquitatis tramite deflexisse, ferendo exauctorationis sententiam in Regem Henricum.

Siquidem *Zelus ejus ferventissimus pro Deo & Ecclesiasticis legibus satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebat. Inter omnes sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui zeli erat.* Cardinales, Episcopi & cæteri concaptivi morienti adstantes collaudabant, in omnibus *secundum scientiam sancti zeli fervorem, & disciplinam doctrinæ sanctæ. Veritas verò & justitia numquam ori ejus defuit.* Summa virtutum S. Anselmi Lucensis in eo ponitur, quod *ipsum imitaretur in omnibus, adeo ut discrepare ab illo prorsus nollet etiam in aliquo. Ille sicut sol illuminavit omnia, ille sicut splendor declaravit singula*; præter alia, verbo & scripto defendendo ejus contra Henricum facta, & doctrinam desuper traditam: quam & in morte confirmavit, & præsentibus in verbo Domini præcepit, ut in ea permanerent. Post Henrici exauctorationem hæc illi applicat: *Conscientia pura, simplex, lucida. Simplex oculus corpus reddebat lucidissimum, incedebat securus per justitiæ semitas,*

cui testimonium perhibebat conscientia, quod pro defensione veritatis patiebatur; præcipuè autem propter Henrici exauctorationem, ob quam exulare coactus est. Ex his itaque & alijs, quæ *Natalis* ad hujus Papæ sanctitatem deprædicandam adduxit, consequens fit, illum nec errasse, nec immodico zelo abreptum ab æquitatis tramite deviasse exauctorando Henricum. Adde quod in ejus opinione, Gregorius dici non possit, servasse ęquitatis affectum, nec solùm immodico zelo abreptus: Etenim secundum ipsum (ut patet ex ejus argumentatione de Gregorij II.) hujusmodi sententia est violatio Dominici præcepti, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: Et Apostolici: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, &c. Et B. Petri: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti*, &c. Cum autem materia sit gravissima, pręfatam sententiam à gravissimo crimine eximere non potest. Quod, ut ex dictis patet, signatum super nos lumen vultus divini clarè ostendit, nempe quàm enorme sit, aliena jura invadere, ijsque alium privare per usurpatam sententiam.

Quare

Quare exemplum de S. Petro (quod ſubdit) in levem converſationis culpam lapſo, & ab Apoſtolo reprehenſo, & contra ipſum militat, & aliàs nihil ipſi ſuffragari ex dictis perſpicuum eſt. Item nec favet quod ex S. Ambroſio profert ad Theodoſium Imperatorem ſcribente Epiſt. XXIX. lib. V. *Novi te Pium, clementem, mitem, atque tranquillum, fidem ac timorem Domini cordi habentem, ſed plerumque aliquando non fallunt. Habent aliqui zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam.* Non favet, inquam, tum quod ex ijs, quæ facit ſua, conſtet zelum S. Pontificis fuiſſe ſecundùm ſcientiam, tum quod hoc ipſum opponi poſſit ejus argumentis, de Gregorio II. & Zacharia Romanis Pontificibus, paulò ante relatis: tum vel maximè, quod ejuſdem Pontificis factum, enorme flagitium cenſeri debeat juxta ejus ſententiam.

Sanctitatem (inquit idem) *itaque Gregorij VII. Colimus.* Aſt ſine conſequentia ad ea, quę contra ipſum profertis. *Quod Henricum* (pergit ipſe) *Imperatorem exauctoravit, bono animo ipſum feciſſe piè credimus. Rectam enim ipſius intentionem*

vitæ Sanctitas, & patrata etiam post mortem miracula comprobant: sed more & consilio humano nihilominus erravit.

Respondeo quod iterum ipse sibi non constet: rectam quippe intentionem, electio pravi medij vitiat, sicut & intentionis perversitas boni medij electionem depravat (ut habent Æthicæ Principia, & Angelici Doctoris sententia) cum ergo Pontificis factum censeat injustum esse, & violationem divini & Apostolici præcepti, exauctorando Henricum, intenderit ipse bonum (quod in dubium revocari non potest) nihilominus ejus intentio debet *Natali* esse mala, ob tam pravi medij electionem.

Opinationem illam (pergit ipse) *factumque Sancti Pontificis nævum fuisse dicimus*, in candore sancto animæ, quem Charitatis vera contegebant *ut de rebaptizantium errore in Sancto Cypriano dixit S. Augustinus.*

Respondeo, quod si factum S. Pontificis nævus dicendus in candore sanctæ animæ, cur ipse ob sanctitatem similia facta alijs Pontificibus negat: An ergo hujus vitæ sanctitas cum nævis non cohæreat?

hęreat? Dicat ergo consentaneè ad suam sententiam, factum S. Pontificis, non nævum, sed grande flagitium, candorem sanctæ animæ penitus dissipans, & Charitatis ubera exscindens, quibus nęvi conteguntur.

Et quod (ait idem) *de S. Leone IX. sese bellis contra Normannos immiscente, scripsit B. Petrus Damiani ad Oldericum Firmanum Episcopum; de Gregorio VII. sancto pariter Pontifice sibi potestatem deponendi Reges tribuente, & depositionis sententiam in Henricum IV. ferente dicere liceat:* " Quoniam nec Petrus ob hoc „Apostolicum obtinet principatum, „quia negavit, nec David idcirco Pro„phetiæ meretur oraculum, quia tho„rum alieni viri invasit; cum mala vel „bona non pro meritis considerantur „habentium, sed ex proprijs debeant „qualitatibus judicari. Numquid hoc „legitur vel egisse vel litteris docuisse „Gregorius, qui tot rapinas ac violen„tias à Longobardorum est feritate per„pessus? Numquid Ambrosius bellum „Arianis se suamq; Ecclesiam infestanti„bus intulit? Numquid in arma San„ctorum quispiam traditur insurrexisse

„Pontificum ? . . . . Inter Regnum & „Sacerdotium propria cujuſque diſtin„guuntur officia, ut & Rex armis utatur „ſeculi, & Sacerdos accingatur gladio „Spiritûs, qui eſt verbum Dei". *Hæc Petrus Damiani Gregorio VII. Cohævus, & ipſe Sanctus.*

Reſpondeo, quod Cardinalis Baronius ad annum M.LIII. S. Leonem IX. adversùs hoc Petri Damiani ſcriptum, ſic vindicet: "Quæ Petrus Damiani „adverſus eumdem Leonem, militari„bus copijs ſe miſcentem ſcripſit, ex„aminanda ſunt, an in omnibus veritate „ſubſiſtant. Cum enim ipſe eſſet mœ„rens animo lugens eremi incola, quod „frequenter audiret Epiſcopos aliquos „in Gallijs atque Germanijs galeatos ac „loricatos ad bella procedere; facinus „execrans ſcripſit Epiſtolam ad Firmi„num Epiſcopum, quâ deplorans mun„di hujus mala, præcipuè verò diſcor„dias oboriri ſolitas inter Imperatores, „atque Pontifices, ſic vult munera eo„rum eſſe diſtincta, ut nec Imperatores „attingant, quæ ſunt Sacerdotum, nec „Sacerdotes quæ ſunt Imperatorum, „ut bella tractare, & alia id genus, quæ ipſis

,,ipsis omnino reservet. Ait enim : *Sicut ,,ergo ipse Dei Filius cuncta mundi furentis ,,obstacula non per districti examinis ultio- ,,nem , sed per invictam superavit incon- ,,cussæ patientiæ majestatem ; ita docet ,,mundi rabiem potiùs æquanimiter ferre , ,,quàm vel arma corripere vel lædenti læ- ,,sionibus respondere.* & cæt" : quibus interjectis , subdit Num. XIV. & seqq.

,,Huc usque de his Petrus Damiani , ,,cui Catholica dogmata penitus adver- ,,santur, quibus hæresis errore notantur ,,omnes , qui ab Ecclesia Romana, Ca- ,,thedra Petri,è duobus alterum gladium ,,auferunt , nec nisi spiritualem conce- ,,dunt , ipso S. Bernardo dicente : *Ma- ,,terialem gladium qui tuum negat , non ,,satis mihi videtur attendere verbum Do- ,,mini dicentis : Converte gladium tuum ,,in vaginam.* De cujus usu habet ista ,,Gregorius IX. In Epistola ad Germa- ,,num Patriarcham Constantinopolita- ,,num,loco suo inferiùs recitanda : *Illud ,,tantùm adjicimus , quod utrumque gla- ,,dium ad Romanum Pontificem pertinere , ,,ex Evangelica lectione tenemus. Etenim ,,loquente Iesu Discipulis de acquisitione ,,gladij spiritualis , illi duos ibi positos osten-*

,,*ostenderunt, quos Dominus dixit sufficere,*
,,*ad cohibitionem videlicet spiritualis &*
,,*temporalis offensæ. Si materialem gla-*
,,*dium pertinere concedis ad potentiam*
,,*temporalem : attende quod in Matthæi*
,,*Evangelio Dominus dicat Petro: Con-*
,,*verte gladium tuum in locum suum,*
,,*dicendo tuum, materialem significavit*
,,*gladium, quo percußit ille servum Prin-*
,,*cipis Sacerdotum. De spiritali verò nemo*
,,*venit in dubium, cum ei, id est Petro, per*
,,*cujusdam specialitatis apicem ligandi at-*
,,*que solvendi commiserit potestatem.*
,,*Vterque igitur gladius Ecclesiæ traditur :*
,,*sed ab Ecclesia exercendus est unus, alius*
,,*pro Ecclesia manu sæcularis Principis exi-*
,,*mendus : unus à Sacerdote, alius ad nu-*
,,*tum Sacerdotis administrandus à milite.*
,,Hæc Gregorius. His consentientia
,,Bonifacius Papa octavus habet his ver-
,,bis: *Vterque gladius est in potestate Ec-*
,,*clesiæ, spiritualis scilicet & materialis :*
,,*sedis manu Regum, & militum. Sed ad*
,,*nutum & patientiam Sacerdotum.* Cum
,,videlicet jubet, vel sponte facienti con-
,,sentit. Et pergit: *Oportet autem gladium*
,,*esse sub gladio, & temporalem auctorita-*
,,*tem spirituali subjici potestati.* Hæc
Boni-

,,Bonifacius : cui aſſentiuntur omnes, ,,ut nullus diſcrepet, niſi qui diſſidio ab ,,Eccleſia excidit.

,,Sed Præter Doctores & Theologos ,,omnes ipſe vigens uſus in Eccleſia ,,dogma probavit. Siquidem ad propul- ,,ſandos ab Italia Longobardos, vel ,,Sarracenos, frequentibus legationibus ,,Romani Pontifices ijdemque ſanctiſ- ,,ſimi (ut ſuperiores tomi ſatis abundè ,,demonſtrant) ſtudio propenſiſſimo ,,apud Chriſtianos Principes inſtitêre, ,,alienaque manu pugnantes atque vin- ,,centes erexêre de Barbaris victis ſæpe ,,triumphos, nuſquam verò reperti, qui ,,armati in acie dimicarent. Sed Leo ,,ipſe, de quo agimus, licet ſit comita- ,,tus exercitum, ſeorſum tamen exitum ,,expectans certaminis, in loco munito, ,,in quo poſtea obſeſſus eſt, manſit. ,,Unus Joannes duodecimus adoleſcens ,,Sedis invaſor eſt repertus, qui armatus ,,aliquando equitaſſe, delatus in Syno- ,,dum fuit: quod habitum pro monſtro, ,,ut ſuo loco ſuperiùs dictum eſt. Sed & ,,probro ſæpe datum Epiſcopis ſive ,,Francis, ſive Germanis id factitanti- ,,bus, cùm alienâ, non ſuâ manu (ut

audiſti

„audiſti à Gregorio & Bonifacio) ſit „in defenſionem Eccleſiæ hujuſmodi „gladius exerendus.

„Idque etiam factum à S. Gregorio „Magno Papa, quem adeo malè in „ſententiam ſuam adducit Petrus, ex „ſui ipſius ſcriptis Epiſtolis ſatis ſuper„que evidenter apparet. Et quo magis „eum errantem ex ipſo, & quem contra „Leonem citat, coarguas: accipe ex „ipſius Gregorij Epiſtolis certa loca, „quibus ipſe adversùs Longobardos mi„litum gladios alienâ manu magnâ in„ſtantiâ moverit exerendos: Nam ad „velocem Magiſtrum militum ſcribens, „hortanſque adverſus Arnulphum Du„cem Longobardorum prodire cum „copijs hæc habet: *Si huc vel ad Raven„nates partes, nec dicendum Arnulphum „cognoveritis excurrere: vos à dorſo ejus „(ſicut decet viros fortes, laborate, quali„ter opinio veſtra ex laboris veſtri quali„tate ampliùs in Republica Deo auxilian„te proficiat.* Et ad Mauritium & Vita„lianum itidem Magiſtros militum ſe„quentem Epiſtolam ſcribens, hæc iti„dem poſt alia habet: *Sed & gloria „veſtra, ſi huc perrexerit ipſe hoſtis Ar-nulphus,*

„*nulphus, quomodo consuevistis cum auxi-„lio Dei, à dorso ejus, quod potestis, per-„ficite. Speramus enim in Omnipotentis „Dei virtute, & in ipsius B. Petri Apo-„stolorum Principis, in cujus natali san-„guinem effundere desiderat, quia ipsum „sibi contrarium sine mora inveniet.* Hæc „Gregorius. Erat tunc Roma sub Im-„peratore Constantinopolitano, qui „per Præfectos regebat eam, & quæ ad „bellum spectabant.

„Et quamvis hoc non suum, sed alie-„num videretur esse negotium, tamen „ac si suum peculiare esset, de resisten-„do & expugnando eosdem perfidos „Longobardos, plures extant ejus Epi-„stolę ad Mauritium Imperatorem & ad „ejus successorem Phocam. Quin etiam „in his quæ spectant ad defensionem „mœnium civitatum, vigilare jubet „Episcopos, & necessaria cuncta pa-„rare, ad quorum custodiam nec viros „Ecclesiasticos esse jubet exemptos, sed „obligatos. Cum igitur tam in offen-„dendo, quàm defendendo Gregorius „bellum adornat: quid est, rogo, quod „Petrus ait, hoc non egisse, nec litteris „docuisse Gregorium?"

Hac-

Hactenus ergo *Natalis* in omne latus ſe vertens, ut ſuam aſſertionem cum Gregorij ſanctitate conciliaret, rem infectam relinquit. Supererat quidem evadendæ ſecum pugnantiæ aditus, qui negotium peperiſſet, ſi aperiri potuiſſet; nempe error invincibilis, quo B. Pontifex ſuam doctrinam & ei facta conformia cenſuiſſet non adverſari Patrum Traditioni & verbo Dei, aut veritati. Aſt illum ſibi præcluſit, admittendo S. Virum deliquiſſe exauctorando Henricum; ac inſuper ejus alijs armis occluditur. Colligit namque Gregorium II. non ignoraſſe Scripturarum oracula (quibus factum, quod ipſi denegat, adverſari contendit) quia *eruditus fuit in divinis Scripturis Pontifex: nec ipſum latuiſſe Traditionem Patrum, quia doctiſſimus fuit*: Gregorius autem VII. (teſte Lamberto Schafnaburgenſi illius temporis Scriptore) *ſacris litteris* fuit *eruditiſſimus*, & pariter doctiſſimus. Proinde novit verbum Dei, & Patrum traditionem, quibus *Natalis* ejus doctrinā & ei conſentanea facta, adverſa proclamat: aut ſaltem invinſibiliter non ignoravit.

Accedit, quod Joannes Mycrologus

gus de eodem Papa referat de Ecclesiasticis observationibus cap. XIV. *Apostolicæ Sedi nostro tempore talem Deus gubernatorem, reverendæ, inquam, memoriæ Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis Antecessoribus à puero Romæ nutritus, & eruditus, omnes Apostolicas traditiones diligentißimè investigavit.*

Si quæ ergo traditio fuit suis factis adversa, Pontifex tam eruditus non ignoravit. In hujus autem hipothesi cum ejus sententiæ in Henricum latæ enormia flagitia dicenda sint : perevidenter consequitur, *Natalis* assertum neutiquam cum hujus Papæ sanctitate, & quidem tantopere ab ipso laudata, consistere : Cumque hæc sit indubita, ac vera sint, quæ in ejus commendationem ipse congessit, evidens est, quod ejus contra hunc sanctum Pontificem assertioruat, & quidem per ea, quæ ipse produxit.

Vltio

Vltio divina in Fautores Henrici IV. Germaniæ Regis.

QUam fuerit justa Gregorij VII. sententia, quâ Henricum IV. omni Regni administratione privavit, ejus subditos à fide & obedientia exemit; atque trium annorum spatio elepso eumdem exauctoravit, coacti sunt in semetipsis cognoscere ejus fautores, dum æternæ mortis retributionem à Deo justo judice receperunt. Prodeat in primis eorum Antesignanus Wilhelmus Trajectensis Episcopus ac Sedis Apostolicæ adversarijs horrorem incutiat. *Is repente* (refert Lambertus Schafnaburgensis) *gravissimâ ægritudine correptus, cum per acerrimos cruciatus animæ & corporis urgeretur, miserabili ejulatu coram omnibus, qui aderant vociferabatur, justo Dei judicio se & præsentem vitam amisisse, & æternam, quod Regi ad omnia quæ perperam intendisset, operam suam summo annisu præbuisset, atque in spem gratiæ ejus Romano Pontifici sanctissimo, & Apostolicarum virtutum viro graves contume-*

lias

llas sciens & prudens innocenti irrogasset. In hanc vocem, ut asserunt, sine communione, sine ulla satisfactione expiravit.

Nec est, quod quis reponat, non ob id ipsum tam miserè perijsse, quod Pontificis sententiam nullam & injustam censuerit, ac in eo suam operam Henrico impenderit: licet enim id solum tam gravis vindictæ occasio non fuerit, dedisse tamen causam unà cum alijs ex P. *Natali* non obscurè colligitur. Quippe dictum Wilhelmum adeo miserè vitam terminasse, Artic. V. refert, *ob defensas Henrici partes*: quarum præcipuam fuisse ejus contra Pontificiam sententiã reluctationẽ, ex historia perspicuum est. Idem tradunt Annales Ecclesiæ Magdeburgensis; qui miserandum ejusdem Wilhelmi exitum ita commemorant apud Paulum Langium in Chronico Citizensi: *Hic cum præfatus Rex esset Trajecti, & excommunicatio Regis à Romano Pontifice præsentata fuisset*, (ea scilicet, ut ex Historiæ serie constat, quæ præferebat hunc titulum: "depositio „Regis Henrici, filij Imperatoris Hen„rici; & absolutio omnium qui sibi „præstiterant juramentum") *Rex ipse*

excommunicationem Papæ consilio Episcopi vilipendebat. Episcopus idem præfatus, timens ne si populus hoc audisset, à Rege sicut ab excommunicato discederet, inter missas sermonem faciens ad populum, derisoriè quod Rex excommunicatus esset, indicavit. Sed hanc excommunicationem nihil valere, quibus poterat verbis, utpote homo facundus, confirmabat sed quantum valeret in semetipso coactus est cognoscere, si liceret ei pœnitendo à superbia resilire. Nam in ipso loco in quo Romano Pontifici derogabat, ipse malâ valetudine corripitur, in qua usque ad miserandum vitæ terminum detinetur. Itaque morbo magis ac magis ingravescente, dum quidam homo Regis eum rogaret, ut se cum suo mandato remitteret ad Regem; Hoc, inquit, mitto ei mandatum, Quod ipse & ego & omnes iniquitati ejus faventes sumus damnati in perpetuum. Cumque à suis, qui aderant, Clericis, ne talia loqueretur esset admonitus: Quid aliud, inquit, loquor, nisi quod verum esse visibiliter intueor? Ecce enim dœmones lectum meum circumstant, quatenus me mox, ut expiravero, capiant. Itaque cum fuero è corpore eductus, rogo vos & omnes fideles, ne se fatigent

pro

pro me faciendo supplicationes. Hic igitur in desperatione defunctus, diu jacebat insepultus, donec Romam mittitur, & inde quæsito consilio, ne populus fœtore corrumperetur, Apostolico jussu sine commendationibus sepelitur.

Addit Bruno (inquit *Natalis* lococitato) *in Commentar. de Bello Saxonico, ipsum post mortem Abbati Cluniacensi apparuisse, ac æternam damnationem suam denuntiasse.*

Et ita alij (subdit Langius) *complures Henrici fautores malè interiére. Vdo Triverensis Archipræsul repertinâ morte obijt. Burhardus Misnensis Præfectus ex equo cadens expiravit. Sic & Godefridus Dux, hostis Saxoniæ, percussus sine confessione perijt. Ita & Eppo Episcopus noster, magnus Henrici fautor & assentator morte malâ conclusit.*

His exemplis perterriti Principes nonnulli (ait *Natalis* eodem loco) *partim privatarum utilitatum studio, partim Religionis obtentu, partim publicæ calamitatis commiseratione ab Henrico Rege defecerunt.*

Imbrico Augustensis Episcopus (inquit Bertholdus Constantiensis ad ann: M.LXXVI

M. LXXVI.) *qui in præterito Pascha Rudolpho Regi fidelitatem juravit, nil de perjurio curans, Henrico advenienti adhæsit, & apud illum quadam die missam faciens hanc sibi conditionem miser imposuit; ut sacræ oblationis perceptio in judicium ei proveniret, si Dominus ejus Henricus Regnum sibi injustè usurparet. Post hanc temerariam perceptionem, parvo, quod supervixit, tempore, usque ad mortem numquam se sanum delecto levavit. Nam circa Kalend. Iulij absque Ecclesiastica communione defunctus est. Item Sigehartus Aquileniensis Patriarcha in auxilium Henrico contra bannum Apostolici armata manu veniens, in amentiam vertitur apud Ratisbonam; & ex ipso itinere repentinâ morte intercipitur.*

His adde quod Bruno commemorat in Historia Belli Saxonici. *Patriarcha qui Legatus Apostolici, maximus auctor abjurationis extiterat Henrici & novi Regis instituendi: Postquam ex-Regi quasi Regi sociatus retrogradus efficitur, repentinâ morte præventus, quòd communicabat excommunicatis, incommunicatus, & inconfessus huic vitæ subtrahitur. Verùm quod tantæ dignitatis virum non decebat*

ire

ire solum ad Infernum, quinquaginta (sicut audivimus) de suis habuit socios eâdem repentinâ morte correptos; ne quos habebat in iniquitate consortes, in retributione non haberet participes. Hæc Bruno: qui & ibidem asserit, quod *manifestum sit, omnes ferè Henrici familiares & fideles æquè miseras mortes incurrisse, & eos miseriores, qui fuerant illi fideliores: quòd fides illa verè esset perfidia.* *Nota.*

Itaque Gregorij VII. factorum justitiam contra Henricum IV. gravissimi viri ac sanctissimi testantur, Ecclesia Romana confirmat, signa cœlestia declarant: dicti Papæ sanctitas eximia ad mortem usque illibata reddit indubitatam, divina vindicta impugnatores secuta luculenter demonstrat, deniq; probi Scriptores illius temporis, & qui eos secuti sunt, singularibus encomijs Virum sanctum extollunt, neutiquam reprehendunt, quos videre est apud Judocum Coccium lib. VII. Controversiarum fidei. art. XVI. & Bellarminum lib. IV. de Rom. Pontif. cap. XIII. ac Jacobum Gretserum in Apologia pro Gregorio VII. Igitur à veritate penitus est alienum, quod potestatem, quam adversùs Henricum hic

Pontifex exercuit, ſibi tribuerit *contra Patrum doctrinam, imò contra verbum Dei.*

R. P. Natalis Alexandri argumenta refelluntur, quibus Gregorij VII. facta contra Henricum condemnat.

UT probet ipſe, hunc Papam refragatum fuiſſe Patrum doctrinæ & verbo Dei, Regni adminiſtratione privando Henricum & exauctorando, primò Ottonem Friſingenſem tanquam id ſuſtinentem producit. Verùm is in Apoſtolicam Sedem obſervantior fuit, quàm ut tam indignæ opinioni ſubſcripſerit. Laudes paulò ſuperiùs ex *Natali* adductæ, quibus ſanctum Pontificem Friſingenſis effert, oſtendunt, quàm à ſe ſit aliena.

Argumentum Quæ autem in probationem adfert, ſunt mala, ex Henrici exauctoratione ſecuta, quæ Friſingenſis lib. VI. Chron. Cap. XXXVI. ita commemorat: *Quanta autem mala, quot bella, bellorumque*

que discrimina inde subsecuta sint, quoties misera Roma obsessa, capta, vastata, quod Papa supra Papam, sicut Rex super Regem positus fuerit, tædet memorare. Denique tot mala, tot schismata, tot tam animarum, quàm corporum pericula hujus tempestatis turbo involvit, ut solus ex persecutionis immanitate ac temporis diuturnitate ad humanæ miseriæ infelicitatem sufficeret comprobandam. Vnde à quodam Ecclesiastico scriptore densissimis Egypti tenebris comparatur.

Respondeo, quod Guibertus Ravennates pseudo-Papa tantorum malorum auctorem Gregorium VII. nefando ore effutierit: quem Sanctus Anselmus Lucensis confutavit, probando, hæc neutiquam in facta Gregorij, sed in Henrici inobedientiam & impietatem, ac Schismaticorum esse refundenda. Quod & ipse *Natalis* Art. XII. comprobat, tantorum malorum veram causam aperiens ex Hugone Flaviniacensi in Chronico Verdunense sic scribente: *Ob hanc igitur causam, quia scilicet Gregorius Sanctam Dei Ecclesiam castam esse volebat, liberam* *Solutio.*

atque Catholicam, quia de Sanctuario Dei Simoniacam & Neophytorum hæresim, & fœdam libidinosæ contagionis pollutionem volebat expellere, membra diaboli cœperunt in eum insurgere, & usque ad sanguinem præsumpserunt in eum manus injicere, & ut eum morte vel exilio confunderent, multis eum modis conati sunt dejicere. Sic surrexit inter Regnum & Sacerdotium contentio, accrevit solito gravior Sanctæ Dei Ecclesiæ tribulatio. Henricus enim Henrici Imperatoris Filius, adversus Deum, & Matrem omnium Catholicorum, Romanam Ecclesiam superbè tumidus, quia vita ejus prava Sanctorum Patrum decretis & canonicis adversabatur institutis, adversus Deum & adversùs Christũ ejus insurrexit, Ecclesiasticis Sanctionibus impiè factus rebellis, membra diaboli contra eum incitando, & omnes quos potuit, minis, blanditijs, terroribus contra eum armando, facta cum multis Episcopis Lotharienfibus, & Thanrenensibus compositione.

Quid igitur ex descriptæ tempestatis turbine cõtra facta Gregorij *Natalis* conficit, quẽ ipso consentiente constat exortum esse occasione non datâ, sed acceptâ? Idem ex Othone Frisingensi colligitur;

tur: Eodem quippe loco asserit, id, unde tanta mala sunt sub secuta, fieri decuisse. Solvens namque qualiter possit intelligi, quod in Daniele cap. 2. legitur, *Lapidem excisum de monte sine manibus, statuam in pedibus, ex parte ferrei, ex parte fictiles erant, percußisse*, Lapidi præciso Ecclesiam, & statuæ Romanum Imperium comparat, ac de ipsa dicit. *Hoc nimirum Regnum circa finem suum, quam pedes significant, ferreum propter martem, fictile propter conditionem, in ea parte, quæ inferior fuit, percußit: dum Regem Orbis, non tanquam Orbis Dominum vereri, sed tanquam de limo per humanam conditionem factum fictilem, gladio anathematis ferire decuit. Ipsa verò quæ antea parva fuit, & humilis, in quantum montem excreverit, ab omnibus jam videri potest. Quanta autem mala, quot bella, bellorumque discrimina inde subsecuta sint &c.*

Hinc aut Othonem placito *Natalis*, aut hunc sibi adversari, non obscurè colligitur. Dum enim asserit, *Regem Orbis gladio anathematis ferire decuisse*, vel ejus exauctorationem complectitur (quod verius est, cum ipsam per solum

ana-

anathema lib. I. de Geſtis Frederici cap. I. commemoret, ac in præſenti ad eam alludat per excommunicationem dicti Henrici, & Rodulphi ſubſtitutionem cap. præced. à ſe deſcriptam) & ſic *Natali* contradicit: cum eam aſſerat fieri decuiſſe: aut ſolam excommunicationem exprimit, ſicque ex malis, quæ inde ſubſecuta fuiſſe Otto Friſingenſis enarrat, nihil contra Gregorium noſtrum poteſt *Natalis* concludere, quin idem contra ſe conficiat, cum eam excommunicationem validam & juſtam deprædicet.

Vim fortaſſe facit in eo, quod idem Author aſſerat: *quod Papa ſuper Papam, ſicut Rex ſuper Regem poſitus fuerit*: aſt illam jam dudum Bellarminus retudit, dum Guilielmus Barclaius eamdem contra Pontificiam auctoritatem obiecit. Nec quidquam Gregorij factis præjudicat. Non enim Otto utramque depoſitionem ac ſubſtitutionem quoad injuſtitiam & nullitatem comparat, ſed factum ſimpliciter refert. Priorem fuiſſe impiam, ſacrilegam & nullam, nemo Catholicus ambigit: poſteriorem verò æquam fuiſſe & ratam, ſuperiora demon-

monstrant, & ipse Frisingensis non obscurè affirmat, dum eam decuisse fieri asserit: & insuper eam potestatem in Romano Pontifice recognoscit lib. V. cap. XXXIII. dicens: *Ex hoc* (nempe translatione Regni Francorum auctoritate Apostolicâ in Pipinum) *Romani Pontifices Regna mutandi auctoritatem trahunt.*

Neque silentio prætereundum est, quod, si plura mala, quamquam occasione tantùm acceptâ, ex Gregorij factis fuerint subsecuta, his majora emolumenta ex ijsdem Catholicæ Ecclesiæ obvenerint. Arripuerant & jam à multis annis sibi vendicaverant Imperatores investituras Episcoporum ac monasteriorum, imò etiam Pontificum Romanorum.

Episcopatus & Abbatiæ, aliaque Ecclesiastica beneficia, ac dignitates venales factæ erant. Grassabatur pertinax error incontinentium Clericorum, qui licitum sibi concubinarum consortium propugnabant, nec à fœda libidine ullis Ecclesiæ decretis avocabantur, miscebantur sacra profanis, polluebantur pene omnia, provinciæ concubinarijs abundabant. Vide-

Videbant tot & tánta mala ſequentes Pontifices: Leo IX. Victor II. Stephanus X. Nicolaus II. Alexander II. Gregorius VII. atque ideo juſto zelo exæſtuantes nihil intermiſerunt, admonendo, increpando, cum Epiſcopos, tum Principes, frequentia concilia cogendo, quo è tantis malis ac ſcandalis Eccleſiam Dei eriperent. Sed cum ſic nihil proficerent, tandem Gregorius VII. magno & invicto atque Apoſtolico planè animo, ſpiritu Dei plenus & zelo juſtitiæ & veritatis accenſus, omnium illorum malorum radices evellere aggreſſus eſt. Henricum plurium horum promotorem & fautorem corripuit, reluctantem, ac impiijſſimè adverſus Sedem Apoſtolicam ſe erigentem, anathemate perculit, & Regno privavit: ſancivitque, ut omnis inveſtitura laicalis penitus tolleretur.

Ac licet ea res eſſet per difficilis, ac planè humanis viribus impar, attamen ipſe & ſucceſſores divinæ gratiæ robore muniti, eò demum perduxerunt, ut Henricus V. anno 1122. Caliſto II. Pontifici inveſtituras Eccleſiarum omnino reſignaverit, & ita electiones

Epiſ-

Episcoporum, & Abbatum, quas Imperatores & Reges usurpaverant, Clero & Monachis restituerentur, atque impurus Ecclesiasticorum concubinatus, & simonia, aliaque scandala è domo Dei eliminarentur. Id quod sine manifestis signis & prodigijs cælestibus factum non fuisse, testatur Abbas Urspergensis in Chronico.

Secundò profert Sigebertum; *Cujus testimonio*, inquit, *etsi parum tribuam in his quæ Gregorium VII. spectant, quia Henricianis partibus penitus addictus fuit; audiendus tamen est cum probos & erud tos Authores consentientes habet.* Sed tales non sunt. Unicum enim Vincentium Bellovacensem laudat, quem à Sigeberti mente alienum fuisse, patescet ex ijs, quæ adferam ad hunc probum & eruditum Authorem à tali nota eximendum. *Argumentum II.*

Sic porro scribit (Sigebertus) *in Chronico ad annum* 189. *agens de Vrbani II. electione:* "Nimirum (ut pace omnium „bonorum dixerim) hæc sola novitas, „ne dicam hæresis, necdum in mundo „emerserat, ut Sacerdotes illius, qui „dixit Regi, Apostata, & qui regnare facit

„facit hypocritam propter peccata po-
„puli, doceant quod malis regibus nul-
„lam debeant ſubjectionem. Et licet ei
„Sacramentum fidelitatis fecerint, nul-
„lam tamen debeant fidelitatem, nec
„perjuri dicantur, qui contra Regem
„ſenſerint, imò qui Regi paruerit, pro
„excommunicato habeatur: qui contra
„Regem fecerit, à noxa injuſtitiæ &
„perjurij abſolvatur. *Verba Sigeberti de-
ſcripſit, & ſua fecit Vincentius Bellova-
cenſis in ſpeculo Hiſtoriali Lib. 25.
Cap. 84.*

Solutio. Reſpondeo. Hæc Sigeberti querimo-
monia gravans legitimos Pontifices fa-
vore Schiſmaticorum, cujus ſit roboris
ac quo loci viro probo & erudito eſſe
oporteat, liquet ex calumnia, quam in
Domini Sacerdotes impingit. Non enim
hi docuerunt, quod Sigebertus illis af-
fingit; ſed quod auctoritate Apoſtolica
poſſint. Reges ob crimina ſuo gradu
deijci, ac ſubditi à Sacramento fidelita-
tis ipſis præſtito ſolvi, iiſque inhiberi,
ne ijs fidem aut obedientiam præſtent,
ac tum non eſſe eis parendum, nec ju-
ramentum fidelitatis implendum. Quod
ſi Sigebertus ſcripſiſſet, calumniatoris
notam

notam non incurrisset, nec Vincentium Bellovacensem decepisset, qui non advertens calumniam, ejus verba descripsit. Illa siquidem ut simpliciter sonant, indicant doctrinam esse novam, & erroneam, quod malis regibus non sit obediendum, quodque juramentum fidelitatis eis præstitum non sit implendum. Quæ sanè doctrina erronea est, damnata in concilio Constantiensi sess. 8. inter 45. articulos Joannis Wiclef art. 15. & sess. 15. inter articulos Joannis Hus art. ult.

Porro quantùm à Sigeberto Bellovacensis discordet, liquet, quod à communi sententia de Romanorum Pontificum & Ecclesiæ in temporalia Regum potestate non desciscat, sed eam ex Hugone de Sancto Victore apertè tradat lib. VII. Speculi Doctrinalis cap. 32. Ubi de præeminentia Pontificiæ potestatis supra Regalem differens, *Quantùm*, inquit, *vita spiritualis dignior est, quam terrena, & Spiritus, quam Corpus, tantum spiritualis potestas terrenam honore ac dignitate præcedit. Nam spiritualis terrenam & instituere habet ut sit, & judicare si bona non sit. Ipsa verò à Deo primum*

num instituta est , & cum deviat à solo Deo judicari habet , & potest , sicut scriptum est : Spiritualis judicat omnia &c. *Nam & in veteri testamento primum à Deo Sacerdotium institutum est , postea vero per Sacerdotium jubente Deo Regalis potestas ordinata. Vnde adhuc in Ecclesia Dei Sacerdotalis dignitas Regalem potestatem sacrat. Et Apostolus :* Qui benedicit, major est.

Hæc sufficere reor, ad Bellovacensem , summæ eruditionis virum vindicandum à consensu in Sigeberti verba , ut ab ipso intellecta , & subdolè conscripta: quæ dum ut sic sua facit *Natalis*, & contra Sanctissimi Gregorij Papæ res gestas & doctrinam adducere non veretur, ipse judicet , qualem sibi notam inurat.

Argumentum III.) Tertiò adducit Onuphrium Panvinium Ord. Erem. S. Aug. lib. 4. de varia creatione Romanorum Pontificum , sic scribentem : *Nam etsi antè Romani Pontifices tanquam Religionis Christianæ capita , Christique Vicarij & Petri successores colerentur , non tamen auctoritas eorum ultra protendebatur , quam in fidei dogmatibus, vel asserendis vel tuendis.*

Cæte-

Cæterum Imperatoribus suberant : * *& ad eorum nutum omnia fiebant: ab ijs creabantur : de ijs judicare vel quidquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Normannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiâque Germanorum Principum bello civili laborantium inflamatus, præter majorum morem, Cæsarem ipsum, a quo si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, sed etiam Regno Imperioque privare ausus est. Res, ante ea sæcula inaudita. Nam fabulas quæ de Arcadio, Anastasio, & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror.*

** Non omnibus, sed nonnullis, idq; vi & tyrannide non lege & æquitate.*

Solutio.

Respondeo; quod ex ijs, quæ *Natalis* omisit, dilucidè constet, Onuphrium minimè accusare aut improbare Gregorij factum, sed hæc expressisse in ejus eximiam commendationem. Ea enim encomia de Gregorio præmiserat: *Vir vitâ venerabilis, prudentissimus, Catholicus, Deo amabilis, hæreticorum malleus indefessus, Ecclesiastici juris redemptor, ac conservator solertissimus, perpetuaque memoriâ dignus Gregorius Papa VII. . . . Cum tempus obitûs sui jam appropinquare*

Encomia Gregorij VII.

cognosceret, clamavit: dilexi justitiam, & iniquitatem odio habui, & propterea exul morior. . . . Ecclesia Romana tanto Pastore, qui inter omnes principes præcipui zeli & auctoritatis erat, orbata, dolorem non modicum sensit. Fuit enim hic Pontifex vir constantissimus, recti propositi tenax, & qui a recta via, nec minis, nec precibus umquam, ne latum quidem unquem, ut dicitur, discessit. Homo antiqui zeli, & priscis illis Romanis Pontificibus, qui diversa pro Christo cruciatuum genera pertulere, comparandus, audax, prudens, cautus, & maximus Ecclesiasticæ libertatis assertor. Huic uni, cum omnes Latinæ Ecclesiæ, tum præcipuè Romana acceptum referre debet, quod libera sit, & profana ditione locupletata; quod Regibus & Imperatoribus & omnibus Christianis Principibus sit præfecta a * quo postremò, ut omnia verbo uno complectar, maximus iste, eximiusque status, in quo Ecclesia Romana, omnium Christianorum Domina, cum antea tanquam vilis ancilla; non ab Imperatoribus modo, sed à quovis Principe Romani Imperatoris præsidijs fulto premeretur, ab hoc maximè illius, & omni sæculo tremendæ vene-

* De facto juxta ipsius Opinionem.

venerandaque Romani Pontificis, & infinitæ pene potestatis jus manavit. **Nam etsi ante Romani Pontifices, tanquam Religionis Christianæ capita &c.* quæ *Natalis* quasi sibi faventia retulit, quæ tamen ut ex his quæ ipse omisit, in Gregorij cedunt commendationem: unde Onuphrius per illam Romanorum Pontificum subjectionem, usurpatam Imperatorum potestatem ac duram Romanorum Pontificum servitutem, in quam eos illi contra jus divinum redegerant, significat, ac Gregorium eos Romanamque Ecclesiam, ac cæteras in libertatem asseruisse, demonstrat, ab ipsoque emanasse quod Romani Pontifices obtinuerint potestatem, non de in jure, aliàs enim illam venerandam non appellaret, sed de facto, in Imperatores, Reges ac Principes: cujus quidem usus Gregorij nostri tempora (ut vidimus) antecessit, licet non ita frequens: sicque ab illo Regum exauctorandorum potestas quoad faciliorem usum emanavit: ob Regum & Principum ab eodem Papa fractam superbiam, & præsumptionem repressam. Et hoc sensu verum habet dictum Onuphrij: quem constat hujus Pontificis

* Non de jure.

factum commendare, & potestatem, à qua manavit, probare, cum ipsam *pene infinitam, omni sæculo tremendam ac venerandam* deprædicet. Quin & contra ejus impudentissimum impugnatorem Bennonem Speudo-Cardinalem subdit sequentia. *Cæterum ea, quæ horum temporum Cardinalis quidam Benno, Germanus in gratiam Imperatoris contra Gregorium VII. scripsit, animus non est refellere, cum res ipsæ, quas huic Pontifici objicit, partim falsæ, partim rediculæ sint, & nullius momenti: cui tum, quod hostis acerrimus Gregorij Papæ fuerit, tum ex his, quæ dixi, nullatenus fidem adhibendam censeo. Meam hanc sententiam confirmare possunt horum temporum Scriptores tam Germani, quàm Itali:* quibus annumerat S. Anselmum Lucensem Episcopum, quem vocat Gregorij coôperatorem indefessum, *qui*, inquit, *hymnos & alia, quæ de Salvatoris nostri cruciatibus perscripta sunt, de Gregorio ipso interpretatus est: ejusque doctrinam* (nempe de Romani Pontificis in temporalia Regum potestate, *eleganti libro conscriptam confirmavit, vir litteris cruditus, ingenio acutissimus, facundiâ præcipuus, & quod omnibus majus*

majus eſt, in Dei timore & ſancta converſatione celeberrimus, ita ut tam in vita, quàm poſt mortem miraculis claruiſſe memoretur.

Liquet igitur evidenter, quod Onuphrius Panvinius Gregorium VII. extollat, ac poteſtatem in Reges, quam exercuit, probet & ſingulariter commendet, ac per conſequens P. *Natali* non ſuffragetur, ſed apertè adverſetur.

Sacræ Scripturæ & Patrum teſtimonijs, quæ opponuntur, articulis IV. & V. reſpondebitur. Judicium Orbis Chriſtiani, quod art. X. *Natalis* contendit, reprobaſſe Gregorij noſtri ſententiam contra Henricum, majorem diſcuſſionem poſtulat, quàm ut hic poſſit abſolvi. Unde id ad articulum ſequentem remitto.

ARTICULUS III.

ASSERTIO TERTIA.

Gregorij VII. sententias in Henricum IV. Germaniæ Regem latas Orbis Christianus nec de jure, nec de facto irritas censuit, sed probavit.

UBi Sanctissimus hic Pontifex dictum Henricum excommunicationis, ac à Regia dignitate depositionis sententiâ ex judicio totius Synodi Romanæ perculerat, Litteras Encyclicas dedit ad omnes, qui cupiebant *se annumerari inter oves quas Christus beato Petro commisit*: in quibus injuriâ Sedis Apostolicæ exaggeratâ, ac eos hortatus ad divinam opem implorandam, ut aut impios ad pœnitentiam converteret, aut eorum consilia reprimeret, exemplum anathematizationis præ-

præfati Regis misit dicens: *Qualiter autem & pro quibus causis Beatus Petrus anathematis vinculo Regem alligaverit, in chartula, quæ huic inclusa est, plenè potestis cognoscere.*

Lib. 3. Epist. 6.

Qualiter autem verì Christi fideles hanc sui Pastoris sententiam probaverint, luculenter testantur illorum temporum Scriptores. Ac in primis Paulus Bernriedensis Canonicus Regularis S. Augustini in vita Gregorij VII." Igitur „inquit post excommunicationem & „depositionem Regis, Domini præeunte „gratiâ multi nobiles & mediocres ad „Deum toto corde conversi præfatum „Regem reliquerunt. Ipsi etiam qui „priùs partim Regalibus blanditijs, par„tim terroribus & minis contra Apo„stolicam Sedem conjuraverant, con„versi postmodum, digno in Regem „anathemati conscripserunt, mittentes „supplices ad Apostolicam Sedem nun„tios, epithemium pœnitentiæ postu„lantes. Misericordiæ discipulus non „quærens saturari pœnis reorum, gre„mium sanctæ Ecclesiæ aperuit, & ut „in fide Domini solidarentur, consola„torias eis litteras misit. Nonnulli verò

Henricus Regni administratione privatus, etiã à suis desertus.

„Episcoporum gementes tantum faci-
„nus, ad Apostolicam Sedem discal-
„ceatis pedibus venerunt, tamdiu inibi
„perdurantes, quo usque Dominus Papa
„misericordiæ manum & pietatis viscera
„eis compatiens aperiret. Interea Do-
„minus magnum miraculum in Regis
„& omnium oculis fecit. Quo cognito
„multi eum reliquerunt."

Idem testatur Domnizo Presbyter in vita Mathildis, in qua Synodum Romanam ad hanc sententiam ferendam ita Gregorium animantem inducit:

Tu Pater es Patrum, blasphemum contere pravum,
Est nostrum quippe jussis parere tuisque.
Pro Christo mortem patienter gliscimus omnes.
Iudicium confer, gladium trahe, percute fortem.
Omnibus excelso dignum clamantibus esse
Privari Regno Regem, maledicere nec non.
Papa dolens, vinclis anathematis illico strinxit

Regem

Regem prædictum. Cui Regnum devetat ipsum.

Qui Petrum Sanctum, qui Papam diligit almum,

Hoc anathema probat.

Et Marianus Scotus lib. III. Chronici ad annum 1075. "Gregorius VII. ,,querimonijs & clamoribus Catholico- ,,rum justis adversus Henricum, & sce- ,,lerum ejus immanitatem auditis, zelo ,,Dei accensus, jam dictum Regem ,,excommunicatum pronuntiavit, maxi- ,,mè propter simoniam. Quod factum ,,Catholicis quidem viris bene placuit: ,,Simoniacis verò, ac fautoribus Regis ,,nimium displicuit, qui dicebant: ,,numquam esse auditum, Regem ,,aliquando excommunicationi subdi- ,,tum. Facta est ergo maxima divisio in ,,Ecclesia Dei, Catholicis Domino ,,Apostolico studiosè faventibus ac præ- ,,ceptis ejus": (de quorum numero hoc erat, ut nullus eidem Henrico sicut Regi serviret) "Schismaticis Henrico, ,,& cooperatoribus ejus ex corde obe- ,,dientiam exhibentibus. Inter quos erant Prin-

Catholici probarunt Gregorij VII. sententiam in Henricum.

„Principes Anno Colonienſis Epiſcopus, „cum Reverendiſſimis Eccleſiarum „Rectoribus Sigefrido Moguntino, „Vetzelino Magdeburgi, Rucherio „Halberſtadenſi, alijſque Epiſcopis, & „Abbatibus, Monachis & Clericis, „aſſentientibus quoque Principibus to„tius Saxoniæ, Ottone Magno Duce, „Udone Marchione, Ludovico Comite, „cum alijs innumerabilibus, tam nobi„lium, quam infimorum militaribus „viris. Quorum fidei devotionem & „fervorem juſtitiæ Venerabilis Papa „Gregorius audiens, & contra eos „ſævitiam Henrici, fautorumque ejus, „ne deficerent in tribulationibus, miſſis „ad eos litteris, hæreticorum audaciam, „garrulitatem & ſuperbiam, auctore „Henrico, ac defenſore ad injuriam „Sedis Apoſtolicæ perſtrinxit elatam. „Quamobrem quod Regem anathematis „vinculo alligaverit, litteris inſinuavit: „quibus Catholici ad reſiſtendum iniquis „hæreticis conſtantiores effecti ſunt." Hæc Marianus.

De eâdem ſua ſententia B. Gregorius ſcribens Epiſcopis & Principibus Germaniæ, ac cæteris illo in Regno fidem Chri-

Christianam defendentibus, *Si Litteras* (inquit) *quibus Henricus dictus Rex, in Sancta Synodo judicio Sancti Spiritûs excommunicatus est: quid de eo debeat fieri, indubitanter cognoscetis. Ex illis enim intelligitur, cur sit anathematis vinculo alligatus, & à Regia dignitate depositus, & quod omnis populus quondam sibi subjectus à vinculo juramenti eidem promissi sit absolutus. Sed quia nos contra eum non movit, Deo teste sæcularis superbia, nec vana mundi cupiditas; sed sanctæ Sedis, & universalis Matris Ecclesiæ sollicitudo & disciplina: monemus vos in Domino Iesu, & rogamus sicut charissimos fratres, ut eum benignè (si ex toto corde ad Deum conversus fuerit) suscipiatis, & circa eum non tantùm justitiam, quæ illum regnare prohibet, sed misericordiam, quæ multa debet scelera, ostendatis."* &c.

Cum hæ litteræ innotuissent Episcopis atq; Principibus Germaniæ, Catholicæ fidei, & Apostolicæ Sedis, sanctæq; Romanæ Eccl. defensoribus: de his, quæ agenda essent, ut consultatio in re tam gravi quàm prudentissima adhiberetur, statuunt unà simul ad comitia convenire, quibus etiam præstò esse deberent Apostolicæ

stolicæ Sedis Legati. Placuit deliberatio ista Gregorio Papæ, moxque ea de causa legationem decernit in Germaniam, quæ eidem conventui interesset. Locus eligitur Triburia. Quinam Episcoporum ac Principum fuerint ejusmodi congregandi conventus, quæve in eo tractata fuerint, atque communi consensu deliberata, Lambertus testis fidelis narrat his verbis:

"Interea Rodulphus Dux Suevorum, „Vuelf Dux Bajoariorum, Bertholdus „Dux Carentinorum, Adelbero Episcopus Vuirtzeburgensis, Adalbertus „Episcopus Wormatiensis, & alij quos „Reipublicę calamitas movebat, in loco „qui dicitur Ulma, conventu habito statuerunt, ut omnes quicumque Reipublicæ consultum vellent, decimo „Kalend. Novembris Triburiam convenirent, & varijs cladibus quibus „permultos jam annos pax Ecclesiastica „turbabatur, tandem aliquando malorum „pertæsi finem facerent. Hoc Sueviæ, „hoc Baioariæ, hoc Saxoniæ, hoc „Lotharingiæ, hoc Franciæ Teutonicæ „Principibus denuntiarunt, universosque in commune per Deum obtestabantur,

,,bantur, ut omni excusatione relegatâ, ,,cuncta privatæ rei sollicitudine post-,,habitâ, hanc singuli communibus com-,,modis, vel extremam operam depen-,,derent. Qua expectatione suspensis ,,atque attonitis omnibus, Episcopus ,,Moguntinus, & alij quàm-plures, ,,qui eatenus partes Regis vehementiùs ,,tuebantur, ab eo defecerunt & adjuncti ,,supradictis Principibus ad melioran-,,dum Regni statum ardentissimo zelo ,,exarserunt.

,,Statuta die juxta condictum Prin-,,cipes Sueviæ, & Saxoniæ Triburiam ,,convenerunt amplissimo numero, ,,obstinatis mentibus ad submovendum ,,à negotijs Regni Regem Henricum, ,,& alium, in quem communis electio ,,consensisset, creandum. Aderant unà ,,legati Apostolicæ Sedis Sigehardus ,,Patriarcha Aquileiensis, & Altmannus ,,Pataviensis Episcopus, vir Apostolicæ ,,conversationis & magnarum in Chri-,,sto virtutum, cui Papa vices suas in ,,dispositione Ecclesiasticarum causarum ,,delegaverat; & Laici nonnulli, qui ,,magnis opibus relictis, ultro se ad ,,privatam tenuemque vitam propter

Conventus Triburiensis in causa Henrici.

Deum

„Deum contulerant, missi à Romano „Pontifice ut palam omnibus per Gallias „contestarentur, justis de causis excommunicatum esse Regem Henricum, & „ad eligendum alium Regem, Apostolici consensûs, & auctoritatis suffragium pollicerentur.

„Hi nec Principi nec privato cuiquam, „qui Regi Henrico dicto vel facto „aliquatenus post excommunicationem „communicassent, communicare volebant, donec publicè professus pœnitentiam per Altmannum Vicarium „Romani Pontificis anathemate absolveretur.

„Per septem itaque continuos dies „consilia conferentes, quod facto opus „esset, qua ratione periclitanti, & jam „naufragium minitanti Reipub. consulendum foret; perquirebant: "ac prętер alia concluserunt:

Quæ Henrico conditiones impositæ?

„Quod si Rex ante diem anniversarium excommunicationis suæ, suo „pręsertim vitio excommunicatione „non absolvatur, absque retractatione „in perpetuum causâ ceciderit, nec „legibus deinceps regnum repetere possit, quod legibus ultra administrare,

annuam

„annuam passus excommunicationem,
„non possit: si oblatam conditionem
„gratanter amplexetur, & Romano
„Pontifici per omnia subditum se,
„dictoque obtemperantem fore polli-
„ceatur: hinc se experimentum captu-
„ros, omnes quos ille excommunicavit,
„extemplo à convictu conturbernioque
„suo amoveat. Ipse in urbem Spirensium
„dimisso exercitu secedat, ibique solo
„Verdunensi Episcopo, paucisque mi-
„nistris, quos tamen sententia Princi-
„pum ab hac excommunicatione inte-
„gros incorruptosque probaverit, con-
„tentus privatam interim vitam agat,
„Ecclesiam non ingrediens, nihil circa
„publica negotia suo jure disponens,
„nullam Regij apparatus pompam, nulla
„Regiæ dignitatis insignia, sibi juxta
„solitum adhibens, usque ad Synodicam
„causæ suæ examinationem.

Conditiones (inquit *Natalis* Artic. V.) *à confœderatis Principibus sibi præscriptas Rex Henricus implevit, hac unâ exceptâ, quod Pontificem Augustæ non expectavit, sed ad eum in Italiam profectus est, ut absolutionem ab excommunicatione ab ipso impetrare conaretur; ne Regno prorsus* *Conditiones acceptavit.*

excideret

excideret absque ulla spe restitutionis, si anno integro in excommunicatione sordesceret.

Supplex Pontifici.

Pro absolutione Papam accessit nudis pedibus & laneis indutus, eamque cum multo fletu,& precibus ac instantia omnium, qui aderant impetravit. Ast in Apostolicæ Sedis gratia vix permansit.

Nondum enim Henricum Regem(inquit Natalis Art. VI.) *anathemate solutum Gregorius VII. dimiserat, cum Epponem Citicensem Episcopum ante eum præmisit, ut eos, qui ipsi excommunicatione adstricto communicaverant, ab excommunicatione pariter absolveret. Ejus legationem, & Apostolicam auctoritatem superbè ac procaciter contempserunt Schismatici Longobardiæ Antistites ac Proceres, sibi absolutione opus non esse contestati, cum excommunicatio à Pontifice lata nulla esset; Regem verò accusantes ignaviæ, indignumque Regno proclamantes, qui Majestatem Regiam fœdissima dejectione dejecisset, ac auctoritatem Ecclesiæ, Reipublicæ dignitatem prodidisset. Hanc ob causam eo abdicato, filium ejus licet impubem adhuc, & Regni negotijs immaturum Regem creaturos* &c. *Territus Rex insolitâ Rerum facie initum*

cum

cum Romano Pontifice fœdus abrupit, ut Longobardos sibi devinciret; pravos consiliarios dudum excommunicatos revocavit, summo Pontifici velut omnium malorum, quæ in Republica accidissent, auctori palam detrahere cœpit. *Relabitur.*

Interea confœderati Germaniæ Principes comitia ad III. Idus Martij in Forcheim indixerunt, ut rebus Imperij providerent, quarum ab administratione suspensus adhuc erat Henricus: Romanum Pontificem ad eum conventum invitaverunt. Is Regem per Legatos convenit, ut promissorum ac juramenti memor, indictis comitijs se sisteret, & ad crimina, quibus innocens (ut ipse asserebat) à calumniatoribus suis erat impetitus, se cognitore, & judice præsidente responderet: Multum rebus suis salutique apud Deum & apud homines collaturum, si Ecclesiam scandalis, Rempublicam bellis civilibus, seipsum fœdißimæ existimationis maculâ liberaret, præsertim cum ea die, discußis Synodicè, quæ adversùm eum afferantur, causis vel recepturus esset Regnum, vel sine omni deinceps retractatione amissurus. Legatis respondit Henricus, se multis & magnis Reipublicæ negotijs implicitum, non posse tam cito infectis rebus *Citatur ad Comitia.* *Recusat venire.*

Italiâ excedere: præterea diem conventui habendo statutum, è vicino imminere, seque tam brevibus induciis tantùm iter conficere non posse. Pontifex de ejus perfidia, & tergiversatione certus, ad confœderatos Germaniæ Principes Legatos misit Bernardum Cardinalem, & Bernardum Massiliensem Abbatem, qui ipsis nuntiarent, se conatum fuisse, ut die & loco statutis, communibus sanctæ Ecclesiæ utilitatibus tractandis præstò esset, sed Henrici diligentiâ ita circumventum, ita omnes, per quas transitus esse potuisset, itinerum angustias præoccupatas, ut nec tutò in Germaniam proficisci, nec tutò Romam redire posset: proinde suis interim rebus, & Regno Germaniæ consulerent: donec (si Deus vellet) adempta itineris difficultate, ipse venire, & collatis in medium consiliis, quid utilitati, quid paci Ecclesiasticæ expediret, secundùm Ecclesiæ Leges decernere posset. Ita refert Lambertus Schafnaburgensis, & istius Legationis commemoratione Historiam suam absolvit.

Rodulp. in ejus locum eligitur. *Saxoniæ, Germaniæ, Suaviæque Principes statâ die ad comitia in Forcheim convenerunt, summoque consensu Rodulphum Sueviæ Ducem in Regem elegere,*

his

his conditionibus, ut Episcopatus non pro pretio nec amicitia daret, sed unicuique Ecclesiæ de suis electionem (sicut jubent Canones) permitteret..... Qui Moguntiam ductus a Sigefrido Moguntino Archiepiscopo coram Sedis Apostolicæ Legatis unctus est, VII. Kal. Aprilis anno Domini MLXXVII. Ex Brunone in Comment. de Bello Saxonico, Mariano Scoto, Bertholdo Constantiensi, & Paulo Benriedensi in Actis Gregorij VII. Hæc *Natalis*: Quibus adde ex eodem Paulo ibidem, quod sequitur.

" Hunc igitur Rodulphum tam legitimè electum Archiepiscopi Moguntinus & Magdeburgensis cum eorum Suffraganeis, Legatis Sedis Apostolicæ, præsentibus Regni Principibus Regali unctione consecrarunt. Electus est autem ab Archiepiscopis, Episcopis, ducibus, Comitibus, Majoribus, atque minoribus in Conventu apud Forcheim ann. Dom. Incarnat. MLXXVII. ann. IV. Venerabilis Papæ Gregorij hoc in nomine septimi, Indictione XV. Idibus Martij: postea die duodecimo apud Moguntiam consecratus est, id est VII. Kal. Aprilis. Die autem prædictæ electionis nix ac

Regali unctione consecratur.

„gelu resolvi cœperunt, quæ eo anno à „festivitate omnium Sanctorum usque „in illum diem terram Teutonicorum „& Longobardiæ occupaverant: quod „quidam sapientum ita interpretati „sunt: Deum in legitimi Principis „electione suam adstipulationem mun„do denotasse per insoliti frigoris de„pulsionem, & per clementioris aëris re„parationem: præcipuè cum nullis ejus„modi promotio displicuerit, nisi illis „tantùm, qui se sub legitimo Principe, „simoniacæ hæresi, alijsque crimini„bus abrenuntiaturos fore, non dubita„bant: qui superiori Rege, non dico, „permittente, sed coôperante sanctam „Ecclesiam fœdare non cessaverant. „Nulli sanè Clerico, Monacho, sive „Laico hujus Principis promotio displi„cuit, nisi qui se ipsum sub ejus aucto„ritate corrigendum fore timuit, nisi „qui sanctam Ecclesiam juxta Canoni„cas Sanctiones instituendam fore con„tabuit, nisi qui intercluso simoniacæ „hæresis mercimonio divitias suas atte„nuari non dubitavit."

Ejusmodi promotio non nisi impijs displicuit.

Hæc autem promotio, quæ nullis nisi perversis displicuit, clarissimè mon-

strat

ſtrat omnium proborum Apoſtolicam ſententiam in Henricum latam probantium, ac præcipuè Epiſcoporum Procerumque Regni judicium: qui qualiter id conceptis verbis etiam expreſſerint, refert Lambertus Schafnaburgenſis in hæc eorum verba ad Henrici Legatos ex Villa Oppheim ad Triburenſem Conventum deſtinatos. "Cum ab Eccleſiæ „corpore propter flagitia ſua Apoſtolici „anathematis mucrone præciſus ſit, „cum ei communicare ſine communio-„nis Eccleſiaſticæ damno & fidei jactu-„ra non poſſimus, cum fidem noſtram „multis apud eum ſacramentis implici-„tam, Romanus Pontifex Apoſtolicâ „auctoritate explicuerit, extremæ pro-„fecto dementiæ eſſet, divinitus obla-„tam ſalutis occaſionem, non obvijs, „ut dici ſolet, manibus excipere, & „quod jam diu præmeditatum ſit, ut „agatur, tam opportuno tempore non „agere: quam leges humanæ & Eccle-„ſiaſticæ ſinant, cum locus & tempus „arrideant, quum denique omnia quæ „paci vel bello uſui eſſe ſolent, confi-„ciendæ tantæ rei favorem ſuum polli-„ceantur. Quapropter contemptis ina-

 nium

„nium argumentorum cuniculis,quibus „denuo in cervices jugilosque nostros „viam gladio suo affectat, immobiliter „animum fixum tenemus, ut absque „ulla dilatione, virum nobis providea„mus, qui præcedat nos, & prælietur „bellum Domini, ad expugnandam & „destruendam omnem cujuscumque ho„minis altitudinem elevantem & extol„lentem se adversus justitiam & veri„tatem Dei & Sanctæ Romanæ Eccle„siæ auctoritatem."

Qui Rodulphum in Regem elegere, ac alij, quibus placuit ista promotio, Gregorij VII. alteram sententiam, qua Henricus omnino exauctoratus est, legitimam ac validam existimarunt, cum per eam Rodulphus in Regia dignitate fuerit confirmatus, sic decernente Pontifice,ac Synodo Romana approbante: *Vt autem Rodulphus Regnum Teutonicorum regat & defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in Regem, ad vestram fidelitatem ex parte vestra dono, largior & concedo omnibus sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum.... Sicut enim Henricus pro sua superbia, inobedientia & falsitate à Regni dignitate justè abijcitur,*

In Synodo Romana VII. in Regem confirmatur.

abijcitur, ita Rodulpho pro ſua humilitate, & veritate poteſtas, & dignitas Regni conceditur.

Extat hæc ſententia (inquit *Natalis* art. VIII.) *in collectionibus Conciliorum, in Actis Romanæ Synodi VII. ſub Gregorio VII. In ejus etiam vita illam exhibet Paulus Benriedenſis. Eamdem Chronico ſuo Virdunenſi Hugo Flaviniacenſis inſeruit. Secundum hæc Gregorius coronam Rodulpho Regi miſit, cum hac inſcriptione:*

Roma dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Ita refert Otto Friſingenſis lib. 1. de Geſtis Frederici I. Imperatoris cap. VII. De his quoque Gotfridus Viterbienſis in Chronico, parte XVII.

Coronam à Pontifice miſſam Rodulpho, inquit D. Angelus de Nuce Abbas Caſſini in notis ad Chronicon Caſſinenſe, *miro artificio fabricatam hoc exametro circuminſculptam narrant plerique.*

Petra dedit, Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Inter illos pleroſque eſt Gotfridus Viterbienſis loco proximè citat. dicens:

Scriptus & insertus fuit in diademate versus:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Idem ante Vitterbiensem narrat Sigebertus ad ann. MLXXVII. Sic itaque de ista inscriptione dicendum est.

Hermannus in Rodulphi locum electus.

Rodulpho gloriosè vitâ functo, "Principes Regni Teutonicorum" (inquit Bertoldus Constantiensis, illius temporis probatissimus scriptor ad ann. MLXXXI.) "scilicet Archiepiscopi, „Episcopi, Duces, Marchiones & Comites, conventu facto, Hermannum „nobilem virum, sibi in Regem elegerunt: qui statim eo conventu aciem „contra fautores Henrici direxit: ipsi „enim electionem ejus impedire volentes eodem tempore maximam multitudinem contraxerant. Sed novo Rege „ex improviso irruente, omnes penitus „aut cæde prostrati sunt, aut irrevocabiliter fugati: licet Regiis militibus se „insequentibus, non parvo præstarent „numero. Quapropter Rex de divino „auxilio, tali triumpho certificatus, „câdem nocte in campo victoriæ castra metatus

„metatus eſt, & poſtea ad ſubjugandum „ſibi Regnum digreſſus eſt. Electus eſt „autem ante feſtum S. Laurentij, & in „ſequenti die, poſt feſtum ejuſdem „Sancti, de inimicis triumphavit in „confinio Baioriæ, in loco qui dicitur „Hoſtette: poſtea in Saxoniam conſe-„crandus diſceſſit. MLXXXII. Her-„mannus Rex nativitatem Domini „glorioſiſſimè celebravit Goſlare. Ibi „etiam in feſto S. Stephani, eò quòd „patronus ejus fuerit, Regiæ dignitatis „unctionem & coronam, Principibus „Regni annitentibus ab Epiſcopis ſo-„lemniter accepit." Hinc collige quam perſeverans in Teutonia & Saxonia fuerit de legitima Henrici exauctoratione ſententia.

Inunctus & coronatus.

"Hermannus Rex (pergit Bertoldus „ad annum MLXXXV.) Nativitatem „Domini Goſlare celebravit, ad quem „præfatus Oſtienſis Epiſcopus poſt Epi-„phaniam pervenit in Saxoniam, & „colloquio interfuit, quod Saxones „contra Henrici fautores condixerunt, „ut hoc illis probarent, ſe jure Henri-„cum vitare, ut excommunicatum. „Quod & facto colloquio, decimo quinto

Colloquium Saxonũ contra Henrici fautore.

„quinto die post Epiphaniam firmissi-
„mè probaverunt : ea videlicet ratio-
„ne, quia Romanus Pontifex illum eis
„à se in Romana Synodo anathematiza-
„tum litteris denuntiavit. Adversarij
„autem eis obiecerunt, quod Papa
„nequiverit excommunicare, eò quod
„expoliatus non potuerit vocari, ju-
„dicari sive damnari. Ad hæc Saxones
„responderunt: se judicium Sedis Apo-
„stolicæ nec debere retractare, nec pos-
„se: hoc cum illo potiùs tractandum,
„qui illum damnaverit, non cum Saxo-
„nibus, qui damnátioni ejus non inter-
„fuerint, qui Sedis Apostolicæ judicio
„nullam retractationem, sed obedien-
„tiam debuerint."

Anno MLXXXV. (inquit Natalis art. XV.) *Conventus communi partium consensu, id est Germanorum Antistitum qui Henrico, & qui Gregorio adhærebant, in Berchac Thuringiæ loco condictus est; in quo à viris sapientissimis Canonum auctoritate probaretur, cui parti justitia faveret; Imperatore tamen absente. Wecilo Moguntinus Archiepiscopus partes Imperatoris, S. Gebhardus Salisburgensis causam Pontificis tuitus est. Hujus colloquij Acta memoriæ prodidit*

prodidit Abbas Vrſpergenſis. "Affirma-
„bat, *inquit*, proponente hoc priùs We-
„cilone, Imperatorem non injuſto
„judicio tam Regno, quàm Com-
„munione, Apoſtolici ſententiâ pri-
„vatum. Contrà Wecilo Dominum
„ſuum præjudicium non minùs à Papa,
„quàm à Principibus paſſum contendit,
„dum ipſo apud Canuſium in ſatisfac-
„tione poſito, imò jam à Papa in com-
„munionem recepto, alterum ſuper ſe
„Regem elevaverunt, Adiecit, quod
„Imperator diu jam à Saxonia depulſus,
„& regnandi copiâ, etiam ab illa diſſen-
„ſione, quæ ante Rodulphum facta
„præſcribitur, ſpoliatus nec vocari, nec
„judicari, nec damnari canonicè debuiſ-
„ſet. Hoc Gebhardus improbrare ni-
„tens, aſſeruit neminem per hoc divinis
„abſolutum legibus, ſi fortè ſuâ quâli-
„bet re familiari fuerit ſpoliatus: quan-
„tò minùs Rex, qui Saxonia, quæ
„non ſuum duntaxat prædium, ſed Do-
„mini ſit Regnum, qui Daniele, vel
„ipſo Nabuchodonoſor teſte, cuicum-
„que voluerit, dat illud: cum etiam
„ante amiſſam Saxoniam, priùs ab Alex-
„andro, dehinc ab Hildebrando voca-
tus,

ſunt, quæ cauſam Gregorij VII. & Henrici ſpectant. Id autem non alijs, quam Bertoldi Conſtantienſis Presbyteri coævi Scriptoris verbis exequar."Cum omnes, *in-*
„*quit* juxta ordinem ſuum conſediſſent,
„prolata ſunt in medium Decreta ſanc-
„torum Patrum de primatu Sedis Apo-
„ſtolicæ, quod nulli unquam liceat ejus
„judicium retractare, & de ejus judicio
„judicare, quod totius Synodi publica
„profeſſione laudatum & confirmatum
„eſt. Et hoc utique contra Henricianos,
„qui Fideles S. Petri conſtringere vo-
„luerunt, ut excommunicationem Do-
„mini Papæ Gregorij ſuper Henricum
„cum illis retractare præſumerent."

Ecce, quomodo Catholici non ſolum Gregorij VII. Sententias contra Henricum probaverint duorum Principum in ejus locum ſucceſſiva ſubſtitutione, verùm etiam ſacris canonibus, eum in finem contra adverſantium errorem productis: quibus (ut ex eorum tenore generatim ſonante liquet, præfatas ſententias firmarunt, ac proſcripſerunt omnes, qui eas nullas & injuſtas eſſe, garriebant, & qui poſtea eorum aſſeclæ futuri eſſent. Neque enim judicium S. Synodi

Gregorij VII. ſententia in Henricũ confirmata.

Synodi reſtringi poteſt ad damnationem erroris, aſſerentium Henricum excommunicari non potuiſſe, eò quòd ſpoliatus Regno, nec judicari, nec damnari potuerit. Eam ſiquidem celebratam *Natalis* aſſerit contra Henricianarum partium Epiſcopos, qui *ſententias à Gregorio Papa contra Henricum Regem latas inBercbacenſi conventu retractari voluerant*, & quidem expreſsè eam, quâ fuit omnino exauctoritatus (ut ex colloquio Bercbacenſi paulò ante relato perſpicuum eſt) hæc proinde etiam in præfata Synodo confirmata fuit, atque eam damnantium error proſcriptus. Cum autem eamdem Synodum idem Auctor affirmet prælibato Henricianorum commento prudenter fuiſſe oppoſitam, quâ prudentiâ profert, orbem Chriſtianum ejuſdem Henrici exauctorationis ſententiam non ſolum de jure, ſed etiam de facto nullam exiſtimaſſe?

Henrici fautores excommunicati.

"In fine autem Synodi (inquit „Bertoldus) Sententia anathematis „cum ardentibus candèlis promulgata „eſt in Guibertum hæreſiarcham Sedis „Apoſtolicæ invaſorem, & in apo„ſtatas S. Petri, Hugonem Albanen-ſem,

„ſem, Joannem Portuenſem ex-Epiſco-
„pos, Petrum ex-Cancellarium. Item
„in Leomarum Bremenſem, Utonem
„Hildinesheimenſem, Ottonem Con-
„ſtantienſem, Burchardum Baſilien-
„ſem, Huzmannum Spirenſem, ex-E-
„piſcopos. Item in Wicelonem Mo-
„guntinum invaſorem, Sigefridum
„Auguſtenſem, Norbertum Curieſen-
„ſem: in hos inquam, & in omnes eorum
„complices inevitabilis ſententia ana-
„thematis promulgata eſt."

Sic itaque fuêre anathematizati à ſancta Synodo Henrici fautores, Gregorij VII. Sententias contra illum latas damnantes: quos prædictus Bertoldus digno hoc nomine deſignat.

„Sed hi omnes adverſarij Eccleſiæ *Adverſarij Eccleſiæ.*
„Dei, in tertia hebdomada poſt fini-
„tam Synodum, ſuam Moguntiæ col-
„legerunt non Synodum, ſed concilia-
„bulum, in quo umbratilem ſententiam
„excommunicationis, contra Fideles S.
„Petri deprompſerunt, utpote nequa-
„quaquam illos excommunicare valen-
„tes, ſed apertiſſimè ſe ipſos à commu-
„nione Catholicorum ſequeſtrantes, ut
„non tantùm judicio ſanctæ Eccleſiæ,
ſed

„ſed & proprio eorum judicio, ſicut „omnes hæretici, à Catholicis eſſent „ſeparati: Sedes quoque Catholicorum „Epiſcoporum viventium, temeraria „cupiditate cæcati, ſibi vendicare non „timuerunt."

Aſt ſicut fumus defecerunt. Dicit enim Cyprianus lib. IV. Epiſt. 2. *Schiſmaticos inter initia ſua fervere, incrementa habere non poſſe, nec augere quod illicitè cœperint, ſed ſtatim cum prava ſua æmulatione deficere.* "Beatus Anſelmus (inquit Bertholdus ad ann. MLXXXVI) „quondam Lucenſis Epiſcopus, ipſo „eodem ſuæ depoſitionis anno innume„rabilibus cœpit miraculis coruſcare, qui „poſt obitum venerabilis Papæ Grego„rij VII. Fideles S. Petri contra tyran„nidem Henrici, adhuc in carne vivens, „multùm incitavit, ſed multò plus poſt „obitum ſuum miraculis coruſcans, eoſ„dem contra eumdem perſiſtere con„fortavit; unde & pars Henrici de die „in diem cœpit deficere; Catholici au„tem in fidelitate S. Petri non ceſſave„runt proficere."

De die in diem cœperunt deficere.

Gregorio VII pretioſa in conſpectu Domini morte reſoluto Victor III. Succeſſit.

cessit. Qui statim (inquit idem Author ad ann. MLXXXVII.) "post electio-,,nem suam missis usquequaque litteris, ,,se juxta decreta Sanctorum Patrum ,,declaravit incessurum. Judicium quo-,,que sui Antecessoris piæ memoriæ ,,Gregorij Papæ super Henricum, & ,,omnes ejus fautores confirmavit."

Gregorij VII. judicium Henricū à Victore II. confirmatū.

Victori successit Urbanus II. Qui statim (inquit præfatus Author ad ann. MLXXXVIII.) "in sequenti die mis-,,sis litteris omnibus Catholicis, & suam ,,ordinationem omnibus declaravit, & ,,& se in omnibus vestigia sui Præde-,,cessoris piæ memoriæ Gregorij Papæ, ,,observaturum denuntiavit." Quod certè non fecisset, nisi probè novisset, id Catholicis omnibus placiturum, ac eos proinde ejusdem sui Antecessoris facta probare.

Adimplevit quod scripsit; Synodum namque celebravit, in quâ Gregorij VII. & Victoris II. res gestas contra Henricum & Guibertum Anti-Papam, confirmavit: de qua hæc idem Auctor ad annum MLXXXIX. "Dominus Papa ,,Urbanus, generalem Synodum CXV. ,,Episcoporum collegit, & Ecclesiastica

Etiam ab Urbano II.

„ſtatuta ſuorum Prædeceſſorum Apo-
„ſtolicâ auctoritate confirmavit". Eo-
dem ſpectat quod refert Dodechinus
Abbas in appendice ad Marianum ann.
MLXXXV. "Ipſe itaque (Urbanus
„Venerabilis Papæ Gregorij ſcripta &
„dicta contra Schiſmaticos habita con-
„firmavit. Henricum & Vigbertum
„Romanæ Eccleſiæ invaſorem cum om-
„nibus fautoribus ſuis ab Eccleſia Dei
„excommunicavit."

"Sed jam aliquantulum (pergit Ber-
„toldus) diuturna Regni diſcordia inter
„Catholicos & Schiſmaticos tepeſcere
„cœpit, ut non jam bellum ad invicem,
„ſed pacē componere ſaniùs judicarent.
„Quapropter duces & comites fideles
„S. Petri cum Henrico colloquium ha-
„buerunt, eique ſuum conſilium &
„auxilium ad obtinendum Regnum fir-
„miſſimè promiſerunt, ſi Guibertum
„hæreſiarcham vellet dimittere, & ad
„Eccleſiaſticam communionem per Ca-
„tholicum Paſtorem remeare. Quam
„quidem conditionem nec ipſe multùm
„reſpuit: ſi tamen in hoc ei Principes ſui
„aſſentiri vellent, videlicet Epiſcopi,
„qui ſe cum Guiberto deponendos eſſe
non

„non dubitaverunt, eò quòd in ejus „parte ordinationem, imò execratio-„nem perceperunt. Hi ergo ei penitus „hac vice dissuaserunt, ne S. Ecclesiæ „reconciliaretur.

Henrici IV. Principes.

Hinc collige, Catholicos ratas censuisse hujus Papæ sententias in eumdem Regem latas, ac non nisi Schismaticos eas reprobasse. Eâ etenim occasione, non quidem datâ, sed acceptâ, Regni discordia oborta est (ut ex Mariano supra laudato constat, ac ex Bertoldo colligitur) quod ad mandatum Pontificis fideles, per ejus sententiam ab Henrici obedientia absoluti, illi ut Regi parere, ac Regem recognoscere recusarent, nec non Rodulpho in ejus locum suffecto, adhærerent; alijs ut priùs Henrico faventibus. Cum ergo Bertholdus Regni discordiam inter Catholicos & Schismaticos fuisse commemoret, perspicuum relinquit, hos duntaxat ex-Regi tanquam Regi adhæsisse, illos à Gregorio VII. stetisse, ac sanctissimi viri judicia & facta probasse. Unde illa discordiâ tepescente, *Duces & Comites*, qui Henricum convenerunt ut tandem pax componeretur, *Fideles S. Petri* idem Auctor appellat:

Non nisi Schismatici ab ejus parte steterunt.

pellat: qui cum Rodulphus & Hermannus ejus legitimus in Regnum successor è vivis essent exempti, suam opem ad illud obtinendum eidem spoponderunt, si tamen oblatas conditiones acceptaret: quas suorum Principum, videlicet Episcoporum consilio respuit, quos vel ex hoc impio facto Schismaticos fuisse, liquidissimè constat: ac etiam, *eò quod in ejus parte ordinationem, imo execrationem perceperunt*: (ut Bertoldus ait) ex quo proinde iterum liquet, totam Henrici partem fuisse Schismaticam, utpote in qua non ordinatio, sed tantum execratio Episcoporum recipi potuit.

Tota Schismatica.

Unde hic Auctor Henricianos ubique Schismaticos nominat. Quod & ipse *Natalis* asserit art: XII. *Schismatis itaque labem purgare nullà ratione poterant Henricus & ejus partiarij*. Cunctos autem Catholicos Gregorij VII. partes contra eumdem Henricum secutos fuisse, etiam ex S. Anselmi Lucensis Pœnitentiario in ejus vita, clarè colligitur. Cap. namque III ubi commemoravit, quod Gregorius Henricum excommunicaverit, Regnumque interdixerit, ac propterea *à quam pluribus Regni principibus* fuerit

hic

hic abrogatus, cap. IV. ſubdit: *Eligitur interim in partibus Teutonicis Dux Rodulphus in Regem ad defendendam Catholicæ Eccleſiæ unitatem; propter quod magis magiſq; indignatus Henricus, ſpreto conſilio & auxilio Domini Papæ, in omnes Catholicos debacchatur iniquè.* Liquet proinde hos omnes à Gregorio VII. ſtetiſſe, ac ab Henrico defeciſſe: alioquin ob Rodulphi in ſuum locum ſubſtitionem in cunctos Catholicos non fuiſſet debacchatus. *Cuncti Catholici à Gregorio VII. ſteterunt.*

Urbano ſucceſſit Paſchalis II. Is "in „ſpecula totius Eccleſiæ conſtitutus (inquit, Dodechinus ad ann. 1097.)" juxta „tenorem Anteceſſorum ſuorum Alex„andri, Gregorij, Urbani, contra inva„ſores ſpiritualium Chariſmatum decre„tum promulgavit, ac denuo Henricum „Regem cum omnibus fautoribus ſuis „excommunicatum pronuntiavit. Anno „Domini 1102. (inquit Abbas Urſ„pergenſis) Imperator Henricus habito „cum principibus colloquio, Romam „ſe profecturum ac generale Concilium „circa Feb. Kal. inibi convocaturum „condixit: quatenus tam ſua quam Do„mini Apoſtolici cauſa canonicè venti-

 lata,

„lata, Catholica inter Regnum & Sa-
„cerdotium confirmaretur unitas, quæ
„tot annis scissa permansit. Constat ta-
„men nec ipsum juxta placitum venisse,
„nec nuntia dignitati Apostolicæ sub-
„jectionem profitentia misisse. Nec hoc
„latet, quod alterum Papam ipsi Domi-
„no Paschali superponere si fieri posset,
„conatus sit, nec profecerit. Transacta
„post hæc media quadragesima, con-
„venientibus universis Apuliæ, Cam-
„paniæ, Siciliæ Tuscaniæ, totius simul
„Italiæ Præsulibus, Ultramontanorum
„quam plurimorum Patrum Legatis,
„Synodus magna Romæ est habita, ubi
„præter antiqua patrum instituta more
„solito reverenter confirmata, etiam
„sæpe dictum nostri temporis schisma
„inter præcipuas hæreses computatur:
„ac perpetuò cum suis auctoribus atque
„sequacibus anathemate hujusmodi pro-
„fessione condemnatur. *Anathematizo*
„*omnem hæresim, & præcipuè eam, quæ*
„*statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ*
„*docet & adstruit anathema condemnen-*
„*dum, & Ecclesiæ ligamenta spernenda*
„*esse. Promitto autem obedientiam Aposto-*
„*licæ Sedis Pontifici Domino Paschali,*
ejusque

Synodus magna Romæ habita.

„*ejusque Successoribus sub testimonio*
„*Christi & Ecclesiæ, affirmans quod affir-*
„*mat, & damnans quod damnat sancta &*
„*universalis Ecclesia.* Ibi etiam quam
„sententiam in Imperatorem vel Patri-
„tium Romanum Henricum idem
„Apostolicus Paschalis promulgaverit,
„nos quoque inter innumeras diversa-
„rum gentium catervas proximâ Cœna
„Domini in Ecclesia Lateranensi ab ip-
„sius ore didicimus: nimirum postquam
„8. Kal. Octob. maris fluctibus Joppæ
„traditi Romæ sumus, per gratiam
„Christi prædictâ majori hebdomada
„introducti: *Quia*, inquit, *tunicam*
„*Christi scindere, id est, Ecclesiam rapinis*
„*& incendijs devastare, luxurijs, perjurijs,*
„*atque homicidijs commaculare non cessa-*
„*vit, primò à beata memoria Gregorio*
„*Papa, deinde sanctißimo viro Vrbano*
„*Prædecessore meo propter suam inobedien-*
„*tiam excommunicatus est atque condem-*
„*natus: nos quoque in proxima Synodo*
„*nostra judicio totius Ecclesiæ perpetuò eum*
„*anathemati tradidimus. Id notum volu-*
„*mus omnibus, & maximè ultramontanis*
„*esse, quatenus ab ipsius se contineant,*
„*iniquitate.*"

Gregorij VII. & Vrbani II. sententia in Henricum IV. approbata.

Perstantibus Romanæ Ecclesiæ Præsulibus in Gregorij VII. approbanda sententia in Henricum lata, in eodem sensu perseverarunt fideles. Unde Dodechinus ad ann. 1105. "Voluit, inquit, „Henricus senior Saxoniam hostili „manu invadere propter quosdam Ca„tholicos, quod minimè perficere po„tuit, quia filius eum detestabatur, „quemadmodum & cuncti Fideles, quo„niam & excommunicatus denuntiaba„tur à tribus Sedis Apostolicæ Præsu„libus, Gregorio scilicet, Urbano, & „& Paschali."

Easdem probarunt cuncti fideles.

Idem testatur Urspergensis ad ann. 1106. de ejusdem Henrici obitu, ac inde ubivis Christianorum concepta lætitia, hæc inter alia scribens: "Non altiùs con„cinnebat Israël Domino, Pharaone de„merso: nec augustiori ipsi Octaviano, „sive ullo umquam Augustorum ap„plaudebat Roma triumpho. Frenum „quippe quod erat in maxillis populo„rum, versum est illis in cantum sicut „vox sanctificatæ solemnitatis. Igitur „quia cessante exactore, requievit & „tributum, mox omnes, qui quæstûs „duntaxat gratiâ eidem principi eatenus

Earum lætitia de Henrici obitu.

adhæ-

„adhærendo, ſuas animas venalitati pro-
„poſuerant, deditioni Regis ſimul &
„communioni Catholicæ ſubijciuntur.
„Leodienſis autem Epiſcopus, cæteri-
„que co-Epiſcopantes, hac inter cætera
„recipiuntur in communionem pœni-
„tentiæ, conditione, quod cadaver ip-
„ſius excommunicati per ſe pridie in
„monaſterio tumulatum, effoderent,
„& abſque ulla ſepulturæ vel exequia-
„rum communione in loco non conſe-
„crato deponerent, comprobantibus his
„qui aderant Archiepiſcopis & Epiſco-
„pis, quia quibus vivis Eccleſia non
„communicat, illis etiam nec mortuis
„communicare poſſit. Quo facto paulò
„poſt corpus ipſum Spirenſi civitati eſt
„in ſarcophago lapideo Regis conſen-
„ſu delatum, ſicque extra Eccleſiam
„ibidem per quinquennium manſit in-
„humatum. Hic finis, hic interitus,
„hæcque ſors ultima Henrici illo ſub
„vocabulo IV. Romanorum Imperato-
„ris à ſuis appellati, à Catholicis verò,
„id eſt cunctis B. Petro, ſuiſque Suc-
„ceſſoribus fidem & obedientiam lege
„Chriſtiana conſervantibus, archipirata
„ſimul & hæreſiarcha, nec non & apo-
ſtata,

Henrico IV. adhærentes.

cadaver effoſſum.

In loco non ſacro tumulatum.

A ſuis tantùm Imperator habitus, non à Catholicis.

„ſtata , perſecutorque plus animarum „quam corporum competenter diceba-„tur, utpote qui nec naturalibus , nec „conſuetudianarijs contentus ſceleribus, „nova & à ſæculis inaudita , ideoque „nonnulla incredibilia excogitaſſe & „exercuiſſe infamatur."

Itaque ſacræ Romanæ Eccleſiæ, omnium Eccleſiarum Magiſtræ, Cardinis & Capitis judicio, Gregorij VII. ſententias adversùs Henricum latas probantis reliqui Catholici verbo & facto præbuerunt aſſenſum, ſoli Schiſmatici reclamarunt: Orbis proinde Chriſtianus eas nec de jure nec de facto nullas exiſtimavit, ſed luculenter approbavit. Nec quidquam refert adverſans Schiſmaticorum judicium. Ut enim olim de Schiſmaticis Novatianis ſcripſit S. Cyprianus Florentio Pupiano lib. IV. Epiſt. IX. *Prævaluit autem apud te contra divinam ſententiam, & contra conſcientiam noſtram, Dei juribus nixam, inimicorum & malignorum commentum, quaſi apud lapſos & prophanos, & extra Eccleſiam poſitos, de quorum pectoribus exceſſerit Spiritus Sanctus, eſſe aliud poſſit niſi mens prava, & fallax lingua, & odia venenata, & ſacri-*

sacrilega mendacia, quibus qui credit, cum illis necesse est inveniatur, cum dies judicij venerit.

R. P. Natalis Alexandri argumenta solvuntur, quibus judicium Orbis Christiani Gregorij VII. factis opponit.

SAnè, inquit, *dicere non potuit Gregorius VII. de opinione factoque suo, quod S. Leo ad Theodoretum scribebat de suis contra Eutychianam hæresim ad Flavianum litteris :* "Quæ nostro priùs ministerio „Dominus definierat, universæ Frater- „nitatis irrectractabili firmavit assensu, „ut verè à se prodijsse ostenderet, quod „priùs à prima omnium Sede formatum „totius Christiani orbis judicium rece- „pisset." *Exceptis enim paucis Præsulibus, Mathilde Comitissa religiosissima, alijsque devotis fæminis, quæ Gregorij partes contra Henricum sequebantur, & Saxonibus conjuratis, Christianus orbis reliquus Gregorij VII. Sententiam, quatenus* Argumentum I.

nus Imperatorem exauctorabat, non ſolum de jure, ſed etiam de facto nullam exiſtimavit. Sed nec id ceu dogma fidei docuit, aut credendum propoſuit Gregorius VII. quod poteſtas exauctorandi Reges Romano Pontifici conveniat.

Solutio. Reſpondeo, quod Gregorius VII. de ſua Henrici exauctorationis ſententia potuerit dicere, proportione ſervata, quod S. Leo de ſua. Licet enim à generali Synodo, quòd eam non coëgerit, probata non fuerit, ut Leonis ſententia Synodi Chalcedonenſis aſſenſu firmata, nihilominus Romana Synodus VII. ſub ipſo ſuo aſſenſu & auctoritate firmavit, ac reliqui fideles, ad quorum auditum, Pontificis decretum perſonuit, venerabiliter, ut decebat, ſuſceperunt, ut ex prælaudatis perſpicuum relinquitur.

Tam paucos autem Gregorij partes contra Henricum ſecutos fuiſſe, neſcio quomodo *Opponens* aſſerere potuerit. Paulò ſi quidem ante pag. ſcilicet 317. *Saxoniæ*, inquit, *Germaniæ*, *Sueviaque Principes ſtatâ die ad Comitia in Forcheim convenerunt, ſummoque conſenſu Rodulphum Sueviæ Ducem in Regem elegere*: qui proinde priorem ſententiam validam exiſtimarunt,

marunt, ac illam etiam, quâ dictus Henricus omnino fuit exauctoratus, cum per ipsam eorum electio fuerit confirmata. Pag. item 327. & 397. eumdem asserit assensu & auctoritate Synodi Romanæ exauctoratum: illi autem Synodi (ut ejus Acta habent) *interfuerunt Archiepiscopi, Episcopi diversarum urbium, nec non & Abbatum, ac diversorum ordinum Clericorum, & Laicorum innumerabilis multitudo.* Igitur plures Præsules, ac præter Saxones, non conjuratos, sed *fideles S. Petri* (ut eos Bertoldus appellat) Germani & Suevi Gregorij VII. partes contra Henricum secuti sunt. Unde Waltramus Magdeburgensis, ore licet impio & sacrilego in Epist. ad Ludovicum Thuringiæ Comitem, *Rodulphus*, inquit, *Hildebrandus, Eggebertus, & innumeri Principes Dei ordinatione in Henrico Imperatore restiterunt.*

Author Anonymus Apologiæ pro Henrico, seu Historia de ejus vita, quam edidit Vrstitius inter illustres rerum Germanicarum Historicos: "Qua surreptione, *inquit*, „delusus Apostolicus, simul & honore „creandi Regis, quem sibi fallaciter obtule- *Argumentum II.*

„obtulerant, impulſus, Regem banno „innodavit.... Abſolvit omnes à juramento, qui fidem Regi juraverant.... „Quod factum multis diſplicuit, & „aſſerebant, tam inefficaciter, quàm „illicitè factum, quod factum eſt."

Solutio. Reſpondeo, Anonymum hæc referre de priori in Henricum ſententia, quâ fuit videlicet omni Regi adminiſtratione privatus: *quod factum* (ut à Mariano ſupra audivimus) *Catholicis quidem viris bene placuit, Simoniacis verò ac fautoribus Regis nimium diſplicuit*. Et ad ann. 1076. *In Concilio*, inquit, 24. *Epiſcoporum, Abbatum multorumque Clericorum Wormatiæ menſe Martio facto, Præſente Henrico Rege, decretum eſt, ut bannum Hildebrandi Papæ nullus curaret, nec Papa eſſet*. Ecce, quibus multis Gregorij factum diſplicuerit. Quod & ex eodem Anonymo colligere licet, dum illam diſplicentiam velut probroſam commemorat: *Quod factum*, inquit, *multis diſplicuit (ſi cui diſplicere licet, quod Apoſtolicus fecit) & aſſerebant tã inefficaciter quã illicitè factũ quod factum eſt. Sed non auſim aſſertiones eorum ponere, ne videar cum eis Apoſtolici factum refellere*. Quin & addit: *Mox & Epiſcopi, tam*

tam illi, quos amor, quàm quos timor in partem Regis traxerat, metuentes ordini suo, ab ejus auxilio se plerique retrahebant: quod & major pars Procerum factitabat.

Quod autem idem Author præmisit, nempe: *Qua surreptione delusus Apostolicus simul & honore creandi Regis, quem sibi fallaciter obtulerant, impulsus*, apertum esse figmentum, ex ipso *Natali* fiet perspicuum.

De Saxonibus namque, nonnullisque Longobardis, Francis, Bavaris & Suevis Author ille Anonymus præmittit sequentia: *Videntes autem Regem (Henricum) bellis tangi posse, non dejici: vexari, non superari: quippe cujus robur adhuc erat inexpugnabile: ut vires ejus extenuarent, confictis conscriptisque super eo criminibus, quæ pessima & immundissima potuit odium & livor excogitare, & quæ mihi scribenti, & tibi legenti nauseam parerent si ea ponerem, vera falsis miscentes apud Romanum Pontificem Gregorium septimum eum deferebant, non decere tam flagitiosum plus notum crimine, quàm nomine, regnare: maximè cum sibi Regiam dignitatem Roma non contulerit: oportere Romæ suum ius in constituendis Regibus reddi:*

Commentum cujusdã Anonymi.

reddi : providerent Apostolicus & Roma de consilio Principum, cujus vita & sapientia tanto congrueret honori. Qua subreptione delusus Apostolicus, simul & honore creandi Regis, quem sibi fallaciter obtulerant, impulsus Regem banno innodavit, &c. Quàm apertum, inquam, hæc figmentum contineant, ex *P. Natali* collige.

Refellitur. *Henricus Rex* (inquit art. III.) *Ecclesiastica spernens decreta, & in criminibus contumaciter perseverans, acriùs à Gregorio VII. reprehenditur. Ille reprehensionis impatiens, Schismaticum contra Pontificem Conciliabulum Wormatiam congregat.* De quo ex Lamberto Schafnaburgensi hæc præter alia refert: *Omnes qui in Regno suo essent, Episcopos & Abbates Wormatiæ Dominicâ septuagesimæ convenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponendum Romanum Pontificem, si qua sibi via, si qua ratio pateret. In hoc cardine totam verti ratus salutem suam, & regni stabilitatem, si is non esset Episcopus...*

Conciliabulũ Wormatiense. *Rex stata die venit Wormatiam, venerunt etiam Episcopi & Abbates amplissimo numero. Commodè quoque conficiendis tantis rebus intervenit quidam ex Cardinalibus*

Romanis, Hugo cognomento Blancus, quem ante paucos dies propter ineptiam & mores inconditos, Papa de statione sua amoverat, deferens secum de vita & institutione Papæ scenicis figmentis consimilem tragædiam: scilicet quàm perverso ordine Sedem Apostolicam occupaverit, quæ ante Episcopatum, memoratu quoque incredibilia flagitia commiserit. Hujus auctoritatem tanquam divinitus sibi destinatam gratissimè amplexati, & promptissimè secuti, sententiam promulgarunt, quod Papa esse non posit, nec ullam juxta privilegium Romanæ Sedis, ligandi aut solvendi potestatem habeat vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris, ac criminibus commaculaverit..... Igitur ex nomine omnium qui convenerant, Episcoporum & Abbatum plenæ contumeliarum litteræ Romam destinantur, quibus denuntietur Romano Pontifici, ut Pontificatu quem contra Ecclesiasticas leges usurpasset, sese abdicet, sciatque post eam diem, quidquid agat, jubeat, decernat, irritum haberi.

Horribilis contemptus Sedis Apostolicæ.

Secutam autem ob ea scelera prædictam Pontificiam sententiam, *Natalis* sic commemorat Articulo IV. *Henricum Regem tam sæpe, tam amanter, tam*

 per

per Epistolas, per Legatos, per Agnetem Augustam Matrem, admonitum, rogatum, reprehensum de simonia, de usurpata Episcopatuum donatione, de patrocinio excommunicatis impenso, de libidine, crudelitate, tyrannide, cum non solùm in sceleribus perseverare, cum non solùm suas admonitiones, preces, increpationes, minas & Sedis Apostolicæ decreta contemnere, non solùm contumeliis Christi Vicarium & S. Petri successorem, sed Schisma facere, Germaniæque Episcopos quamplures, & Longobardiæ non paucos ab obedientia sua abstraxisse, videret Gregorius, diutius dissimulare non debuit, sed armis Spiritualibus, quæ Christus Ecclesiæ suæ reliquit, Ecclesiam, suamque dignitatem tueri; & anathemate confodere cùm Regem ipsum, tum Schismatis Incentores. Id præstitit in Romana Synodo anni MLXXVI. contumeliosâ Henrici Legatione suscepta, lectisque litteris insolentissimis, ut refert Lambertus Scafnaburgensis. . . . . De eadem Synodo & Henrici excommunicatione ita scribit S. Anselmi Lucensis Pœnitentiarius in ejus vita cap. III. "Cum igitur dissi-,,mulare ampliùs tanti facinoris mali-,,tiam non posset Apostolicus, excommuni-

Henricus justè anathematizatus.

„municavit tam ipſum, quàm omnes
„ejus fautores, atque omnem ſibi Re-
„giam dignitatem interdixit, & obli-
„gatos ſibi ſacramentis ab omni debito
„fidelitatis abſolvit: quia quod veren-
„dum etiam eſt dicere, præter hæreticam
„quam prælibavimus culpam, aderant in
„ſancto Concilio nuntij illius ſic au-
„dentes latrare: Præcepit nobis Domi-
„nus noſter Rex, ut Sedem Apoſtol. &
„Papatum utpote ſuum dimittas, nec lo-
„cum hunc ſanctum ultra impedias...
„Igitur quem ſui ſolius Judicio Domi-
„nus reſervavit, hic non ſolùm judicare,
„verùm etiam ſuum dicere, & quantum
„in ipſo eſt, audet damnare: quam ob
„cauſam omnis illa Sancta Synodus jure
„indignata, Anathema illi conclamat
„atque confirmat." Atque ut ex Paulo Bernriedenſi eodem loco narrat: *tandem omnibus acclamantibus, definitum eſt, ut honore regio privaretur, & Anathematis vinculis tam prænominatus Rex, quàm omnes aſſentanei ſui colligarentur. Accepta itaque fiducia Dominus Papa ex totius Synodi conſenſu, & Iudicio protulit Anathema.* Non ergo (ut dictus Anonymus per calumniam finxit) confictis crimi-

 nibus

nibus ad ſe delatis, nec Regum conſtituendorum jure deluſus, ſimul & honore creandi Regis impulſus illam ſententiam Gregorius tulit, qui eam ob tanta, eaque enormia vera flagitia, poſt tot paternas admonitiones ex totius ſanctæ Synodi conſenſu & judicio ſanxit & protulit, dum ampliùs diſſimulare non poſſet.

Argumentum III. *Itali, poſtquam Henricum anno MLXXVII. Gregorio colla ſubmiſiſſe audierunt, & promiſiſſe quod* "ad ejus ſententiam vel retineret Regnum, ſi objecta „purgaſſet, vel æquo animo amitteret, ſi „probatis criminibus, Regio deinceps „honore indignus judicaretur, interim „verò nulla Regiæ dignitatis inſignia „ſibi adhiberet, nihil circa rerum publicarum adminiſtrationem juxta conſuetudinem ſuo jure ageret" : *Cum, inquam, Henricum Regem tam indecoras conditiones accepiſſe audiverunt, ipſos Lambertus Schafnaburgenſis* "fremuiſſe" *refert ac proclamaſſe, ipſum* "fœdiſſima „ſubjectione ſua fidem planè Catholicam, auctoritatem Eccleſiæ, dignitatem „Reipublicæ prodidiſſe : tantumque „odium ei brevi conflarunt", *ut ipſum ad Majeſtatem tuendam contra Pontificis conatus coëgerint.*

Reſpon-

Respondeo hos fuisse Longobardiæ Antistites ac Proceres, quorum impietatem *Natalis* exprimit Articulo VI. his verbis: *Nondum Henricum Regem anathemate solutum Gregorius VII. dimiserat, cum Epponem Citicensem Episcopum ante eum præmisit, ut eos qui ipsi excommunicatione adstricto communicaverunt, ab excommunicatione pariter absolveret. Ejus legationem & Apostolicam auctoritatem superbè ac procaciter contempserunt Schismatici Longobardiæ Antistites ac Proceres, sibi absolutione non esse opus contestati, cum excommunicatio à Pontifice lata nulla esset, Regem verò accusantes ignaviæ, indignumque Regno proclamantes, qui Majestatem Regiam fœdissima subjectione deiecisset, ac auctoritatem Ecclesiæ Reipublicæ dignitatem prodidisset. Hanc ob causam eo abdicato, filium ejus licet impubē adhuc & Regni negotijs immaturum, Regem creaturos, & cum eo Romam euntes, Pontificem electuros alterum, per quē & ipse protinus Imperator consecraretur, & omnia Gregorij Acta rescinderentur.* Quem horrendis calumnijs impetebant (ut Lambertus Schafnaburgensis refert) dicentes: *quod Sedem Apostolicam per simoniacam hæresim occupasset, homi-* Solutio.

homicidijs cruentasset, alijsque Capitalibus criminibus polluisset. Horum proinde sacrilegorum factum à *Natali* objectum nullius momenti censeri debet, quos constat tantâ impietate fuisse obcæcatos, ut præter justæ animadversionis Apostolicæ contemptum, legitimum Pontificem è Cathedra deijcere, aliumque inthronizare proponerent, ac pro nihilo habuerint tam apertam sacrilegorum mendaciorum perditionem incurrere.

Argumentum IV. *Anonymus Historiæ Francicæ Scriptor Monachus Floriacensis in annum MCX. desinens, apud Duschesnium Tom. IV. non solùm Gregorij VII. factum non approbat, sed nec à Gallicana Ecclesia, in qua scribebat coævus Gregorio VII. & Henrico IV. approbatum fuisse, satis innuit, ita scribens:* "Gregorius magna Synodo Romæ „congregata, Henricum Imperatorem „de quibusdam criminalibus ad se delatis „accusabat. Imperator audiens se crimi-„nari, legitimam purgationem offert. „Papa autem purgationem ejus ne-„gat se recepturum, sed eum (cum „Imperio dignus non sit) anathemate „feriendum, nisi coronam Imperij depone-

„deponeret. Quô nolente Imperium „deponere, contra voluntatem totius „pene Concilij eum excommunica- „vit. Quæ res totum Ecclesiæ statum „turbavit." *&c. Tria docet ille Author, I. Henricum Imperatorem sæpius accusatum, legitimam semper purgationem & satisfactionem obtulisse, quam Papa repulerit. Secundò, à Papa contra totius pene Concilij voluntatem excommunicatum fuisse. Tertiò excommunicatione illa totum Ecclesiæ turbatum fuisse. At si* universæ Fraternitatis assensu *sive* totius orbis Christiani judicio *recepta ac firmata fuisset Gregorij VII. in Henricum sententia, & nova ejus de Ecclesiæ potestate in temporalia Regum opinio, totus Ecclesiæ status propterea turbatus non fuisset.*

Respondeo, quod hic Anonymus nullô verbô (ut legenti liquet) innuat, Gregorij VII. factum ab Ecclesia Gallicana non fuisse approbatum. Quomodo autem hæc illud probaverit, collige ex Bertoldo Constantiensi cœvo Historico fidelissimo ad ann. MXCIV. scribente: *In Galliarum civitate, quam Ostionem vulgariter dicunt, congregatum est generale Concilium à venerando Hugone Lugdunensi* *Solutio.*

Gregorij VII factum à Gallia approbatum.

Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ Legato, cum Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus diversarum Provinciarum XVII. Kalend. Novemb. In quo Concilio renovata est excommunicatio in Henricum Regem, & in Guibertum Sedis Apostolicæ invasorem, & in omnes eorum complices.

Commenta Authoris Anonymi confutantur.

Quod attinet tria, quæ ille Anonymus docet, non minùs ipsum impostorem & falsarium demonstrant, quàm priorem Anonymum paulò superiùs refutatum. Quod ex ipso *Natali* iterum clarè conficitur. Articulo namque II. *Gregorium VII.* (inquit) *amore singulari Henricum Regem complexum esse, nec in eum severitatem exercuisse, nisi tentatis omnibus benevolentiæ, mansuetudinisque medijs, ejus litteræ, & illorum temporum Historiæ demonstrant.* Henricum proinde legitimã purgationem & satisfactionem de objectis criminibus offerentem, Papa non repulit. Præterea vel loquitur Anonymus ille de prima Henrici excommunicatione, aut de secunda, si de prima; meram esse imposturam, quod Gregorius purgationem & satisfactionem ab Henrico oblatam repulerit, liquet ex ijs, quæ supra ad confutandum priorem

Anony-

Anonymum ex *Natali* produximus : ſi de ſecunda : quàm fuerit alienum à Gregorio VII. legitimam purgationem & ſatisfactionem Henrico denegare, ex eodem Authore colligitur. *Anno MLXXIX.* (inquit Art. VII.) *menſe Februario ſextam Romæ Synodum habuit Gregorius VII. in qua legati Regis Rodulphi contra Henricum* "proclamarunt, quod nulli loco, ,,nullique perſonæ parcens, Religionem ,,Tranſalpinam contereret, & conculcaret, neminem debitus honor vel ,,reverentia tueretur, & ceu vilia mancipia non modò Sacerdotes, ſed etiam ,,Epiſcopi, & Archiepiſcopi caperentur, ,,vinculiſque manciparentur, partimque ,,trucidarētur. Decreverunt ergo quamplures Concilij, in illius tyrannidem ,,gladium Apoſtolicum debere evaginari, ſed diſtulit Apoſtolica manſuetu-,,do," *inquit Paulus Benriedenſis in Actis Gregorij VII.* Diſtulit autem in annum ſequentem, ut ex art. VIII, ac ex Hiſtoriæ ſerie pateſcit. Hæc inquam luculenter oſtendunt, Gregorium VII. neutiquam Henrico negaſſe, legitimam purgationem & ſatisfactionem recipere, ſed declinaſſe ſententiam ferre, quouſque

potuit:

potuit: donec tandem *sentiens* (inquit idem Paulus loco citat:) *imminere diem, quem sibi in visione B. Dei Genetrix ad proferendam damnationis sententiam in eumdem adversarium Ecclesiæ designaverat, & ne ultra differret præcipiendo intimaverat, gravi cum dolore & gemitu parturivit, & auscultante & aspirante Concilio in hæc verba prorupit; Beate Petre,* &c. quibus Henricum excommunicavit, ac omnino exauctoravit. Ex quo præter clarissimam hujus facti justitiam, habetur, Henricum non contra totius pene concilij voluntatem à Gregorio VII. excommunicatum (quod secundùm est ejusdem Anonymi commentum) ac insuper *Natalis* affirmat VIII. dicens: *Pontifex sententiam excommunicationis & auctorationis in Henricum Regem protulit, auscultante atque aspirante concilio, inquit, Paulus Benriedensis.* De priori autem Anathemate in eumdem Regem lato ex S. Anselmi Lucensis Pœnitentiario art. IV. dicit: *Omnis illa sancta Synodus jure indignata anathema illi conlamat atque confirmat*: & ex Paulo Benriedensi: *Accepta itaque fiducia Dominus Papa ex totius Synodi consensu & judicio protulit Anathema.* Quod

Henricus præcipiente Deiparâ exauctoratus.

Quod tertium ſpectat, nempe excommunicationem Henrici, totum Eccleſię ſtatum turbaſſe, articulo ſuperiori in reſponſione ad I. ex ipſo *Natali* monſtratum eſt, illam turbationem non eſſe refundendam in Henrici Anathema, ſed in ejus, ac ſequacium impietatem, quam ex probatis Authoribus *Natalis* commemorat art. XI. *De ultrajectino Conciliabulo*, inquit, *Hugo Flaviniacenſis Abbas in Chronico Virdunenſi ita ſcribit*: "Ubi ad „aures Henrici Regis & fautorum ejus „Anathema à Domino Papa factum „perſonuit, infremuit factioſorum ſtrepitus, ac in Beati Petri Vicarium turpia „ac nefanda concrepans intonuit, dicen„tium, magum eſſe, impoſtorem, hæ„reticum, homicidam, fornicarium, & „ſi quid aliud adverſatur ſanæ doctrinæ. „Non debere Regem, Imperatoris filium, „qui non ſine cauſa gladium portaret, „qui Romanæ Reipublicæ Patritius „tutor ac defenſor eſſe deberet, tantam „pati Sanctæ Dei Eccleſiæ conculcatio„nem, ut homo omnium peripſema pro „ſuis ſceleribus juſtè puniendus & me„ritò ab Eccleſia exturbandus ſummam „illam Regij nominis Majeſtatem im„pugnaret.

Eccleſiæ turbatio Henrici & ſequacium impietati adſcribenda.

„pugnaret. Cum in hoc omnis perstre-„peret Aula, decretum est communi „concilio ut ille qui Reverendam à „sæculis Regiam Majestatem ab Ecclesia „extorrem pronuntiaverat, ab Ecclesiæ „corpore segregaretur. Et Romanæ „Ecclesiæ Pontifex qui supra omnes est „ab his qui ipsi subesse debebant ex-„communicationi adjudicatus est. O „dementia incomparabilis" &c.

His graviora adjungit de Conciliabulis moguntino & Brixiensi : de quibus hæc accipe ex Bertoldo ad annum MLXXX. ubi enarratâ Henrici exauctoratione & Rodulphi in Regem confirmatione subdit : *unde æmulus ejus, congregata multitudine Schismaticorum, sive excommunicatorum apud Brixinam legitimum Papam abjuravit, & Guibertum Ravennatem quondam Episcopum, sed jam triennio à Papa Gregorio irrecuperabiliter depositum & anathematizatum, sibi non in Papam, sed in hæresiarcham elegit, deinde apud Maguntiam conventu facto eamdem ipse electionem à quibuscumque potuit confirmari fecit.*

His atque è Synagoga Satanæ congregatis funesta adeo Ecclesiæ turba-

tio

tio adſcribenda eſt, non Gregorij facto. Nec refert, quod laudatus Anonymus contrarium inſinuet: *non enim cuivis Hiſtorico credendum eſt* (inquit Papirius Maſſonus de Epiſcopis Romanis in Greg. VII.) *ſed eis ſolùm, qui remoto omni odio omnique perturbatione animi & corruptela ſcripſere.* Qualem non eſſe hunc Anonymum liquet ex apertis figmentis, quæ retulit, Bennonis Pſeudo-Cardinalis impoſturis affinibus.

At dicit *Natalis* pag. 370. *gravia mala Gregorij factum Eccleſiæ peperiſſe, teſtatur* Helmoldus *in Chronico Sclauorum lib 1. cap. XXXIII.*" Diſputaverint, *inquit*, „de his qui ſciverint, vel auſi fuerint. „Unum dicere licet, quod Romana Ec„cleſia adhuc hodie luit factum illud."

Reſpondeo quod hæc mala Gregorij factum non pepererit, ſed eorum impietas, qui de ſtirpe Henrici regnarunt, ſe contra fas nefaſq; vindicantium. *A tempore enim illo* (immediatè ſubdit Helmoldus) *quotquot regnant de ſtirpe illa, omnibus modis nituntur humiliare Eccleſias, ne reſumant vires conſurgendi adversùs Reges, nec inferre, quæ intulerunt Patribus eorum.*

Neque

Neque obest quod hic etiam Author videatur hæc Gregorij facto velut causæ adscribere. Figmenta enim, quæ de illo ipse suo Chronico inseruit, ejus hac in re auctoritatem satis deprimunt. Capite namque XXVIII. libri ejusdem commerat, Henricum ob sua scelera ad Sedis Apostolicæ audientiam vocatum, tandem comparuisse, ac *sese Pastoris submisisse arbitrio: Accepisse in mandatis, ut anno integro Roma non discederet, equum non ascenderet, sed in veste humili circumiret limina Ecclesiarum, orationibus & jejunijs reddens dignum Pœnitentiæ fructum*: atque *id Regem humiliter adimplere sategisse*: & nihilominus Gregorium Cardinalium & Aulicorum impulsu, Henrici exauctorationem aggressum fuisse. Quod totum non nisi commentum esse, constat ex ijs, quæ ex probatissimis illius temporis scriptoribus & *Natali* hoc in articulo expressi: ex quibus etiam deprehenditur aliud figmentum, quod Helmoldus cap: XXXIII. de Henrico narrat his verbis: *fuit autem Ecclesijs admodum bonus, his videlicet quas sibi fideles persensit. Porro Romanum Antistitem Gregorium & cæteros insidiatores honoris sui,*

Commenta Helmoldi.

Refelluntur.

Commenta alia ejusdem.

ſui, ſicut infeſtos habuit, ita etiam infeſtare ſtuduit. Impulis eum ad hoc, ut multi dicunt, gravis neceßitas. Quis enim vel minimam honoris ſui jacturam æquanimiter ferat? Legimus autem, quia multi peccaverunt, quibus tamen ſubventum eſt pœnitentiæ remedio. Certè David peccans & pœnitens, Rex & Propheta permanſit. Rex autem Henricus ad veſtigia Apoſtolorum jacens, orans ac pœnitens, gratis peſſundatus eſt, nec invenit tempore gratiæ, quod ille obtinuit duro legis tempore. Hæc ille non ſine Gregorij ſanctiſſimi Pontificis injuriâ conſcripta: quem conſtat non fuiſſe Henrici honoris inſidiatorem, ſed conſervatorem, ſi is voluiſſet, nec ipſum aliquibus Eccleſijs bonum, & pœnitentem, gratis peſſundediſſe, ſed eum *omnium Eccleſiarum improbißimum prædonem & conculcarorem*, & ſceleribus ſcelera adijcientem ſancto approbante Concilio damnaſſe. Quod ergo Author ille huic facto malorum partum attribuat, quæ Romana Sedes ab impijs pertulit, nihili æſtimandum eſt. *Refutantur.*

Nulla itaque mala Gregorij VII. factum Eccleſiæ peperit, nec illo ejus ſtatus turbatus fuit, ſed Schiſmaticorum per-

verſitate

versitate inde occasionem sumentium virum sanctum, quia contrarium eorum operibus malis, ad mortem usque persequendi: qui cum de *Universa Fraternitate* non sint, sed per schisma ab illa præcisi, excitata ab illis ob id factum turbatio, nihil derogat *Universæ Fraternitatis* judicio idem factum probantis. Reclamantium præsumptioni egregiè reponit S. Anselmi Pœnitentiarius in ejus vita cap. V. Ubi summam virtutum ejus in eo ponens quod Gregorium VII. fuerit imitatus *adeo ut discrepare ab illo prorsus nollet, etiam in aliquo* eumque, à miraculorum gloria commendans subdit: *hic autem non tantùm, quia vitam fecit religiosam, imò quia fidelem peregit obedientiam, perfecto quoque odio partem odiens scismaticorum, & unitatem diligens atque* Nota. *defendens Catholicorum miraculis approbabat quod sermone docebat.* (Docebat autem Gregorij Magistri sui facta esse justa & rata) *Omnes ergo qui in unitate Catholica præceptis Dom. Papæ Gregorij hactenus obedistis* (inter quæ hoc vel præcipuum erat, ne Henricum pro Rege haberent) *gaudete & exultate, atq; his, qui retrorsum abierunt, & vestigia veritatis reliquerunt, ut factis*

modo

modò credant, dicite, quod verbis noluerunt
Adde quod in appendicibus ad Martyrologium Gallicanum ſcribit Andreas du Sauſſay Pariſinus. S. R. E. Pronotarius & Concionator Regius ad 25. May. *Gregorius VII. Papa Eccleſiaſticæ libertatis propugnator & defenſor extitit acerrimus: quem ob zelum ſacræ legis & diſciplinæ, quo flagrabat, impiorum caterva undique in eum conſpirans, diriſſimè oppugnavit: at Chriſtus, cujus vices dignè gerebat, ſuâ poteſtate corroborans, & illuſtrans mirificavit, multis ſignorum virtutibus per eum in vita editis & poſt mortem ad ejus tumulum patratis, quibus quàm ſtrenuè ſteterit pro lege Dei & grege fidelis Paſtor; quamque IVSTE LVPIS* (quorum Caput Henricus fuit) *adversùs ſe adeo frementibus reſtiterit, apertè conſtitit.*

Præterea Henricum IV. in ſuperhabita Gregorij VII. ſententia, in toto orbe Chriſtiano pro Imperatore agnitum habitumque fuiſſe, colligitur ex omnibus Authoribus, qui de Bello ſacro ſcripſere. Hi nempe ipſum, etſi Gregorij Papæ ſententia confoſſum, ſemper Imperatorē appellant, aut Regem: quod minimè ipſos facturos ſi ſententiam illam ratam fuiſſe exiſtimaſſent, vel unum Car- *Argumentum V.*

Cardinalis Baronij exemplum probat. Illos Authores appellare & eorum loca indicare satis erit, scilicet Anonymum & Fulcherium ad annum MXCV. Albertum Aquensem lib. I. Cap. VII. Guibertum Novigentinum Abbatem Lib. III. Cap. II. Guilielmum Tyrium Lib. I. Cap. XIII. & XIV. Lib. VIII. Cap. XXIV. Lib. IX. Cap. VIII. Quo postremo loco ita scribit :
"Saxonum populus inter Germanicas „nationes ferocissimus Romani Imperij „iuga ferre detrectans, & liberioribus „habenis excussâ disciplinæ regulâ va„gari cupiens, à Domino Imperatore „Henrico defecerat : inque sua adeo „erat obstinatione protervus, ut contra „prædictum Augustum, sibi Regem „crearet quemdam Comitem Rodul„phum nomine. . . . . Hac injuria per„motus Imperator universos Imperij „Principes ad se generaliter fecit evo„cari. . . . Illi verò omnes Imperij glo„riam æmulantes certatim seipsos ex„ponunt. . . . . Ex condicto igitur & „Domini Imperatoris mandato, ad lo„cum destinatum die præfixa infinita „millia secum trahentes adsunt de uni„versis Imperij finibus, tam Ecclesia-
stici

„ſtici quàm cæteri principes, Saxonum
„Regionem violenter ingreſſuri, &
„exacturi de tantis injurijs vindictam...
„Dux Godefridus cum aquila præce-
„dens Imperatorem, versùs aciem, cui
„præerat Pſeudo-Rex Rodulphus, con-
„tendens illuc aciem, cui præerat Im-
„perator direxit." *Si Henricus à Gregorio VII. excommunicatus & exauctoratus, Rex & Imperator fuit: ſi Rodulphus ab eodem Pontifice Rex confirmatus Pſeudo-Rex habitus eſt, exauctorationis ſententiam à Gregorio latam, non ſolum de jure, ſed etiam de facto nullam & irritam fuiſſe, rectè ex Guilielmo Tyrienſi Archipræſule colligitur.*

Reſpondeo Henricum IV. numquam fuiſſe verum Imperatorem. Etſi enim fuerit Imperator electus, haud tamen umquam confirmatus ac Imperij coronam legitimè accepit, tametſi multis illam inſtantijs à Papa niſus ſit obtinere, *Oraveritque Deſiderium Abbatem Caſſinenſem* (ut ait Leo Oſtienſis in Chron. Caſſin.) *ut de acquirenda Imperij corona, ipſe ſibi fautor exiſteret.* Unde *cum adhuc exigeret ut virgam Abbatiæ ab illo*

reciperet : respondit , quia cum Imperij coronam eum habere vidisset , tunc si sibi videretur, &c. Quod observans Angelus de Nuce in Notis , *Abbas Caßinensis* , inquit , *Imperatori fidelitatem debebat : Henricus autem nondum Imperij coronam acceperat , nec illam nisi reconciliatus Pontifici , accepturus erat.*

Quare Gregorius VII. nondum ullâ sententiâ in Henricum latâ , ipsum non nisi *Regem* in suis litteris appellat , ac priori suæ sententiæ præfixit hunc titulum : *Depositio Regis Henrici Filij Imperatoris Henrici* , &c. Non fuit ergo Imperator , proindeque multò minùs post exauctorationem in toto orbe Christiano pro tali agnitus habitusque.

Fatendum tamen , ipsum Imperiale nomen habuisse : ast quo sensu illo gloriari potuit , ex Bertoldo Constantiensi require ad ann. MLXXXIV. ita scribente : *In die Resurrectionis Dominicæ Henricus ab hæresiarcha suo Ravennate coronam non gloriæ , sed confusionis accepit. Nam hujusmodi coronator juxta attestationem sanctorum Patrum, non benedictionem, quam perdidit , sed damnationem , quam habuit , suo coronato imposuit. Ita quidem*

(ait

(ait Baronius ad eumdem annum) *ob idque ejusmodi execratione potiùs, quàm consecratione initiatus Henricus, ita dici meruit Imperator, sicut ejus initiator Guibertus meruit dici Pontifex; sicque sicut iste Anti-Papa, ita consecratus ab eo Pseudo-Imperator dicendus fuit ab Orthodoxis omnibus: nec ipsi nomen nudum Imperatoris aliquid potuit contulisse nisi maledictionem, quam tantùm consequi potuit à maledicto, ut hìc pluribus disputat ipse Bertholdus. Caterum assertum potiùs, quàm re ipsa, jure aliquo eum quis legitimum (si res ad calculum deferatur) dicere poterit Imperatorem; quo titulo ad consignanda certa tempora etiam positos vidisti superiùs in Annalibus tyrannos plerosque invasores Orientalis Imperij ejus nominis indignissimos.* *Henric. Pseudo-Imperator.*

Quod verò Authores, qui de Bello sacro scripsere Henricum semper Imperatorem appellent, nihil urget: licet enim Imperator de jure non esset, erat tamen de facto, cum se tanquam Imperatorem gereret: sicque à scriptoribus Imperator appellari potuit, estque appellatus, quamquam esset pseudo: Idem dicimus de Regio nomine, eidem licet exauctorato ab Authoribus attributo.

Familiare namque eſt, & priſcis etiam temporibus uſitatum, ut ille Rex vel Imperator appelletur, qui non de jure, ſed ſolùm de facto talis eſt. Etenim David Rex fugiens à facie Abſolon, ipſum non tyrannum, ut revera erat, ſed Regem appellavit; dicens ad Ethai Gætheum II. Reg. 15. *Cur venis nobiſcum, revertere & habita cum Rege.* Sed ut in eadem omnino materia ſiſtamus; Leo Oſtienſis & Deſiderius (qui Gregorio VII. adhæſere contra Henricum) hunc etſi exauctoratum, lib. III. Chronici Caſſinenſis Cap. l. *Imperatorem* appellant: ſic Marianus Scotus, Dodechinus, Conrardus à Liechtenauw, & Hugo Flaviniacenſis, ejuſdem Pontificis defenſores, ac ſententiæ in Henricum latæ probatores, ipſum licet hâc ſententiâ perculſum, in Chronicis *Regem* nominant: quin & ipſe *Natalis* Rodulphum, juxta ſuam opinionem *Pſeudo-Regem*, pag 328. *Regem* vocat, dicens; *Gregorius coronam Rodulpho Regi miſit.* Quid igitur momenti ex Authoribus, qui de Bello ſacro ſcripſere, Henricum etſi Gregorij Papæ ſententiâ confoſſum, *Imperatorem* appellantibus *aut Regem*, ut

hinc

hinc eos, totumque Orbem Christianum hanc sententiam reprobasse conficiat? Quinimo licet hi eam disertis verbis nullam pronuntiarent, haudquaquam posterius concludi posset: cum eô non Orbis judicium, sed suam duntaxat privatam opinationem exprimerent. Nec hujusmodi opinionis existimandus est Tyriensis Archipræsul, quòd Rodulphum vocitet *Pseudo-Regem*: ut enim hujus sublimationem describit, non poterat nisi Pseudo-Rex appellari: non autem juxta veridicæ electionis & confirmationis normam superiùs expressam: quæ ipsum latuit. Enimvero varia sunt, quæ hunc Authorem de his rebus non benè instructum ostendunt. Refert enim quod Rodulpho exaltato Henricus injuriâ *permotus, universi Imperii Principes ad se generaliter fecit evocari*: Illos verò *omnes Imperii gloriam æmulantes certatim se ipsos exposuisse*. Quod non contigisse constat, cum hi (ut *Natalis* refert ex probatis Authoribus art. VI.) *summo consensu Rodulphum Sueviæ Ducem in Regem elegerint*: atque, ut Bertoldus narrat, ad ann. MLXXXI. in defuncti locum Hermannum suffecerint. De

eventu autem conflictûs inter Henricum & Rodulphum, ſubdit Tyrienſis quod ſequitur: *Videntes autem Saxones Regem ſuum defeciſſe, defecerunt & ipſi, Domino Imperatori ſe dedentes, & ſatisfactione injuncta pro delicti modo, receptis munitionibus & obſidibus, quorum interventu ſe obligaverunt, ne aliquando ſimile attentarent, in gratiam reverſi ſunt.* Quod item liquet non eveniſſe, ſed Saxones, Rege ſuo licet ſaucio, victores evaſiſſe, & Henricum fugaſſe, ut Bertoldus Conſtantienſis, ad ann. MLXXX. & Bruno in Hiſtoria Belli Saxonici, probati & coævi Scriptores commemorant. Neque mirum videri debet, quod hic Author non aliam harum rerum notitiam habuerit: etenim Orientalis eſt, & aliàs ex profeſſo de ijs non ſcripſit, nec illo tempore floruit, ſicque illa quæ hinc & inde inſeruit, acceperit inſcius ex ſcripturis haud ita probatis, & in Henrici gratiam exaratis. Qui nihilominus Gregorij Anathema in hunc Regem latum velut juſtum commemorat lib. 1. cap. 13. ac proinde Rodulphum non Pſeudo-Regem vocaſſet, ſi eum sciviſſet tam legitimè electum & confirmatum, ut fuit. — *Deſi-*

Desiderius Caßinensis Abbas, quem Successorem optavit, habuitque Gregorius VII. Henrici iterato Anathemate confixi litteris accersitus anno MLXXXIII. ipsi respondit, "pro saluattione debitum fidelitatis obsequium in fronte Epistolæ „scribens. *Oranti* Henrico, ut de acqui„renda Imperij corona ipse sibi fautor „existeret, facturum se pro viribus pro„misit. . . . . Accepto ab Imperatore „præcepto aurea munito Bulla, de pos„sessione totius monasterij, petitâ re„meandi licentiâ, ad filios suos tandem „atque ad monasterium redijt." *Ita refert Leo Ostiensis in Chronico Caßinensi, Lib. III. Cap. XLIX. At si omni juramenti vinculo se ac cæteros Imperatoris subditos, solutos existimasset Desiderius Abbas nullum ipsi fidelitatis obsequium præstitisset, præcepta de monasterij possessione ab ipso non postulasset, siquidem omni præcipiendi jure illum carere agnovisset. Cum igitur Imperatorem constanter coluerit,* debitum fidelitatis obsequium *ipsi voverit, ab eo* præceptum *seu privilegium* de monasterij possessione *impetraverit, exauctorationem à Gregorio VII. factam, cui cuncta litteris suis significavit, &* Argumentum VI.

quid

quid sibi esset agendum, ut moneret, oravit, ipsomet Gregorio consentiente, vel dissimulante, nullam & irritam censuit. Atque eadem fuit omnium Cassinensium Monachorum sententia.

Solutio. Respondeo, Desiderium Abbatem exauctorationem à Gregorio factam constanter probasse. Henrici siquidem iterato anathemate confixi litteris accersitus, ad primas & secundas *nullum omnino responsum dedit, quia nesciebat cujusmodi salutationem ei scriberet* (inquit Leo Ostiensis lib. III. Chron. Cass. c. I.) Quod Angelus de Nuce expendens ait: *Quippe excommunicato fidelitatem & obsequium exhibere nec poterat, nec debebat*: Tandem coactus *Desiderius* (inquit Leo Ostiensis) *rescripsit ei pro salutatione debita fidelitatis obsequium, ideo quia nullam ei fidelitatem se debere putabat. Ita prudenti usus amphibologiâ* (dicit Angelus de Nuce) *& mendacium cavit, & discrimen. Cum enim nullam ei fidelitatem deberet, offerens quam debebat, nullam offerebat. Ita Petrus Damiani scribens Cadelao Anti-Papa Ep. 20. lib. 1. hac usus est Epigraphe.* "Cadelao dicto Episcopo, Petrus peccator Monachus, quod dig-

"dignum & justum est", *&* *Epist.* 21. *eidem*, "quod meretur." Coactus Desiderius Henricum adire, *postquam Albanum pervenit, neque ipse ad Imperatorem ivit, neque ad illum aliquem misit, sed per totam illam hebdomadam minæ sibi tantummodo ab Imperatore mittebantur.*

Nam mandabat ei, ut sibi fidelitatem faceret, & homo ipsius per manus deveniret (idest Vasallus ejus fieret, ut Angelus de Nuce exponit) *& Abbatiam de manu sua reciperet. Quæ videlicet omnia Desiderius forti animo contemnebat, dicens: se non modò pro Abbatia, sed nec pro honore totius mundi id minimè esse facturum. Cumque tam rigidum, & inflexibilem eum Imperator esse cerneret, iratus est valde.* Ita refert ibidem laudatus Ostiensis. In quibus sine ullo argumentationis circuitu, non modo clarè vides objectionis factæ nullitatem, sed Desiderio manifestè esse impositum, quod anathematizatum *Imperatorem constanter coluerit, ac debitum fidelitatis obsequium ipsi voverit.*

Neque censuit quopiam *præcipiendi jure illum* pollere Desiderius, quod *ab eo præceptum seu privilegium de Monasterii*

possessione

possessione acceperit. Erat enim Henricus Imperator de facto & usurpatione, etsi nullus de jure, ab eoque imminebat periculum, & eversio Monasterij. Ubi namque se constrictum vidit Desiderius ipsum adeundi *Fratres convocans, dixit ad eos: Angustiæ mihi sunt undique: si enim ad Imperatorem non iero, imminet periculum, & eversio Monasterij, si autem iero, & voluntatem ejus implevero, incurram periculum animæ; si verò iero, & voluntatem ejus non fecero, imminet periculum corporis mei, simulque timeo, ne iratus Imperator, ita Normannis Monasterium istud, quod sub tutela & defensione ejus est, sicut & totum Principatum concedat: pergam tamen ad eum tradens me morti, & periculo; neque enim faciam animam pretiosiorem, quàm Patrem sanctissimum Benedictum, nam & pro vestra communi salute, animarum, & corporum, locique istius incolumitate, si aliter fieri non potest, opto à Christo anathema esse.* Ita narrat ibidem Ostiensis: ac etiam, quod adhuc exigente Henrico, *ut virgam Abbatiæ ab ipso reciperet*, constanter renuit, & *interim quamdiu ibi permansit, quotidie, ac sæpe cum Episcopis, qui cum Impe-*

Imperatore erant, *de honore Apostolicæ Sedis contendit*, ſemperque confudit, donec tandem *Deſiderius ab eodem Imperatore præceptum aureâ bullâ bullatum de hujus loco poſſeſſionibus accipiens*, *&* *licentiâ redeundi ab Imperatore impetratâ*, *ad hoc monaſterium eſt reverſus*. *Sic invicta* (inquit Angelus de Nuce) *Deſiderij fortitudo in redarguendis Imperialibus tantùm abſuit*, *ut illi damnum pepererit*, *quin potiùs privilegium ab Imperatore retulit*. *Ita virtus etiam in hoſte venerabilis*. *Privilegium* ſcilicet illius, ut ex præmiſſis liquet, quod de jure competebat, quodque ab Henrico per uſurpationem poterat auferri, ſicque nullum jus legitimum in eo Deſiderius agnovit, ſed poteſtatem de facto & uſurpatam Monaſterium Normannis concedendi: quam vexam redemit per illius privilegij acceptionem.

Et quidem ſi nil aliud extaret, quo deſiderium probaremus, exauctorationem à Gregorio factam non cenſuiſſe nullam & irritam, ſed juſtam & ratam, quàm quod hic Pontifex (ut in argumento *Natalis* urget) ipſum ſucceſſorem petierit, nonne ſufficeret intento?

Quis

Quis enim ſanus & prudens in animum inducat, Gregorium voluiſſe illum ſucceſſorem (& tanto quidem deſiderio, ut Cardinalibus & Epiſcopis dixerit, ut oſtienſis refert, *ut ſi unquam aliquo modo poſſent eundem ad hoc officium promoverent*) quem ſciret ſuo præcepto de non agnoſcendo Henrico pro Rege reluctantem, & qui morti proximus (ut idem *Natalis* art. XVIII. refert ex Hugone Flaviniacenſi) conteſtatus eſt & affirmavit *omnes ſimul in perpetuum condemnandos, quicumque communicare præſumpſiſſent Henrico Archipiratæ uſurpatori Imperij, niſi depoſita dignitate Regni ſecundùm præceptum eorum Pœnitentiam ageret.*

Itaque Deſiderius Abbas exauctorationem à Gregorio factam haudquaquam *nullam & irritam*, ſed juſtam ratamque *cenſuit*: quod etiam luculenter oſtendit, dum ejus factus Succeſſor illam confirmavit, ut ſuperiùs exhibui. Cum autem *Natalis* ex oppoſito hujus Abbatis iudicio prætenſo, omnibus Caſſinenſibus Monachis idem aſſeveranter tribuerit (neque enim aliud fundamentum innuit) dicamus econtra, horum omnium fuiſſe unam cum ſuo Abbate

Abbate Desiderio sententiam, nempe Henrici exauctorationem à Gregorio factam fuisse justam, legitimam & ratam.

Otto Bambergensis Episcopus Investituram ab Henrico Imperatore acceptam in manibus Paschalis II. abjurans, datis ad ejus Sanctitatem Litteris, eumdem Henricum Dominum suum & Imperatorem appellat anno MCII. "In obsequio, *inquit*, ,,Domini Imperatoris per aliquot annos ,,degens,& gratiam in oculis ejus inve-,,niens, suspectam habens in manu Regis ,,Investituram,semel & iterum cum da-,,re vellet,renui Episcopatum,nunc verò ,,jam tertiò in Bambergensi Episcopatu ,,me ordinavit. In quo tamen minimè ,,permaneo, nisi vestræ placeat sancti-,,tati per vos me investire & consecra-,,re". *Paschalis Ottonem suâ communione, benevolentia,litteris dignatus est,ipsum non reprehendit,quod Henricum à Gregorio VII. exauctoratum, & à se novo anathemate percussum, ceu Imperatorem coleret, non postulavit,ut ejus Imperium excuteret, ut ipsi parere desineret: satis habuit quod Sedem Apostolicam, seque legitimum Pontificem veneraretur, & acceptam ab* Imperatore

Argumentum VII.

tore investituram ejuraret. Itaque *non solùm Otto, sed Paschalis ipse sententiam exauctorationis à Gregorio* VII. *in Henricum latam, nullam & irritam esse ac semper fuisse censebant. Ottonis Epistolam & Paschalis responsum in ejus actis legere est apud Canisium Tom.* II. *Antiq. Lectionis.*

Solutio. Respondeo, quod Otto Bambergensis in limine laudatæ Epistolæ, Sedis Apostolicæ potestatem profiteatur, qua Gregorius exauctoravit Henricum, dum illius auctoritatis eminentiam ita deprędicat: *Quia totius Ecclesiasticæ dignitatis, ac Religionis firmamentum in Christo petra est, & in Petro ejus discipulo, & ejus successoribus: idcirco ab hac Linea, ab hac Virga directionis, Virga Regnorum, Pontificatuum, & omnium potestatuum in Ecclesia, insanum duxi ab hac aberrare.* Fatetur proinde Otto, sedem Apostolicam pollere auctoritate in Regna, ac Regiam ceu Imperialem potestatem, quę in Ecclesia sunt, atque ea per consequens punire posse & judicare, dum bona non fuerint. Non censuit ergo Gregorij VII. Sententiam in Henricum latam, nullam & irritam, qui potestatem, à qua manavit, tam luculenter agnovit. Quod Henricum

ricum *Dominum & Imperatorem* vocaverit, nullius id roboris esse, claret ex dictis in responsione ad V. Paschalis autem Ottoni rescribens suum gaudium de mutatione dexteræ Excelsi significat, atque ipsum ideo dilaudans, ei suam opem addicit, atque ad audientiam Sedis Apostolicæ evocat. Quò comparens, se submisissimè subiecit Pontifici, ac ab eo consecratus Episcopus, ad Bambergensem Dioecesim remissus est, ut in ejus vitæ Actis legitur. Silentium verò de abdicatione Henrici, nihil probat. Hæc enim in Ottonis ad Sedem Apostolicam recursu ac illius submissione sufficienter includitur: utpote quæ inhibebat omnem cum Henrico communicationem: & quidem districtè adeo, ut Paschalis Epist. VII. Roberto Flandrensium Comiti præcipiat, ut Leodienses Henrico adhærentes ab Ecclesia expellat (qui tum id in Cameracensi Dioecesi executus fuerat) & ut *ubique cum posset Henricum hæreticorum caput, & ejus fautores pro viribus persequatur.*

Nullum profectò (inquiens) *gratius Deo Sacrificium offerre poteris, quam si eum impugnes, qui se contra Deum erexit,*

qui Ecclesiæ Dei Regnum auferre conatur; qui in loco sancto Simonis idolum statuit, qui à Principibus Dei Sanctis Apostolis, eorumque Vicarijs de Ecclesiæ domo Sancti Spiritûs judicio expulsus est. Satis itaque Paschalis *non habuit quod Sedem Apostolicam, seque legitimum Pontificem Otto Bambergensis veneraretur, & acceptam ab Imperatore investituram ejuraret*, si hunc colere, si huic parere perstabat: qua in hypothesi perspicuum est, ipsum ab eo Papa consecrationem non accepturum fuisse. Quin imò idem Pontifex Epist. cit. Leodienses excommunicatos pseudo-Clericos apellat, quòd Henricum honorarent, ac ipsi servirent ut liquet ex eorum responsoria epistola. Regiam namque degradationem affirmantes esse novellas Hildebrandi traditiones, "Nobis,
,,inquiunt, legem Dei tenentibus obii-
,,ciunt, quod transgrediamur eorum no-
,,vas traditiones: at illis dicit Deus:
Matth. 15. ,,*Quare vos transgredimini mandatum Dei*
,,*propter traditiones vestras*? Jubet Deus
Luc. 20. ,,ut quæ sunt Cæsaris reddamus Cæsari,
,,& quæ sunt Dei Deo; in hanc senten-
,,tiam Petrus & Paulus pedibus eunt.
1. Petri 2. ,,Petrus inquit: *Deum timete, Regem hono-*

„*honorificate. Servi, subditi estote in omni* „*timore Dominis, non tantùm bonis, &* „*modestis, sed etiam dyscolis: hæc est* „*enim gratia.* Paulus: *omnis anima pote-* „*statibus sublimioribus subdita sit. Qui po-* „*testati resistit, Dei ordinationi resistit.* „Qui hoc omni animæ præcipit, quem „à subjectione terrenæ potestatis exce-„pit? Quia ergo Regem honoramus, „quia Dominis nostris non ad oculum, „sed in simplicitate cordis servimus, ideo „excommunicati dicimur"? Ecce quomodo Paschalis concordem Gregorio VII. sententiam tenuerit, ejusque facta probaverit, ac reclamantes & in obedientes perstrinxerit. Penitus igitur à veritate alienum est, censuisse Paschalem, & Ottonem Bambergensem, *sententiam exauctorationis à Gregorio VII. in Henricum latam, nullam & irritam esse, ac semper fuisse.* Et quidem quomodo potuit *Natalis* tam asseveranter id Paschali imponere, qui in ipsa anathematis formula, quô de novo ipsum asserit Henricum perculisse, verbis disertis illam sententiam velut justam, illi se conformans refert, dicens: *Quia tunicam Christi scindere, &c. primò à B. Memoria Gregorio*

Rom. 13.

 Papa,

Papa, deinde à sanctißimo viro Vrbano prædecessore meo, propter suam inobedientiam excommunicatus est, atque damnatus: nos quoque in proxima Synodo nostra judicio totius Ecclesiæ perpetuo eum anathemati tradidimus. Oportuerat proinde illum Scriptorem talia subticuisse & sententiæ suæ consuluisset: dum enim tam apertè nulla in argumentum adducit, quid aliud quàm suæ sententiæ inanitatem prodit?

Argumentum VIII.

Sugerius Abbas in vita Ludovici VI. de Henrico V. ita scribit: "Henricus Imperator, vir affectûs paterni, & totius ,,humanitatis expers, genitorem Henricum crudelissimè persecutus, exheredavit; & (ut ferebatur) nequissima ,,captione tenens, inimicorum verberibus & injurijs, ut insignia Regalia ,,redderet, nec aliquid in toto Regno ,,proprium retineret, impijssimè coëgit. *Si exauctorationem Henrici Imperatoris à Gregorio VII. factam Sugerius Abbas justam existimasset, & vim aliquam habuisse, non scripsisset Henricum Seniorem à filio exheredatum, sed à violenta Regni usurpatione depulsum: nec injuriâ coactum dixisset, ut insignia Regalia redderet, quæ injuriâ potiùs retinere dicendus erat, si*

justè fuisset exauctoratus. Itaque Sugerius Abbas sententiam exauctorationis in Henricum a Gregorio latam, injustam ac irritam existimavit : idemque fuisse omnium Galliæ Præsulum de hoc Gregorij facto judicium verisimile est.

Respondeo, Sugerium Abbatem debitæ in Sedem Apostolicam observantię fuisse tenaciorem (quod in ejus ad Eugenium III. datis litteris promicat) quàm ut tam sinistrum judicium admiserit. Primum, quod in contrarium adducitur, non magis id probat, quàm Regium vel Imperiale nomen eidem Henrico à Scriptoribus attributum conficiat, eos hujusmodi opinationis fuisse. *Solutio.*

Ut enim quis Rex aut Imperator appelatur, quamquam usurpatione talis; sic exheredari dicitur, dum ab eo depellitur, quod injusto hæreditatis titulo possidet. Nisi enim Juridici nossent hæreditatem non justam, non uterentur hoc vocabulo *justa hæreditas* (ut faciunt in *leg*. 3. §. *fin. ff. pro socio*. Proinde potuit Sugerius scribere *Henricum Seniorem à filio exheredatum*, tametsi censuerit ipsum à Gregorio justè exauctoratum, uti ab

Authoribus Rex aut Imperator fuit appellatus, qui ipsum pseudo-existimabant.

Neque urget secundum, nempe Henricum *injuriâ coactum, ut insignia Regalia redderet*. Non enim hoc Sugerius, velut proprium & suum faciens scripsit, sed solum *ut ferebatur*: quo modo nec narrationem probavit nec improbavit. Et dato quod probasset, nil inde concludi potest, nisi coactionis modum fuisse injurium, qui tamen talis non fuit, ut ex Conrardo Urspergensi constat.

Esse autem verisimile, omnes Galliæ Præsules exauctorationis sententiam in Henricum à Gregorio latam injustam ac irritam existimasse, quo fundamento nititur? Nimis enim, & avitæ observantiæ memores, erant hi Romanæ Sedi addicti, ut reverendam hanc ejus sententiam reprobassent: Quod fuerit eorum de hoc facto judicium præter dicta in responsione ad IV. Collige ex S. Ivone Carnotensi, illâ ætate Ecclesiæ Gallicanæ micantissimo Lumine, Epist. 239. perspicuè innuente, non minùs Gregorij factum contra Henricum, quàm Ambrosij contra Theodosium in Gallia proba-

probatum fuisse: *Numquid*, inquit, *culpas factum Clarissimi Doctoris Ambrosij, qui Theodosium Imperatorem ob suam culpam excommunicavit? Numquid incusas Gregorium septimum, qui Regem Henricum ob scelera damnavit?* Quod sanè B. Præsul minimè scripsisset, nisi communi sensu tam Gregorij quam Ambrosij sententia habita fuisset rata: alioquin inanis fuisset illa interrogatio: potuisset enim in hypothesi Laudunensis affirmando respondere, se Gregorij factum incusare: neque id mirum aut absonum debere videri, cum passim ab omnibus nullum & injustum reputetur. Itaque Galliæ Præsules tam sinistræ sententiæ non fuere, sed ut pios & cordatos decebat, illud factum velut justum & Sanctum (ut erat) probarunt.

Galliæ Præsules probarunt Gregorij VII. factum contra Henricum.

In Gallijs & Germania communem non fuisse opinionem, quod Romanus Pontifex Imperatorem exauctorare: ejusque subditos à juramento fidelitatis absolvere posset, adeoque Gregorij VII. *Sententiam, quatenus Imperatoris exauctorationem decernebat, & subditos juramenti vinculo, quo ejus Majestati erant obstricti, solvebat, nullam & irritam habitam fuisse, ex eo colligitur,*

Argumentum IX.

quod Herimannus Metensis Episcopus à Gregorio postulaverit doceri, quomodo nova illa & inaudita auctoritas, quam sibi tribuebat, adversùs eos qui ipsam negabant, probari posset. "Quod autem postulasti, *inquit Gregorius Epist*: XXI. *lib*. VIII. „te quasi nostris scriptis juvari ac præmuniri contra illorum insaniam, qui „nefando ore garriunt, authoritatem „Sanctæ & Apostolicæ Sedis non potuisse Regem Henricum .... excommunicare, nec quemquam à sacramento fidelitatis ejus absolvere, non „adeo necessarium nobis videtur" &c. *Potestatem excommunicandi Principes sceleribus obstrictos nullus tunc negabat: Id negabant unum Germaniæ & Galliæ Præsules ac viri eruditi, abstinendis suo merito Principibus Regiam potestatem tolli posse, & subditos à juramento fidelitatis absolvi.*

Solutio. Respondeo. Quo debiliori fundamento nititur *Opponens* Galliæ Præsules in sententiam Gregorio nostro adversam pertrahere, eò magis firmatur oppositum, paulò ante exhibitum, ipsos nempe hujus Papæ sententiam in Henricum latam probasse, ac potestatem, à qua manavit, agnovisse. Quæ enim

Gallorum

Gallorum Antiſtitum prætenſi ſenſus connexio cum objecta Herimanni in Germania Præſulis poſtulatione? Hæc quidem indicat, plures in Germania dictam ſententiam reprobaſſe (quos Schiſmaticos fuiſſe ex ſuperioribus conſtat) nihil autem de Galliæ Præſulum ſententia inſinuat, quos ſine fundamento ijs adnumerare non licet, quos Sanctiſſimus Pontifex & *afflatu Spiritûs Sancti, non humanæ prudentiæ rationibus ductus*, hac gravi cenſura perſtringit. Epiſt. cit.

Quod autem poſtulaſti, te quaſi noſtris ſcriptis juvari ac præmuniri contra illorum inſaniam, qui nefando ore garriunt, auctoritatem Sanctæ & Apoſtolicæ Sedis non potuiſſe Regem Henricum, hominem Chriſtianæ legis contemptorem, Eccleſiarum videlicet, & Imperij deſtructorem, atque hæreticorum auctorem & conſentaneum excommunicare, nec quemquam à Sacramento fidelitatis ejus abſolvere; non adeo neceſſarium nobis videtur, cum hujus rei tam multa ac certiſſima documenta in ſacrarum Scripturarum paginis reperiantur. Neque enim credimus, eos qui ad cumulum ſuæ damnationis veritati impudenter detrahunt & contradicunt, hæc ad ſuæ Gravis cenſura.

suæ defensionis audaciam tam ignorantiâ, quàm miseræ desperationis vecordiâ coaptasse. Nec mirum. *Mos est enim reproborum, ob suæ nequitiæ protectionem niti consimiles sibi defendere quia pro nihilo habent mendacij perditionem incurrere. . . . . . . Quis nos Henricum non solùm Apostolicorum judiciorum contemptorem, verùm etiam ipsius Matris Ecclesiæ quantum in ipso est, conculcatorem, totiusque & Ecclesiarum improbißimum prædonem, & atrocißimum destructorem deposuisse & excommunicasse reprehendat, nisi forte similis ejus ? sicut Beato Petro docente cognovimus in epistola de ordinatione Clementis in qua sic ait, si quis amicus fuerit ijs, quibus ipse de eodem Clemente dicens non loquitur, unus est & ipse ex illis qui exterminare Dei Ecclesiam volunt: & cum corpore nobiscum esse videatur, mente & animo contra nos est; & est multò nequior hostis hic, quàm illi qui foris sunt, & evidenter inimici. Hic enim per amicitiarum speciem quæ inimica sunt gerit, & Ecclesiam Dei dispergit ac vastat.* Non erant ergo hac gravi censura (partim à *Natali* citatâ) Galliæ Præsules sine fundamento involvendi.

Major

Major certè his honor & cultus debitus, quàm ut hominibus tam impijs, à Deo & Ecclesia reprobatis connumerentur.

Hos neque ullam tunc negasse *potestatem excommunicandi Principes sceleribus obstrictos*, est Gregorium & Herimannum, fictionis incusare: quâ sibi hostem finxissent, quem ferirent. Liquet id apertè ex verbis Pontificis à prælibato scriptore adductis: quibus claret, & Herimmannum postulasse juvari & muniri scriptis Pontificijs, & Gregorium pronuntiasse contra negantes *potestatem excommunicandi Principes sceleribus obstrictos*: Tunc igitur fuerunt qui ad Schisma privatam hanc hæresim adderent, eò suâ cæcitate abducti, ut Henrici causam adversùs Gregorium quovis prætextu tuerentur. Quorum adeo insanam sententiam idem Gregorius plenissimè confutavit laudatis litteris ad Herimannum Metensem Episcopum, qui præ cæteris ultra montes positis Episcopis semper adversùs Schismaticos pro Apostolica Sede stetisset defensor acerrimus, atque adhuc persisteret imperterritus, multa ob id passus ab ijs, qui Henrico inhærentes sese

Schis-

Schismaticis conjunxissent, qui & ipsi cum in suam defensionem, ut scelus honesto aliquo prætextu velarent, jactare solerent, non potuisse Romanum Pontificem Regem excommunicare, atque regno privare: contra quorum insaniam Herimannus Gregorij scriptis munitus, ejus exauctorandorum Regum potestatem (perperam *novam & inauditam*, & nonnisi à Schismaticis sic sugillatam) ac excommunicandorum authoritatem, strenuè & feliciter propugnavit.

Argumentum X. *Quodnam fuerit orbis Christiani Iudicium de sua in Henricum Imperatorem exauctorationis sententia, testatur ipse Gregorius VII. Epist. III. Lib. VII. ad Germanos scripta.* "Quotquot, *inquit*, Latini „sunt, omnes causam Henrici præter „admodum paucos, laudant ac defen„dunt, & pernimiæ duritiæ ac impie„tatis circa eum me redarguunt".

Solutio. Ast *quibus* (subjungit vir sanctissimus) *Dei gratiâ omnibus sic restitimus hactenus ut in neutram adhuc partem, nisi secundùm justitiam & æquitatem, secundùm intellectum nostrum declinaremus. . . . . . Sciatis indubitanter, quoniam, Deo guber-*

nante,

nante, nemo hominum, ſive amore ſive timore, aut per aliquam cupiditatem potuit me unquam aut amodo poterit ſeducere à recta ſemita juſtitiæ. Quotquot Latinos ſibi adverſarios in Henrici cauſa Gregorius ſignificat, hos Scafnaburgenſis Italos appellat, non tamen omnes, ſed Longobardiæ Schiſmaticos Antiſtites & Proceres, ut in reſponſione ad III. videre eſt: quorum impietati ibidem deſcriptæ juvat adjungere: quod eorum animus ab Henrico alienatus debuerit inauditâ malitiâ reconciliari & indignatio mitigari. *Territus Rex* (inquit *Natalis* art. VII.) *inſolita rerum facie, initum cum Romano Pontifice fœdus abrupit, ut Longobardos ſibi devinciret: pravos Conſiliarios dudum excommunicatos revocavit, ſummo Pontifici velut omnium malorum, quæ in Republica accidiſſent, auctori palam detrahere cœpit.* "Dein conditio„nes omnes & univerſa Eccleſiaſticarum „legum vincula, quibus eum Pontifex „in ſalutem obſtrinxerat, contemptim „tanquam aranearum telas dirupit, ab„jectiſq; omnibus timoris Dei habenis, „in omne quod animus ſuggeſſiſſet, „effrænata libertate ferebatur" (*inquit*

Lam-

Lambertus Scafnaburgensis) *His paulatim rebus* (subdit hic Auctor) *Italorum indignatio mitigari, furor deflagrare, studio denuò in eum incalescere cœperunt, ita ut frequentior indies ad eum multitudo conflueret.* Neque his impietas insueta erat: Schisma namque Cadaloicum adversùs Alexandrum II. eidem conflarunt, ut legitur in antiquis Gestis Romanorum Pontificum à Nicolao Aragonensi collectis: ubi de eorum impio facto hæc habentur: *Longobardorum Episcopi, tam Simoniaci & incontinentes, quàm alij facinorosi, auctore Guiberto Parmensi* (Cancellario Regis, homine nequissimo, ut idem Auctor habet in Nicolao II.) *convenerunt in unum, & consimilium Clericorum multitudine congregata, communiter statuerunt, ut aliunde non deberent Papam recipere, quàm de Paradiso Italiæ* (ita Longobardiam nominabant) *& talem personam quæ infirmitatibus eorum compateretur, & condescenderet. Quo facto aliquos ex ipsis ad Imperatricem ultra montes miserunt, quibus ejus animum quibusdam verisimilibus figmentis allicerent, & sibi propitiam facerent.* Quibus effecerunt, ut Cadalous, tunc Parmensis

Epis-

Episcopus, legitimo Pontifici superimpositus fuerit: ut ibidem legitur.

Hi ad breve temporis spatium ad Ecclesiam reversi, ob spretam Canonicam & Apostolicam auctoritatem, ac motam contra B. Petrum conspirationem à Gregorio Papa in III. Rom. Synodo ab omni officio Episcopali suspensi & ab Ecclesiæ communione separati (ut ibidem legitur) odio inextinguibili in ipsum exarserunt, ac Henrici partes secuti, ut se vindicarent, eum adversùs Papam (ut audisti) impijssimè commoverunt, Principem locum inter eos tenente Guiberto Ravennate Schismatis Cadaloici incentore, qui Longobardiæ Principes in idem facinus concitavit. Mirum itaque non est, quod homines tam impij (à quibus perperam petitur Orbis Christiani judicium) sicque suâ malitiâ obcæcati, Henrici causam laudaverint & defenderint, nec non Gregorium Papam Sanctissimum tam impudenter & graviter incusarint. Quos omnes sibi adversos, signanter *præter admodum paucos*. B. Pontifex significat, quia, ut S. Anselmi Lucensis Pœnitentiarius in ejus vitâ cap. V. scribit *per omnem*

Longo-

Longobardiam Catholici Episcopi tunc inveniebantur certè rarißimi.

Nec est quod reponatur: Gregorium id generatim de Latinis asserere. Licet enim Longobardi Episcopi Henrico inhæserint, secus tamen contigit de Episcopis Venetiarum Provinciæ, Aquileiensis Ecclesiæ & alijs sibi subditis, qui Gregorio adhæserunt, ut Epistolæ ejusdem Gregorij indicant, quibus & constat, Mediolanenses milites & eorum Ducem Vuffridum pariter contra Henricum favisse Gregorio. Novit item Gregorius centum & ultra Episcopos præter Abbates & Clericos & laicos sibi in magna Romana Synodo concordes, quoad priorem in Henricum sententiam, ac Archiepiscopos & Episcopos diversarum urbium, nec non Abbatum ac diversorum Ordinum Clericorum, & laicorum innumerabilem multitudiné, qui omnes in VII. Romana Synodo Henrici ejusdem exauctorationem probarunt. Taceo de Ultramontanis, quos clarum est sub vocabulo Latinorum à Papa non comprehendi.

Præterea, quod si daremus *Natali* (quod tamé non) Gregorio adhærentium numerum

numerum fuisse pusillum, adversantium verò multiplicem, nihil eo conficeret, nec gloriari posset. Ut enim olim S. Nicolaus I. Michaeli Imperatori scripsit Epist. VIII. de Conciliabulo Constantinopolitano adversùs Ignatium ibidem Patriarcham congregato, æqualis numeri cum Sancta olim Synodo in Nicæa à sanctis Patribus celebrata: *Utinam non essent tot numero, sed tamen existerent tales meritis, quales erant, quibus Christus aiebat.* Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri meo dare vobis Regnum. *Non ergo totidem Præsules sed merita non minora Synodum Synodo Nicænæ possunt facere parilem. . . . . Numerus igitur pusillus nec obest, ubi abundat pietas, nec multiplex prodest, ubi regnat impietas. Quinimo quantò numerosior est congregatio malignorum, tantò validior est ad sectandum suorum prava votorum: nec gloriandum est in multitudine, ubi non contra mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ certamen assumitur: sed adversùs carnem & sanguinem, id est adversùs homines totius belli pondus insumitur. Nisi enim Psalmista nosset quamdam non bonorum multitudinem, nequaquam Deo*

Luc. 12.

Numerus pusillus quando prævaleat multiplici?

Psal. 58. *supplicando diceret* : disperge illos in virtute tua : *dispersio enim minorationem facit; minoratio autem abolitionem generat. Nolite ergo gloriari in multitudine, quia non multitudo, sed causa damnationem, vel justificationem adducit. Neque enim Ignatium justiorem dixerimus jam memorato*
Psal. 39. *David Rege, & Propheta Domini, qui dicebat* : Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. *Sed quid de homine dicimus, cum de Deo nimirum, ex cujus persona hac Psalmista dicebat, in passione ipsius, sicut Evangelium attestatur, tale quid agnoscamus.* Cum autem in Evangelio idem Dominus
Ioan. 15. dicat : *Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major Domino suo. Si me persecuti fuerint, & vos persequentur* : mirum non est, quod adversùs Gregorium VII. Domini servum fidelissimum, & Vicarium Sanctissimum, ab ipso electum & constitutum Rectorem super universam familiam suam, consurrexerit concilium malignantium, ejusque facta, licet justa & sancta, damnaverit ; & verè malig-

nantium,

nantium, quia nonnisi Schismaticorum perditorumque hominum, ut ex præmissis perspicuum est. Quare cum in his regnaverit impietas, inque Gregorio contra Henricum adhærentibus abundaverit pietas, utpote quorum aliqui sancti, reliqui verò Orthodoxi, ut ex antecedentibus liquet, consequens est, quod etiamsi horum numerus, fuisset pusillus (quod tamen non fuit) illorum verò multiplex, nihil quidquam obesset. Quod luculento etiam exemplo idem Nicolaus declarat in eadem Epistola dicens: *Quomodo non egeat qualibet Synodus Romana Sedis, quando in Ephesino latrocinio cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis prolabentibus, nisi magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis de quo scriptum est:* Vicit Leo de tribu Juda, *divinitus excitatus, os aperiens, totum orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret & ad pietatem commoveret, Religio Catholica penitus corruisset?* Ex quo etiam patet, verum Orbis Christiani judicium semper, & maximè dum is Schismate laborat, in Romana Sede & ei adhærentibus inveniri: quæ speciali prærogativa in nullum potest errorem deflectere. Unde Damasus *Apoc. V.*

sus I. & Episcopi qui ad eum in urbem ex Italia & Gallia venerant numero nonaginta, ad Episcopos in Illyrico constitutos; *Neque præjudicium*, (inquiunt) *aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium qui tot annis Episcopatum inviolabiliter custodivit, neque alios talibus præbuisse consensum.* Non potest ergo præjudicium aliquod fieri per numerum Schismaticorum tametsi multiplicem, Gregorij facta damnantium, cum non modò Romani Pontifices, sed Romana Ecclesia & reliqui Orthodoxi reclamarint. Etiam quod non aliunde eadem malignantium turba quàm ex impietate originem traxisse vel eo insuper dignoscatur, quod ubi illa tantum Principatum non obtinuit, simile dissidium ob hujuscemodi factum non legatur. Unde Cromerus de Rebus Polonorum cap. 4.

Boleslai Regis exauctoratio.

Ubi Roma, inquit, *nuntiatum est, Boleslaum Poloniæ Regem ejus nominis secundum apud ipsum altare S. Stanislaum (qui mortuum etiam suscitaverat) nefariè occi-*

occidisse: Gregorius septimus toti Poloniæ sacris interdixit, Boleslaum diris devovit, Regnumque ipsi solemni ritu abdicavit. In posterum quoque ne quem Episcopi Regem sine suo jussu inungerent, & coronarent edixit. Quod edictum adeo severè observatum est, ut à Rege Boleslao II. usque ad Præmislium, hoc est ad ducentos & eo amplius annos, nemo Principum Bohemiæ auderet Regium nomen sibi sumere. Boleslaus verò etsi anno ferè uno post Papæ sententiam in Regno permanerre videbatur (quod tempus ei Deus ad pœnitentiam concessit) tamen post annum expletum, primi omnium Imper um ejus detrectaverunt nuper subacti Russorum Principes. Deinde in eum conspirarunt Nobiles ac Proceres nonnulli. Tum etiam in Vngariam fugit. Demum amentiâ corripitur, atque ad postremum sibi ipsi necem conscivit. *Rata habita.*

Item Alexander III. Fredericum I. solemniter exauctoravit. Quod *factum à nullo tunc lego* (ait in Notis ad Dictatum Papæ P. Christianus Lupus Ord. Eremit. S. August. suæ ætatis in lectura facilè primus) *nisi à quibusdam Germaniæ ac Longobardiæ Episcopis, ipsum pro Anti-Papa habentibus, fuisse notatum aut repreben-* *Fredericus I. exauctoratus.*

A quibus factum fuerit tantùm reprehensum?

prehensum. Episcopi isti sequebantur pseudo-Synodum Papiensem, quæ Alexandri promotionem damnavit etiam ex hoc capite, quod ipse adhuc Cardinalis Rolandus Adriano quarto Pontifici, eumdem Fredericum degradare deliberanti, adhæsisset adversùs alios Cardinales. Doctrinam istam iudicabant perversam, ac discordiæ suscitativam inter Sacerdotium ac Imperium, atque ita etiam in vero Pontifice potestatem istam dicta Pseudo-Synodus non agnovit. Pluribus hæc in Ottonis supplemento Episcopi sui refert Radevicus Presbyter Frisingensis. Verùm doctrinam istam adeo constanter prosecuta est Romana Ecclesia, ut etiam Vrbanus tertius eumdem à laudato Alexandro reparatum Principem denuo ob alias causas deiicere paratus, at partim per Germanorum Episcoporum ac Procerum, partim per Veronensis civitatis preces, ac tandem per mortem fuerit impeditus.

Lib. 2. cap. 69. 70. 71.

Aliorum Pontificum similia facta prætereo, quibus (ut historiarum monumenta testantur) quò pauciorum mentes impietas pervasit, eò minor fuit reclamantium turba.

Concludo itaque ipsum Gregorium VII. neutiquam testari Epist. à *Natali* laudatâ,

laudatâ, *quodnam fuerit Orbis Christiani judicium de sua in Henricum Imperatorem exauctorationis sententia*, sed palam facere reprobum Schismaticorum sensum, nihil ad judicium istius orbis spectantē, utpote illorum, qui ab illo præcisi noscuntur.

Rodulphus ipse ex Suevorum Duce à Saxonibus alijsque conjuratis ad Regnum evectus, cum infelliciter ad Elstram dimicasset, vulneratus in manu dextra, mortique proximus ad familiares suos dixit: "Videtis manum dextram meam „de vulnere sauciam. Hac ego juravi „Domino Henrico, ut non nocerem ei „nec insidiarer gloriæ ejus, sed jussio „Apostolica, Pontificumque petitio „me ad id deduxit, ut juramenti trans„gressor honorem mihi indebitum usur„parem. Quis igitur nos finis exceperit, „videtis, quia in manu unde juramenta „violavi, mortale hoc vulnus accepi. „Viderint ergo ij, qui nos ad hoc insti„gaverunt, qualiter nos duxerint, ne „fortè deducti simus in præcipitium „æternæ damnationis." *Ita refert Helmoldus Chron. Sclavorum lib. I. cap. XXIX. Agnovit itaque Rodulphus Henrici IV. æmulus, ejus exauctorationem à Gregorio* *Argumentum XI.*

VII. factam, esse nullam, ac a Saxonibus sibi iniquè delatum, a Pontifice injuriâ confirmatum, seque defectionis pœnas, vindice Deo luere.

Solutio. Respondeo. Helmoldum nullius esse auctoritatis quoad ea quæ Gregorij VII. factum concernunt, liquet ex pudendis, & perniciosis figmentis in responsione ad IV. refutatis: quibus adjunxit, quod de Rodulpho in argumentum adducitur. Rei veritatem à probatis & coævis Scriptoribus petamus. Bertoldus Constantiensis ad ann. M. L. XXX. *Henricus*, inquit, *expeditionem in Saxoniam iterum parans a militibus Rodulphi itinere unius diei fugatur; quamvis in eadem congressione Rodulphus Rex piæ memoriæ occubuerit. Ille inquam alter Machabæus, cum inter primos hostium instaret, in servitio Sancti Petri occumbere promeruit, & postea uno die superstes, omnibus suis ritè ordinatis ad Dominum migrasse non dubitatur idibus Octobris. Regnavit autem tres annos & dimidium. De cujus obitu omnes Religiosi utriusque sexus, & maximè pauperes doluerunt. In cujus animæ commendationem Saxones innumerabiles eleëmosynas fecerunt.* Erat

Helmoldi figmentum refellitur.

enim

enim proculdubio pater Patriæ, servantissimus justitiæ, indefessus propugnator sanctæ Ecclesiæ. Hæc sanè gloriosa mors *in servitio sancti Petri* clarè demonstrat, Rodulphum istius servitij non pœnituisse, nec confessum, fuisse indebitum à se honorem usurpatum, quo authorizatus fortiter velut alter Machabæus signa cum hoste Henrico contulit. Addamus quod de ejusdem Regis obitu Bruno scribit in Hist. Belli Saxonici. *Quum cognovisset*, inquit, *quod suus haberet victoriam populus*, Nunc, *ait*, lætus patiar vivus & moriens quidquid voluerit Dominus. *Quamvis autem dextera manus illi fuisset amputata & grave vulnus haberet, venter ubi descendit ad ilia, tamen ut illos quos de sua morte videbat dolentes consolaretur, se non in præsenti moriturum fidenter pollicetur, suique postponens curam suis vulneratis ostendebat quam deceret adhibere medicinam.*

Sed (inquit *Natalis*) *præterquam quod Bruno Saxonicus Rodulphi partibus devotus erat, cum Helmoldo conciliari potest. Fieri enim potuit, ut initio de victoria lætus ac bene de vita sperans has fiduciæ plenas voces emiserit; sanitate desperata perduellionis* *Evasio.*

duellionis sua horrore perculsus, indebitum à se honorem usurpatum fuerit confessus, & Romani Pontificis jußione, ac Episcoporum consilio ad id se instigatum dixerit.

Præ-lu-ditur. Ast contra est. Etsi *Bruno Saxonicus Rodulphi partibus devotus erat*, probatus nihilominus hujus Historiæ scriptor habetur, quod de Henrico devotis *Natalis* nequit asserere toties ab ipso in argumentum adductis. Quàm sit inane, quod pro Brunonis cum Helmoldo conciliatione induxit, proculdubio novit: oppositum namque ex verbis immediatè sequentibus clarissimè constat: *Qua fortitudine* (pergit Bruno) *simul & pietate nostri Principes valde commoti concorditer ei spoponderunt, ut si Deus omnipotens illius vitam servare vellet, eo vivo, etiamsi utraque manu careret, Saxonia nullum alium Rectorem eligeret. Qua fide multum ille lætatus, felici est morte resolutus.*

Quare Nicolaus Cœffeteau Ord. Præd. in Sacra facultate Pariensi Doctor Theologus ac Marseliensis Episcopus, in Responsione ad *Mysterium iniquitatis Du Pleßis*, objectam Rodulphi pœnitentiam comparat cum fabula de Gregorij VII. pœnitentia in favorem Henrici con-

conscripta, sic ex verbis Brunonis concludens: *Peut on doncques remarquer en cette fin un seul traict de regret d'avoir fait la guerre à Henry? Et cela ne ressemble t'il pas à ce qu'on nous disoit tantost de la penitence de Gregoire?*

Meritò igitur reprobanda Helmoldi narratio ex tam probatis auctoribus falsitatis convicta, qui figmentum figmento addit, dum ibidem, Rodulphi partem victam fuisse, ipsumque *gravi cum molestia diem* clausisse *extremam*, commemorat.

Hermannus post mortem Rodulphi Rex salutatus Regium nomen & insignia se usurpasse agnovit, eaque deposuit, Henrico Imperatori cedens. De ipso Chronicon Hildensheimense hac habet: "Anno „MLXXXII. Indictione IV. Hermannus Regnum invadit MLXXXIII. „Indict. V. Roma capta est ab Henrico „Rege.... Hermannus qui Regnum „invaserat, Orientalem Franciam hostiliter ingreditur...... MLXXXVI. Indict. VIII. Saxones cum Suevis Werceburch obsederunt, ad cujus liberationem Imperator cum magna manu „venit, Hermannus nomen Regium deponit, *Argumentum XII.*

„deponit, & ipſe mox perit". *Idem habent additiones ad Lambertum Schafnaburgenſem.*

Solutio. Reſpondeo, quod his planè contraria petenda ſint ex probatiſſimo illius temporis ſcriptore, Bertoldo nempe Conſtantienſi, cujus merita expendens Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius ad annum MC. ait: *Ex vitæ integritate, & Catholico nomine ſummam ſibi gloriam comparavit inter Chronographos hujus temporis; cui ut veritatis ſtudioſiſſimo, bene precamur.* Tantus hic Chronographus Hermannum legitimè Regnum obtinuiſſe, ac cum ſuis Principibus tanquam Regem S. Quintilineburgenſi Synodo interfuiſſe commemorat, ut ſuperiùs extat expreſſum: finem autem hujus Regis ſic idem Auctor narrat ad ann. MLXXXVIII. *Saxones à fidelitate S. Petri diſcedentes, Henricum, quem multoties abjuraverant, receperunt. Unde Hermannus Rex Catholicus ab eis in Lotharingiam ſeceſſit, ibique non multò poſt viam univerſæ terræ arripuit.* Nec refert Chronici Hildensheimenſis narratio. Illa etenim tum conſcripta eſt (ut titulo ejuſdem Chronici ſubnotatum legitur) *in Eccleſia, ſeu Monaſterio, civitatis*

civitatis Hildensheimensis. Hildensheimensis autem *Episcopus* (ait Bertoldus ad ann. MLXXV.) *cum suis sequacibus manus Saxonum vix evasit, eò quod contra commune votum totius Saxoniæ Henricianis se admiscuerit..... Præfatus quoque Sedis Apostolicæ legatus * prædicto Episcopo cum nollet resipiscere, Officium penitus interdixit.* Quare meritò præsumendum est, objecta de Hermanno Rege evulgata esse ex ulcerato contra Saxones animo in gratiam præfati Episcopi Henricianorum asseclæ. Proinde Chronici Hildensheimensis adducta narratio recipienda non est, nec quæ *idē habent Additiones ad Lambertum Schafnaburgensem*, admittendæ, quarum Author tribus circiter sæculis post Lambertum ex eo Chronico noscitur descripsisse.

* *Otto Ostiensis Episcopus.*

Argumentum XIII.

Saxones perduelles inconstantiâ suâ testati sunt Henricum Romanorum Pontificum fulminibus attritum, legitimum Imperatorem esse. "Henricum *enim*, quem „multoties abjuraverant, reciperunt", *anno* MLXXXVII. *ut Bertoldus testatur.* „Henricus Rex, defuncto Hermanno, „pacificè Saxoniam ingreditur," *inquit Dodechimus Abbas.*)

Respon-

Solutio. Respondeo, Bertoldum quidem hoc testari, ast etiam addere, quod *Saxones à fidelitate S. Petri discedentes*, id fecerint, quodque in illa infidelitate non diu permanserint. Unde ibidem subdit: *Iterum Saxones, factione Eggeberti Marchionis* (quem in causa S. Petri strenuum appellat ad ann. MLC.) *Henrico rebellarunt, eumque ablatis sibi Regalibus insignibus, de obsidione cujusdam munitionis, in quemdam montem turpiter fugarunt, ibique eum biduanâ obsidione ad confessionem anathematis, & expeditionem reconcialiationis compulerunt.* Ecce quomodo Apostolicum anathema in Henricum latum, Saxones non modò justum & ratum censuerint, sed ad illius confessionem Henricum compulerint. Sicque licet *Pacificè Saxoniam* ingressus sit, Saxonibus à fidelitate Petri discedentibus; haud tamen pacificè egressus est, ijs ab illa culpa resipiscentibus.

Argumentum XIV. & ultimū. *Anno MCII. Ad Waltramum Neunbergensem Episcopum Epistolam de Azymo & fermentato scripsit S. Anselmus Cantuariensis his verbis*: "Scienti breviter loquor, si certus essem Prudentiam vestram non favere Successori Julij Cæsaris,

„Cæſaris, & Neronis, & Juliani Apo-
„ſtatæ, (*Henrico*) contra Succeſſorem
„& Vicarium Petri Apoſtoli (*Paſcha-
„lem II.*) libentiſſimè vos ut amiciſſi-
„mum & reverendum Epiſcopum ſalu-
„tarem." *S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus tam agnoſcebat Henricum Succeſſorem Iulij Caſaris, Neronis, & Iuliani Apoſtata, in Imperio, quam agnoſcebat Paſchalem II. Succeſſorem S. Petri in Pontificatu: quamvis Imperatorem non ſolum dignitatis, ſed & impietatis ac furoris Neronis & Iuliani haredem ſignificaret, quatenus Schiſmate nefario Eccleſiam Chriſti lacerabat ac legitimos Pontifices perſequebatur. Atque id unum in Waltramo reprehendebat, quod Henrico faveret ut Schiſmatico, non ut Imperatori duntaxat.*

Reſpondeo, quod Illuſtriſſimus Baronius ad ann. MXCVII. num. CLIII. adducta S. Anſelmi verba præclarè ſic expendat: *Vidiſti quibus laudibus Henricum Imperatorem Schiſmaticum ornet: nempe poſt Iulium Caſarem, à quo dimanavit nomen Imperatoris in poſteros, Neronis & Iuliani Apoſtata eum nominet Succeſſorem, à quorum altero crudelitatem, ab altero* *Solutio.*

impie-

impietatem & fraudulentiam hæreditate possederit; ut & hic meminisse Lector debeat quotquot hoc seculo vixere viri Sancti atque scientia clari, eosdem absque aliqua dubitatione inhæsisse Ecclesiæ Catholicæ, ipsique Romano Pontifici adversus Schismaticum Imperatorem, & pseudo-Pontificem Guibertum. Consentaneè P. Christianus Lupus in Notis ad Dictatum Papæ, *Henricum Imperatorem*, inquit, *non Constantini, Valentiani aut Theodosij, sed Iulij Cæsaris, Neronis ac Iuliani vocat Successorem, quod nempe ille non istorum pietatem, sed horum Impietatem æmularetur.* Non ergo Anselmus Henricum significat horum dignitatis, sed impietatis hæredem: neque solùm Waltramum reprehendit, quia eidem faveret *ut Schismatico*, sed etiam *ut Imperatori*: cum hoc posterius Apostolica præcepta vetarent, in tantùm, ut Paschalis II. reluctantes ab Ecclesiâ expelli jusserit, ac excommunicatos, & Pseudo-Clericos appellaverit, ut liquet ex dictis in responsione ad VII. Proinde cum quotquot illo sæculo vixere viri Sancti atque scientia clari inhæreserint Ecclesiæ Catholicæ ipsique Romano Pontifici adversùs

Schis-

Schismaticum Imperatorem, ei nedum *ut Schismatico*, sed etiam *ut Imperatori* favere recusarunt. Unde Anselmus totum oppositum in Waltramo reprehendit: nec tam subtilem distinctionem inter Henricum *ut Schismaticum* & *ut Imperatorem* passus est. Neque Waltramus in errore permansit, sed divina gratia tandem ejus mentem transmutavit. Quam gratiam ille magnificans, laudato Anselmo sic litteris intimavit. *Glorificat Deum in me Catholica Ecclesia, quoniam in nostra mutatione divinæ bonitatis apparet gratia. Gratia Dei sum id quod sum: Ex Saulo Paulus, ex Romanæ Ecclesiæ adversario intimus Paschali Papæ, acceptissimus Cardinalium Consecretarius, & in omnibus in hac parte prosperos spero successus.* Sic tandem Waltramus Henricianorum cæcitate relicta, lumen veritatis aspexit, ac Henrico ut Imperatori favere destitit, & illius prætensam obedientiam ejuravit; alioquin non solùm non *intimus Paschali Papæ* fuisset, sed nec in Ecclesiæ communionem receptus, ut abundè claret ex dictis.

Clarissimè itaque ex omnibus in hunc articulum congestis habemus, Orbem

Christianum neutiquam irritas & nullas censuisse Gregorij VII. sententias in Henricum latas, sed luculenter & constanter probasse. Ad cujus lucem non parum contribuit oppositorum argumentorum debilitas: quibus facilè cernit Lector convenire, quod eorum Author superiori articulo I. de Gregorij VII. dogmatibus dicere non erubuit, nimirum esse *falsa vel potiùs undequaque corrasa*: id; inquam, facilè cognoscit Lector, in prænominata argumenta relabi: *falsa* quidem, quia plura sunt ex ipsis etiam quæ attulit, falsitatis convicta: *undequaque* autem *corrasa*, utpote undique decerpta: & ut quid momenti præ se ferrent, per reflexionum & consequentiarum circuitus in omnem faciem versa: & nihilominus (ut vidimus) ad intenti probam infirma: ut præsumendum sit, quod Auctori suo, homini tam docto, tamque in omnibus versato, satisfacere non potuerint. Placuit autem id adnotare, ut Author ille id meritò portet, quo summum Ecclesiæ Præsulem immeritò aggravare præsumpsit.

Haud fuit satis *Natali* tam graviter Gregorij VII. facta contra Henricum

incu-

incusasse, nisi & ejus doctrinam desuper traditam irreligiosis dicterijs incessisset. *Sanctitatem* (inquit pag. 391.) *Gregorij VII. colimus: at novam & singularem opinionem, quam invexit de potestate Ecclesiæ in temporalia Regum, salva quæ ipsius dignitati, ac eximijs virtutibus atque miraculis debetur reverentia, ut falsam, & sacræ Scripturæ, atque Traditioni dissentaneam, nec Ecclesiæ Iudicio & assensu receptam, deserimus, reijcimus.*

Gregorij VII. doctrina indignè tractata.

Voces tam indignas, Patrum testimonia art. I. laudata reprimunt & damnant, atque sigillatim sequentes assertiones refellent. Cohibuisse sanè illas debuerat *salva quæ* tantæ *dignitati ac eximijs virtutibus atque miraculis debetur reverentia*, utpote quæ *satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant* (ut ipse ex Lamberto pag. 409. asserit) atque in præfatæ potestatis confirmationem ex superius positis etiam facta noscuntur.

ARTICULUS QUARTUS

ASSERTIO QUARTA.

Gregorij Papæ VII. doctrina de Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ potestate in temporalia Regum, verbo Dei dissentanea non est, sed omnino conformis.

PRo ea namque militant utriusque fœderis Sacræ Paginæ. Et quidem Hieremiæ I. cap. in persona ipsius Romano Antistiti dictum est: *Constitui te super gentes & regna, ut evellas & destruas &c.* Sic enim hunc locum intelligit Innocentius III. Serm. 1. in consec. Pont. Max. "Quis autem „sum ego, inquit, aut quæ domus Patris „mei, ut sedeam excelsior Regibus, & „solium gloriæ teneam? mihi namque „dicitur in Propheta: *Constitui te super* „*gentes & regna, ut evellas & destruas,*

&

„*& disperdas & dißipes , & ædifices &*
„*plantes*. Ita & Bonifacius VIII. in Extravag: *Vnam Sanctam*:" Veritate testan„te, spiritalis potestas terrenam pote„statem instituere habet, & judicare si „bona non fuerit : sic de Ecclesia & „Ecclesiastica potestate verificatur vati„cinium Hieremiæ. *Ecce constitui te* „*hodie super gentes & regna* : & cætera „quæ sequuntur ; ergo si deviat terrena „potestas, judicabitur à potestate spiri„tuali." Nec dixerit quispiam, hanc Extravagantem esse revocatam, illique derogatam per Clementem V. cap. *Meruit* : cum tantùm sit declarata, scilicet quod nihil de novo instituat, sed antiquam ab omnibus omnino Romano Pontifici debitam obedientiam declaret.

Paulus item III. consentaneè eumdem locum interpretatur in Bulla damnationis & excommunicationis Henrici VIII. Regis Angliæ: quam sic auspicatur: "Ejus qui immobilis permanens suâ „providentiâ ordine mirabili dat cuncta „moveri : disponente Clementia, vices „licet immeriti gerentes in terris, & in „Sede justitiæ constituti juxta Prophe-

 tæ

„tæ quoque Hieremiæ Vaticinium „dicentis; *Ecce te constitui super gentes & „regna, ut evellas & destruas, ædifices & „plantes*; præcipuum ſuper omnes reges „univerſæ terræ, cunctoſque populos „obtinentes Principatum, &c.

Sic etiam B. Pius V. dictum locum intelligit in Bulla Anathematiſmi in Eliſabetham prætenſam Angliæ Reginam. "Regnans in excelſis (inquit(cui „data eſt in cælo & in terra poteſtas, „unam, ſanctam, Catholicam, & Apoſto„licam Eccleſiam, extra quam nulla eſt „ſalus, uni ſoli in terris; videlicet Apo„ſtolorum Principi Petro, Petrique „Succeſſori Romano Pontifici, in po„teſtatis plenitudine tradidit gubernan„dam. Hunc unum ſuper omnes gentes, „& omnia regna Principem conſtituit, „qui evellat, deſtruat, diſſipet, diſper„dat, plantet & ædificet, ut fidelem „populum mutuæ charitatis nexu con„ſtrictum in unitate Spiritus Sancti Dei „contineat, ſalvumque & incolumem „ſuo exhibeat ſalvatori".

Gregorij item doctrinam confirmat divinum oraculum Matth. 16. *Quacumque ligaveris ſuper terram erunt ligata & in*

in cælis: & quæcumque solveris super terram erunt soluta & in cælis. Ex eo siquidem nedum Gregorius (quod & permagni ponderis haberi oportet) sed etiam Romana Synodus cum ipso hanc veritatẽ collegit. In sententia quippe ex Synodi totius judicio contra Henricum (qua fuit Regni administratione privatus, & subditi à Sacramento fidelitatis soluti) illud eloquium innuitur, velut id, quo ea potestas Romano Præsuli inesse designetur.

Etenim vir Sanctus Beatum Petrum inclamans, "Mihi, inquit, tua gratia est „potestas à Deo data ligandi atque sol-„vendi in cælo & in terra. Hâc itaque „fiduciâ fretus pro Ecclesiæ tuæ honore, „& defensione ex parte omnipotentis „Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti „per tuam potentiam & authoritatem „Henrico Regi Filio Henrici Impera-„toris, qui contra tuam Ecclesiam in-„audita superbia surrexit totius Regni „Teutonicorum & Italiæ gubernacula „contradico, & omnes Christianos à „vinculo juramenti, quod sibi fecere vel „vel facient, absolvo, & ut nullus ei ut „Regi serviat, interdico" &c.

 Eumdem

Eumdem ſenſum luculenter expreſſit ſacrum Lugdunenſe generale Concilium ſub Innocentio IV. ipſo ſiquidem aſſentiente, & ſubſcribente hæc in Fredericum II. eſt à Pontifice lata ſententia. „Nos itaque ſuper præmiſſis & compluribus alijs ejus nefandis exceſſibus „cum Fratribus noſtris, & Sacro Concilio, deliberatione præhabita diligenti, „cum Jeſu Chriſti vices licet immeriti „teneamus in terris, nobiſque in Beati „Petri Apoſtoli perſona ſit dictum, „*quodcum ligaveris ſuper terram &c.* Matth. 16.

„Memoratum Principem, qui ſe „Imperio, & regnis, omnique honore, „ac dignitate reddidit tam indignum, „quique propter ſuas iniquitates à „Deo ne regnet & imperet, eſt abjectus, ſuis ligatum peccatis & abjec„tum, omnique honore & dignitate „privatum à Domino oſtendimus, „denuntiamus, ac nihilominus ſenten„tiando privamus, omneſque qui ei „juramento fidelitatis tenentur adſtricti, „à juramento hujuſmodi perpetuò ab„ſolventes, authoritate Apoſtolicâ fir„miter inhibendo, ne quiſquam de „cætero ſibi tamquam Imperatori vel

Regi

„Regi pareat aut intendat, & decernendo „quoslibet, qui deinceps ei velut Imperatori aut Regi consilium vel auxilium „præstiterint, seu favorem, ipso facto „excommunicationis vinculo subjacere.

Itaque juxta Conciliorum, Romani, & Lugdunensis Generalis intellectum, utrisque Præsidente summo Pontifice, potestas Romani Pontificis in temporalia Regum non innititur Regnis Feudatarijs Ecclesiæ, proindeque ad eorum Reges coarctata, sed universali & amplissimæ ligandi & solvendi authoritati, quæ ad Regna feudataria, aut similes conditiones minimè restringitur, sed Reges quoscumque, qui fidem Christi susceperunt, complectitur.

Expressum item est Domini testimonium pro Gregorij VII. sententia apud Joan. 21. cap. Ubi gregem suum Petro, ac ejus successoribus Romanis Pontificibus demandans dixit: *Pasce oves meas, pasce agnos meos:* Quem locum eruditè expendens Ementissimus Cardinalis Baronius ad ann. 800. num. 15. & 16. "Si Christi verbo, inquit, unus in „primis à Christo Redemptore jussus est „Petrus pascere suas oves, pascere agnos;

„ex ovium Christi numero dimoveas
„necesse est Reges & Imperatores; si à
„Petri eos segreges Pastorali regimine,
„atque censura; ut opus sit inter hædos
„colloces, quos ab ovibus segregas, nisi
„velis eos potiùs inter leones, lupos,
„dracones & alias feras bestias numerare:
„Sed & de his æquè Petro dictum scias:
Act. x. „*Occide & manduca.* Verùm inter Christi
„oves recensendos esse Principes omnes
„nemo Orthodoxorum aut hæreticorum
„hactenus dubitavit, cum secus sentire
„nil aliud sit, quàm eos inter reprobos
„collocare.

"Cum igitur sit clarissimâ luce de-
„monstratum, Romanum Pontificem
„præsidere Patrem & Pastorem univer-
„sæ Ecclesiæ; idque semper fuerit à
„Sanctis Patribus cognitum & declara-
„tum, & præsenti sæculo nostro pluri-
„morum scriptione librorum à veris
„Orthodoxis, ijsdemque doctissimis
„adversùs Novatores Hæreticos demon-
„stratum: si Pontifex Romanus est
„Pastor, utique & Principes oves illi
„subijci (si non insanis) debeas affirmare,
„& ipsum his præesse debere, simul
„asserrere. Ex quo ordine Hierarchico
necef-

„necessariò sequitur, ut si quævis ovium „erret, corrigenda sit à Pastore, & si „error adeo sit perseverans, ut non solùm „nolit ipsa sanari, sed quærat alias per- „dere, planè fatui & non prudentis „Pastoris erit, eam non extra gregem „abijcere, sed ad aliquem non existen- „tem ovem, sed mentientem, oviumque „pelle contectum lupum includere. „Quid aget Pastor? quid ipsi faciendum „omnes alij suadebunt, nisi longè procul „(quisque iste fuerit) abijcere?"

Consonè & præclarè eumdem locum ponderat Nicolaus Sanderus lib. 2. de visib. Monarch. Eccles. cap. 4. "Cum Christus jusserit Petrum pasce- „re agnos & oves suas, atque ad ratio- „nem pascendi pertineat tum ut lupi „quocumque modo arceantur, tum ut „salutaria pabula ovibus ministrentur: „non est committendum, ut ulla corpo- „rea pascendi oves via legitima habea- „tur, quæ eadem in spiritali modo pas- „cendi putetur illegitima. Ideo enim à „pascendis ovibus corporeis metaphora „sumpta est, ut inde admoneremur, „quid in regendis animabus faciendum „esset. Ponamus ergo pecora quædam

nostræ

„curæ commiſſa eſſe : ſit præterea qui-
„dam aries, dux & caput reliqui gregis,
„qui furore quodam percitus,aut morbo
„afflictus , cæteras oves vel cornibus
„petat, vel tabe inficiat : numquid non
„& licebit nobis , & neceſſe erit (ſi
„Paſtores boni eſſe volumus , hunc
„arietem (etiamſi primus in toto grege
„ſit) de ſuo principatu deponere,alium-
„que in ejus locum ſubſtituere ? Aut
„poſſumus præſtantiorem ſimilitu-
„dinem ab ulla re ; quàm ab ovibus &
„paſtoribus petere , cum Chriſtus gre-
„gem ſuum vocet oves,miniſtros autem
„ſuos,ejuſdem gregis Paſtores appellet ?
„Quod autem in grege ovium eſt aries,
„hoc in magna multitudine hominum
„eſt Rex , aut quivis alius Magiſtratus :
„Pontifex igitur non minùs dabit ope-
„ram , ut Regem qui populum Chri-
„ſtianum falſa doctrina imbuit , à regi-
„mine populi removeat , quàm Paſtor
„operam dat , ut malè affectum arietem
„de medio auferat."

Ad hunc Catholicum ſenſum eſt referendum quod Eccleſia in ſolemnitate B. Petri canere conſuevit : *Tu es paſtor ovium Princeps Apoſtolorum, tibi tradidit*

Deus

Deus omnia regna mundi, ſcilicet quæ Chriſtum profitentur; ac proinde Chriſti Vicario obedientiam præſtare debent.

Eundem ſenſum luculenter inſinuat Clemens V. Pontifex Max. lib. II. Clem. Tit. XI. cap. II. ac ſuo facto probavit. Etenim ſæculi decimi quarti anno XIII. Henricus Imperator ſententiam tulerat contra Robertum Siciliæ Regem, quâ eum ob illa quæ in ipſum tam per reliquam Italiam, quàm Romæ patraſſet, ac machinatus eſſet uti Majeſtatis reum & Imperij proditorem regno, cæteriſque quibuſcumque ditionibus privatum proſcripſerat: ſed hujus ſententiæ vanitatem, etiamſi vera forent, quæ Regi obijciebantur, hic Pontifex oſtendit, & declaravit, totamque irritavit, conſtitutione ea de re edita, ac loco citato inſerta: in cujus limine unde ſibi inſit illa poteſtas deſignans ait: "Paſtoralis cura ſollicitudinis nobis divinitus ſuper cunctas Chriſtiani populi nationes injuncta, nos invigilare re- *Ioan.* medijs ſubjectorum, eorumdemque 21. periculis obviare, & ſcandala removere compellit: ſanè cum jam dudum inter quondam Henricum Imperatorem Romanum

„manum & chariſſimum in Chriſto „filium noſtrum Robertum Siciliæ „Regem gravis fuiſſet materia turbatio- „nis exorta" &c. quibus totâ rei, quæ contigerat, ſerie expreſsâ ſubdit: "Ut „igitur ſicut memorata ſententia juris „caret effectu, ſic authoritate & nomine „rei careat judicatæ, ut nec in opinione „communi, aut vulgi labijs nomen „habere ſententiæ mereatur, ut etiam in „magnum juſtitiæ ac pacis obſequium „ſcandaloſis occurratur periculis, quæ „cum noſtra & Eccleſiæ, provinciarum „multarum, regnorum, & gentium „turbatione non modica poſſent occa- „ſione ipſius, pro tempore ſuboriri: Nos „tamen ex ſuperioritate, quam ad Im- „perium non eſt dubium nos habere, „quàm ex poteſtate in qua, vacante Im- „perio, Imperatori ſuccedimus, & ni- „hilominus ex ipſius plenitudine pote- „ſtatis, quam Chriſtus Rex Regum & „Dominus Dominantium nobis, li- „cet immeritis, in Perſona B. Petri „conceſſit, ſententiam, & proceſſus om- „nes prædictos, & quidquid ex eis „ſecutum eſt, vel occaſione ipſorum de „Fratrum noſtrorum conſilio declara-
mus

„mus fuisse, ac esse omnino irritos & „inanes, nullumque debere, aut debuisse „sortiri effectum, seu nocumentum vel „notam afferri cuiquam, vel quomodo„libet attulisse, ipsosque nihilominus „quatenus processerunt de facto, & „quidquid ex eis secutum est, vel ob eos „vel in posterum sequi posset, in irritum „revocamus."

Denique eumdem sensum nobis ultro colligendum reliquerunt binæ laudatæ Synodi, Romana scilicet, & Lugdunensis Generalis: cum authoritas Petro & Successoribus promissa Matth. 16. cap. (quam in temporalia Regum extensam præfatæ SS. Synodi intellexerunt) non nisi Joan. 21. collata sit.

Igitur juxta Romanorum Pontificum, Conciliorumque intellectum sacræ Scripturæ testimonia, Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ in temporalia Regum authoritatem annuntiant; non ergo S. Gregorij VII. doctrina Scripturæ Sacræ dissentanea est, sed omnino conformis.

Hinc P. *Natalis*, qui eam potestatem Romano Pontifici & Ecclesiæ denegat, cogitur subire censuram, quâ Pontificiã doctrinam notare ausus est. Neq; id ægrè ferre

ferre debet: ut enim S. Leo IX. olim Michaeli Constantinopolitano Patriarchæ, & Leoni Achridano Episcopo, anathema ipsi dicere ausis; & ideo ipso facto incurrentibus scripsit. *Sic juxta sapientem lapis missus non pergit ad cælum: & maledictum frustrà prolatum revertitur in authorem suum. Sic juxta vulgi proverbium; qui supra caput suum spuere conatur, quantocyus in faciem ejus sputum relabitur.* Sic ergo Author ille universalis Ecclesiæ Capitis doctrinam velut Dei Verbo adversam frustrà proclamando, non ægrè ferat, quod id in ipsum revertatur & relabatur.

Respondetur sacræ Scripturæ testimonijs à R. P. Natali Alexandro objectis.

SAcri textus eloquia, quibus suam *Natalis* definitam, Gregorij verò proscriptam doctrinam existimat, in vero sensu abunde sunt explanata: ex ijsque argumenta deprompta jam dudum obtrita. Ys nihilominus quasi munitissima

machina præfati Gregorij doctrinam aggreditur, impetitque acsi nullus esset defensioni locus.

Adversùs, inquit, *eam sententiam militant, eamque funditus demoliuntur sacræ Scripturæ testimonia*, Regnum meum non est de hoc mundo *(inquit Christus) Et.* "Reddite ergo quæ sunt Cæsaris „Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Apostolus ad Romanos cap.* 13."Omnis,*inquit*, „anima potestatibus sublimioribus sub„dita sit. Non est enim potestas nisi à „Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata „sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei „ordinationi resistit". *Idem docet Apostolorum Princeps Epist.* 1. *Cap.* 11. "Sub„jecti, *inquit*, estote omni humanæ „creaturæ propter Deum: sive Regi „quasi præcellenti, sive Ducibus tam„quam ab eo missis ad vindictam male„factorum; laudem verò bonorum, quia „sic est voluntas Dei *&c.* Omnes hono„rate; fraternitatem diligite, Deum „timete, Regem honorificate. Servi „subditi estote in omni timore domi„nis non tantum bonis & modestis, sed „etiam discolis."

Respondeo, quod, ut ex dictis patet, B.

 Gre-

Gregorij VII. ſententia unum de juribus Sedis Apoſtolicæ tradat: illa autem, ut S. Nicolaus I. Epiſtola 8. Michaeli Imperatori ſcribit, *divinitus radicata atque plantata ſunt, impingi poſſunt, transferri non poſſunt, trahi poſſunt, evelli non poſſunt*. Unde Scripturæ ſacræ teſtimonia præfatam ſententiam neutiquam demoliuntur.

Reſponſio ad I. Primum teſtimonium eumdem in finem Catholicis Proteſtantes obijciunt, teſte Nicolao Sandero de viſib. Monarch. Eccleſ. lib. 2. cap. 4. ubi ſic ait. *Proteſtantes, qui ferre non poſſunt, ut caro ſpiritui, aut ut regnum temporale ſpiritali cedat (nimiùm enim ubique carni & ſæculo favent) ante omnia nobis opponunt illud verbum Chriſti*, regnum meum non eſt de hoc mundo. *Huc enim ea* verba *detorquent, velut miniſtri Eccleſiæ Chriſti, quæ eſt regnum cælorum, nullam poteſtatem in Reges Chriſtianos, aut in eorum regna terrena cauſaſque illis ſubjectas, ullo umquam tempore habeant, quia regnum ipſius Chriſti non ſit de hoc mundo. Sed nimiùm fœdè in hac re falluntur. Aliud enim eſt Chriſti regnum non eſſe de hoc mundo, & longè aliud regnum Chriſtianum, quod in hoc*

hoc mundo est, Christo & ministris Christi non subjici.

Sed ex Gallo juvat *Natali* respondere. Petrus Bertrandus Episcopus Edunesis S.R.E. Card. vir doctissimus, & Philippo Francorum Regi in summa veneratione & authoritate, Tract. de Eccles. & temporal. potestate quæst. 3. "Ad „tertiam rationem de Christo (inquit) „qui abjecit à se (ut dicunt) omnem „jurisdictionem temporalem: dicendum „est, quod qui dicit Christum non ha„buisse omnem potestatem sæcularem, „seu temporalem & spiritualem, con„tradicit ejus verbo Matth. ultimo cap. „ubi legitur, Christum dixisse: *Data „est mihi omnis potestas in cælo & in „terra.* Et Apocalypsis primo dicitur: „*Princeps regum terræ.* Sed bene contin„git quod habens potestatem & autho„ritatem jurisdictionis, non utitur eâ „in propria virtute, nec decet quantum „ad omnia. Imo minora debent com„mitti minoribus, & mediocria medio„cribus, & majora supremis, sicut con„sultum fuit Moysi in exod. quod „constitueret Judices, qui minora &

„faciliora judicarent tatummodo, & „difficiliora remitterent Moysi judicanda: & Apostoli dixerunt in Actibus, Cap. 6. „*Non est æquum nos derelinquere verbum* „*Dei, & ministrare mensis*: & per hunc „modum Christus licet haberet omnem „potestatem, tamen summum opus ad „quod venerat, fuit instituere nos de „fide sua, & de redemptione nostra per „ipsum facienda: propter quod circa ista „quasi totaliter vacavit, dimittendo „minora, quæ per alios fieri poterant, & „ideo parvipendit dictum illius, qui „petebat dividi hæreditatem inter se & „fratrem suum, qui ad minores poterat „recurrere: fugit etiam cum populus „vellet eum facere regem propter duo: „primò quia cum ipse Rex esset ex se: „noluit hoc Regnum habere ab hominibus, neque per homines: secundò „ut nobis, qui puri homines sumus, „daret exemplum fugiendi honores „mundi, quando conferuntur intuitu „commodi temporalis, sicut turbæ voluerunt Christum facere regem, quia „paverat eos quinque panibus & duobus „piscibus. Quod autem dixit coram „Pilato *Regnum meum non est de hoc mundo*,

,,*mundo*,non negavit propter hoc se esse *Ioan.18.*
,,regem: imo postea expressè conces-
,,sit,& confessus est. Nam cum Pilatus
,,dixisset ei, *Ergo Rex es tu?* Respondit.
,,*Tu dicis. Quia Rex sum ego. Ego enim in*
,,*hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum*
,,*ut testimonium perhibeam veritati*: Nec
,,dixit *Regnum meum non est in hoc mun-*
,,*do*, cum Regnum ejus sit in cælo &
,,in terra, sed dixit *Regnum meum non est*
,,*de hoc mundo*, quia nec electione mun-
,,dana, nec successione humana fuit
,,Rex,sed unitione beata, quamvis pa-
,,rum aut quasi nihil usus fuerit jurisdic-
,,tione temporali: & dico parum, quia
,,quando fecit flagellum de finiculis &
,,eiecit ementes & vendentes de tem-
,,plo & nummulariorum mensas ever-
,,tit: videtur fuisse usus potestate seu
,,jurisdictione temporali: unde & Judæi
,,dixerunt ei: *Dic nobis in qua potestate*
,,*hæc facis?* Verumtamen quia principa-
,,liter venerat nos redimere & salvare,
,,quasi omnes actus ejus versabantur
,,circa eruditionem nostram, & pauci
,,aut nulli circa exercitium cujuscum-
,,que jurisdictionis,non quod utramque
,,potestatem non haberet, sed ut saluti

Quare Regnum Christi non de hoc mundo?

Matth. 21.

Quare parum usus potestate temporali?

„nostræ totaliter intenderet, sicut dicit
Cap. 3. „S. Joannes: *Non enim misit Deus Filium* „*suum in mundum ut judicet mundum, sed* „*ut salvetur mundus per ipsum.*

„Expleto autem Sacramento nostræ „salutis per mortem Christi & ejus „resurrectionem, Christus commisit „Petro Regimen Ecclesiæ tantum, „quantum necessarium erat, & expe„diebat cum Regimine Ecclesiæ. Et quia „utraque potestas temporalis & spiri„tualis est ad hoc necessaria, ideo utram„que potestatem contulit Petro. Et de „potestate quidem spirituali, nullus „Christianus dubitat: de potestate autem „temporali patet in libro Actorum: ubi „legitur quod Petrus damnavit judicia„liter Ananiam & Saphyram pro crimi„ne furti & mendacij. Rarò autem aut „nusquam legitur alibi quod ipse Petrus „fuerit usus hac potestate temporali, „quia propter paucitatem credentium „super quos fuit sibi data potestas, in„tentio Petri & aliorum Apostolorum „& Discipulorum fuit ad convertendum „alios ad fidem per prædicationem, & „miraculorum operationem, sicut dici„tur Matth. ultimo cap. *Illi autem pro-*
fecti

Concessa Petro in tempralia potestas.

Eâ parũ usus: & quare?

„*fecti prædicaverunt ubique Domino coope-*
„*rante, & sermonem confirmante sequen-*
„*tibus signis.*

„Multiplicatis autem fidelibus per
„conversionem gentilium, tam Princi-
„pum, quam subditorum, verè reman-
„sit utraque potestas vel remanere debuit
„apud Ecclesiam, quia cujus est judi-
„care de fine, ejusdem est judicare de ijs,
„quæ ordinantur ad finem, ut supra
„dictum est."

Ad secundum idem Cardinalis res- *Responsio ad II.*
pondet: "Cum dicitur, quod in illa au-
„thoritate Domini apud Matthæum,
„*Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ*
„*sunt Dei Deo*, invenitur divisio præ-
„dictarum jurisdictionum, & distinctio
„personarum, in quas cadunt; dicendum
„est quod secundùm veritatem textus
„Evangelij, intentio Christi non fuit
„in illo loco facere distinctionem præ-
„dictarum jurisdictionum, nec signare
„personas in quas cadunt, sed respon-
„dere tentativæ quæstioni Judæorum,
„qui cum reputarent se solos esse de po-
„pulo Dei, alijs existentibus paganis &
„idololatris, non credebant aliqui eorum,
„quod tenerentur ad solvendum censum

„Cæſari pagano Imperatori, ſed immu-
„nes eſſe à cenſibus & tributis, quia
„vacabant cultui veri Dei: & ideo cum
„Herodianis, qui erant de gente Impe-
„ratoris, venerunt ad Chriſtum pro-
„ponentes ei hanc quæſtionem: *Li-
„cet dare tributum Cæſari an non?* ut,
„ſi diceret, *non*: accuſarent eum apud
„Imperatorem, ſi diceret, *ſic*: ac-
„cuſarent eum apud Principes Sacer-
„dotum tanquam dicentem contra li-
„bertatem cultus Dei. Jeſus autem
„ſciens nequitiam eorum, oſtenſo ſibi
„numiſmate cenſus inſculto imagine
„Cæſaris reſpondit: *Reddite quæ ſunt
„Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.*
„Id eſt: Cæſari cenſum ſibi debitum &
„Deo cultum in oblationibus & ſacri-
„ficijs ſecundùm ritum Legis. Loque-
„bantur ergo de redditione debitorum,
„& non de diviſione juriſdictionum aut
„perſonarum in quas cadunt. Sed dato
„ſine veritatis præjudio, quod loquere-
„tur de diviſione juriſdictionum, tunc
„ſecundum eorum expoſitionem per hoc
„quod dicitur, *Reddite quæ ſunt Cæſaris
„Cæſari, & quę ſunt Dei Deo*: intelli-
„gitur juriſdictio Prælatorum: ſed con-
ſtat

„ſtat quod juriſdictio eorum eſt ſupre-
„ma, & ad omnia ſe extendit, & ab
„ipſa omnis juriſdictio Principum ſæ-
„cularium dependet. *Non enim poteſtas*
„*eſt niſi à Deo*: ergo juriſdictio Prælato-
„rum, quam in terris exercent vice Dei,
„eſt ſuprema inter omnes, & ad omnia
„ſe extendit, & ab ipſa omnis alia juriſ-
„dictio dependet, quod adverſarij invitè
„concederent. Nec ad præſens volumus
„hoc aſſerrere, ſimpliciter & abſolutè,
„ſed tantum aſſerimus, quod cum juriſ-
„dictio ſpiritualis, quam habet Eccleſia à
„Chriſto, reſpiciat finem ultimum,
„videlicet ſalutem æternam, propter
„quam acquirendam, & ne eam perda-
„mus, Chriſtus prædictam poteſtatem
„dedit Eccleſiæ in B. Petro & Succeſ-
„ſoribus ejus; juriſdictio autem Princi-
„pum ſæcularium ſe extendat ſolùm ad
„bona, & mala præſentis vitæ Civilis,
„quæ omnia inter Chriſtianos debent
„ordinari ad futuram vitam ſicut ad
„finem: conſequens eſt, quod ſpiritua-
„lis juriſdictio Eccleſiæ ſe habet ad
„juriſdictionem ſecularem, ſicut ars quæ
„conſiderat finem, ſe habet ad artem
„quæ conſiderat illud quod ordinatur ad
finem,

Iuriſdictio Eccleſiaſt. ad omnia ſe extendit.

Quomodo?

„finem, puta, militaris ad equestrem,
„& equestris ad freni contractivam sive
„rectivam. Constat autem quod ars, quæ
„considerat finem, imperat arti, quæ
„considerat illud quod est ad finem,
„sicut ad ars militaris, quæ considerat
„victoriam, imperat equestri, & simi-
„liter est in aliis, ut dicitur I. Ethic. ergo
„potestas jurisdictionis spiritualis habet
„imperare potestati jurisdictionis tem-
„poralis, & hæc illi tenetur obedire in
„casu suo. Verbi gratia, aliquis laicus
„justè excommunicatus per Ecclesiam,
„contemnit excommunicationem longo
„tempore, nec vult redire ad gremium
„Ecclesiæ: certè Ecclesia potest præ-
„cipere domino temporali sub cujus
„dominio excommunicatus manet,
„quod compellat eum per captionem
„bonorum & etiam personæ, si necesse
„fuerit, ut satisfaciat & redeat ad obe-
„dientiam Ecclesiæ, & si dominus tem-
„poralis recusat hoc facere, potest &
„debet excommunicari. Unde Sanctus
„Ludovicus statuit, quod si aliquis ma-
„neret excommunicatus per annum,
„quod compelleretur per gentes regias
„ad faciendum se absolui, & hoc in
pluri-

"pluribus partibus regni Franciæ obser-
"vatur quotidie.

Tertia auctoritas inducta pro Gregorij nostri sententia facit. Ut enim laudatus Eduensis eod. loc. ait. "Quantum ad "personas, dicendum est, quod omnes "Christiani cujuscumque gradus vel "status seu conditionis existant, subsunt "jurisdictioni Ecclesiasticæ: cujus ratio "est, quod scriptum est ad Romanos: "*Omnis anima potestatibus sublimioribus* "*subdita sit: non enim est potestas* "*nisi à Deo.* Inter Christianos enim du-"plex est potestas: temporalis scilicet & "spiritualis sive secularis & Ecclesiastica "& utraque est à Deo secundùm mo-"dum in præcedentibus expositum: & "ideo utrique potestati subsunt Christia-"ni, sed differenter, quia temporali vel "seculari potestati subsunt Christiani, "quia inter Christianos potest esse, & "est, & fuit illa potestas, sed solùm ut "cives: potestati autem spirituali & "Ecclesiasticæ subsunt ut Christiani & "fideles, quia potestas illa fundata est "super fidem, per Christum nobis tra-"ditam. Igitur omnes Christiani & "fideles, viri & mulieres, Clerici & Laici, *Responsio ad III.*

Reges

,,Reges & Principes subsunt jurisdic-
,,tioni spirituali & Ecclesiasticæ. Et
,,cum prædictam jurisdictionem habeat
,,Papa sine limitatione loci & persona-
,,rum : ideo omnes Christiani , ubicum-
,,que sint , debent ei obedire : cæteris
,,verò Prælatis, Episcopis , & Archie-
,,piscopis , & Patriarchis , in territorijs
,,seu Diœcesibus sibi commissis tenen-
,,tur obedire omnes Christiani manentes
,,in eis. Et ideo Clemens Papa dicit , &
,,habetur *Extra de major & obed.* C. *Om-*
,,*nes*, quod omnes Christiani Principes
,,terræ , & cæteri homines Episcopis
,,obedire debent , ut B. Petrus præcipie-
,,bat.''

Quod spectat id , quod in objecta auctoritate sequitur: "Oportet gladium esse sub gladio (ait Bonifacius VIII. Ex-
,,travag. *Vnam Sanctam*) & tempora-
,,lem auctoritatem spirituali subijci po-
,,testati, nam cum dicat Apostolus. *Non*
,,*est potestas nisi à Deo : quæ autem sunt à*
,,*Deo ordinatæ sunt* , non autem ordinatæ
,,essent , nisi gladius esset sub gladio &
,,tamquam inferior reduceretur per
,,alium in suprema. Nam secundùm Be-
,,atum Dionysium lex Divinitatis est ,

Auctoritas temporalis subijci tur spirituali.

infima

„infima per media in ſuprema reduci.
„Non ergo ſecundùm ordinem univerſi
„omnia æquè ac immediatè, ſed infima
„per media & inferiora per ſuperiora ad
„ordinem reducuntur. Spiritualem autem
„& dignitate & nobilitate terrenam
„quamlibet præcellere poteſtatem, opor-
„tet tantò clarius nos fateri, quantò
„ſpiritalia temporalia antecellunt, quod
„etiam ex decimarum datione & bene-
„dictione & ſanctificatione, ex ipſius
„poteſtatis acceptione, & ipſorum re-
„rum gubernatione claris oculis intue-
„mur. Nam veritate teſtante, ſpiritalis
„poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere
„habet, & judicare; ſi bona non fuerit:
„ſic de Eccleſia & Eccleſiaſtica poteſta-
„te verificatur vaticinium Hieremiæ.
„*Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes &*
„*regna*, & cætera quæ ſequuntur. Ergo
„ſi deviat terrena poteſtas, judicabitur
„à poteſtate ſpirituali, ſed ſi deviat ſpi-
„ritualis minor, à ſuo ſuperiori: ſi verò
„ſuprema à ſolo Deo, non ab homine
„poterit judicari: teſtante Apoſtolo; *1. ad*
„*Spiritualis homo judicat omnia; ipſe au-* *Cor. 11.*
„*tem à nemine judicatur.* Eſt autem hæc
„auctoritas) etſi data ſit homini, & ex-
erceatur

„erceatur per hominem) non humana;
„ſed potiùs divina, ore divino Petro data,
„ſibi ſuiſque Succeſſoribus in ipſo
„quem confeſſus fuit , petra firmata :
„dicente Domino ipſi Petro : *Quodcum-*
„*que ligaveris , &c.* Quicumque igitur
„huic *poteſtati* à Deo ſic ordinatæ *re-*
„*ſiſtit , Dei ordinationi reſiſtit* , niſi duo
„ſicut Manichæus, fingit eſſe principia,
„quod falſum & hæreticum judicamus :
„quia (teſtante Moyſi) non in Princi-
„pijs , ſed in Principio cælum Deus
„creavit & terram. Porro ſubeſſe Ro-
„mano Pontifici omni humanæ creatu-
„ræ declaramus , dicimus , definimus ,
„& pronuntiamus omnino eſſe de ne-
„ceſſitate ſalutis."

Omnis humana creatura Roman. Pontif. ſubjecta

Auctoritas ultimò inducta nihil urget. Illa ſiquidem obedientia & reverentia , quam Regibus & Principibus etiam malis à ſubditis exhiberi præcipit, neminem obſtringit, dum illi , demeritis ſuis exigentibus, Regno , & Principatu privantur , & hi à fide & obedientia ſolvuntur. Quod autem id per Eccleſiam, ac præcipuè per Romanum Pontificem fieri non poſſit , objecta littera minimè adſtruit : nec ulla alia , niſi ſacer textus ſibi

ſibi contrarius ſit; cum ex eò apertè ſit comprobatum, talem poteſtatem Romano Pontifici & Eccleſiæ in eſſe.

Liquet itaque evidenter, quod ſacræ Scripturæ teſtimonia Gregorij VII. ſententiam non demoliantur: quæ eò minus urgent, quo eorum ſenſus, quem *Opponens* prætendit, nec Sedis Apoſtolicæ, nec Romanæ, nec univerſalis Eccleſiæ auctoritate nititur. Unde ſacra Tridentina Synodus Seſſ. IV. *Ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſcripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam ſacram ſcripturam interpretari audeat. Hic forſitan requirit aliquis* (inquit Vincentius Lirinenſis in ſuo Commonitorio) *cum ſit perfectus Scripturarum canō, quid opus eſt, ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet ſacram ſcripturam pro ipſa ſui altitudine non uno eodemque ſenſu om-*

nes accipiunt, sed eadem eloquia aliter a te que aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quod homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Atque idcirco multum necesse est propter tam varij erroris anfractus, ut Prophetica & Apostolica interpretationis linea secundum Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur. Neque enim natæ sunt hæreses (ait Augustinus tract. 18. in Joan.) *& quædam dogmata perversitatis, illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* Quare doctor Angelicus 22. q. 1. art. X. *Finaliter determinare*, inquit, *ea quæ sunt Fidei, pertinet ad Auctoritatem summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in Decret: lib. De Baptism. cap. Majores. Vnde Dominus Luc: 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit;* Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud 1. ad Corinth:* 1. Id ipsum dicatis omnes & non

sint

ſint in vobis ſchiſmata. *Quod ſervari non poſſet, niſi quæſtio fidei exorta determinetur per eum qui toti Eccleſiæ praeſt; ut ſic ejus ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur.* Hunc proinde audire *Natalis* debuerat, & ex ejus ore ſuſcipere veritatem, quam Spiritus Sanctus locutus eſt; debuerat cùm Romanæ, tum generalis Synodi ſenſum amplecti, non autem ſacram Scripturam juxta ſuum ſenſum intellectam ſummi Pontificis ſententiæ tam audacter opponere.



ARTICULUS QUINTUS

ASSERTIO QUINTA.

Gregorij Papæ VII. doctrina de Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ potestate in temporalia Regum, Traditioni dissentanea non est, sed omnino consona.

EAm siquidem duplex Canon exhibet, in Romana Synodo sub hoc Pontifice editus & declaratus. Qua de re Onuphrius Panvinius (quem *Natalis* suæ opinionis assertorem existimat) Lib. IV. De varia Creatione Rom. Pontif. hæc scribit: *Anno Domini M.LXXIV. qui adhuc primus erat sui Pontificatus, stato tempore hac ratione principia recuperandæ Ecclesiasticæ libertatis* (Gregorius VII) *jecit. In media enim Quadragesima Romæ in Basilica Lateranensi, quæ Constantiniana appellatur, primò*

primò Synodum generalem multorum Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum congregavit; in qua circa XXX. edidit Capitula, seu Canones, quos Dictatus *appellavit: quorum major pars antea parum in usu fuerat... Verùm ad firmissimum Ecclesiæ statum jaciendum, & ad omnia tentanda, quæ animo gestabat, idonea.* *Dictatus Gregorij VII.*

Idem refert quamquam ad aliud tempus, annum scilicet M.LXXVI. Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens: ubi num. 31. sic ait: *Ad hanc Synodum* (Romanam) *spectare noscuntur quæ superiori libro posita leguntur ejusdem Gregorij Papæ sententiæ breviores, quæ hoc titulo inscriptæ habentur:* Dictatus *Papæ: ita ob emergentes & urgentes casus præsentis schismatis declarata & promulgata, quæ hactenus in Ecclesia Catholica usu receptæ fuissent, ita ut vel ex his reprimeretur audacia Schismaticorum Episcoporum & Principum hoc tempore in Romanam Ecclesiam insurgentium.* In hoc autem Dictatu hic Canon ordine duodecimus habetur.

Quod Papæ liceat Imperatores deponere.

Et ultimus: *Quod a fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere.*

Rem adeo momentoſam, ac Eccleſiæ Catholicæ uberem P. *Natalis* inficiatur Diſſert. III. in Hiſt. Sæcul. XI. dicens: *Gregorij VII. venerando nomini ſuppoſitum eſſe Dictatum.* Modum tam facilem non invenit Calvinus, qui Dictatum illum blaſphemat, nec Antonius de Dominis Spalatenſis, qui eumdem non Dictatum, ſed Dicterium appellat. Quæ in prætenſæ ſuppoſitionis probam dictus Auctor producit, ſunt quorumdam Canonum impugnatio, quaſi à Patrum & veterum Pontificum doctrina diſcordantium. Quæ ſanè probatio ipſi inefficax eſſe deberet, cum hunc Sanctiſſimum Pontificem aſſerat verbo Dei & Traditioni repugnaſſe, atque à ſuorum Deceſſorum ſemitis deviaſſe, exercendo & tradendo ſuam poteſtatem in temporalia Regum.

Longè aliter ſentit ac planè condignum de eo Dictatu judicium profert vir maximus P. Chriſtianus Lupus Ord. Erem. S. Aug. grande decus: SS. Scripturarum, Eccleſiaſticorum Canonum, Conciliorumque, ac SS. Patrum, nec non & venerandæ antiquitatis ſtudioſiſſimus, & notitiâ cum omnigena virtute con-

conjunctâ, suæ ætatis facilè primus: Epist. ad Eminentissimum Dom. Jacobum Rospigliosum, S.R.E. Presbyterum Cardinalem, *Hisce*, inquit, *Dominicis precibus* (Ego rogavi pro te, &c.) *non tantùm Nicænam, Sardicensem, aut Chalcedonensem, quæ impios ventilatores in inferno sepelierunt, Synodos debemus, sed etiam Sancti Gregorij septimi Pontificis Dictatum. Licet ipsum Ioannes Calvinus blasphemet, & Marcus Antonius de Dominis garriat esse non Dictatum, sed Dicterium: constanter credit Orthodoxa Ecclesia, ipsum esse Spiritu Dei conditum, ideoque totius mundi reverentiâ consecrandum.* *Commendatur.*

Quæ in hujus Dictatus abolitionem *Natalis* congessit, facilè refelli possunt ex prælibati sapientissimi Magistri scholijs, quæ ad illum illustrandum & vindicandum edidit in Ecclesiæ Catholicæ magnum emolumentum.

Adijcit ad Dissertationis calcem, Auctorum Gregorio VII. coævorum aut supparium de hoc *Dictatu* silentium. Verùm apud horum aliquem, aut aliquos extare, aut extitisse illius monumentum, argumento est Onuphrij Pan-

vinij adducta narratio, qui (ut erat librorum helluo) haud dubiè monumentum reperit ex quo eam deprompsit. Præterea H. Mutius laudato Onuphrio multò senior ejusdem rei meminit, German. Chronic. lib. XV. ubi sic ait: *Cum verò pertinaciter Henricus in proposito pergeret, omnes Apostolicas è Roma sive per litteras, sive per legatos venientes admonitiones contemneret, cogit Papa* (Gregorius VII.) *Romæ frequentissimam Synodum Episcoporum & reliquorum Prælatorum Ecclesiasticorum. In quo Concilio multa de potestate Papæ sunt statuta & confirmata, ut serventur perpetuo apud omnes Christianum nomen profitentes.* Multa autem de potestate Papæ tunc statuta & confirmata nusquam nisi in *Dictatu* præfato extant, qui totus Romani Pontificis & Sedis Apostolicæ potestatem & Majestatem declarat. Mutium verò hanc suam narrationem ex veteribus historicis accepisse, liquet ex ipsius Operis Dedicatoria Epistola ad D. Eustathium Quercetanum, in qua sic ait: *Omnes libros Historicos Germanicè scriptos, quos habere potui, aut extare scivi, studiosè excussi, & quæ sunt insigniora,*

scituque

ſcituque digna, verti tibi in linquam latinam. Habemus igitur ſufficiens Gregorij VII. Dictatus fundamẽtum, ut in dubium revocari non poſſit: cum aliàs in poſſeſſione ſit: à qua deturbari non debet ob argumentum negativum adductum. Unde ante hæc tempora non videtur mota dubitatio. Quare Cardinalis Baronius Antiquitatis inveſtigator maximus, ejuſdem meminit velut rei indubitatæ. Quod verò Gregorij VII. adverſarij de contentis in Dictatu quæſtionem adversùs ipſum non moverint, nec ipſe illorum in ſuis Epiſtolis meminerit, nihil urget. Quoniam Gregorius non omnium, quæ ſanxit, in ſuis litteris mentionem facit: fecit autem occaſione ſeſe offerente: unde auctoritatem Sedis Apoſtolicæ in temporalia Regum (cujus duplex Canon in eo Dictatu continetur) non ſemel ſignificavit, & ejus adverſarij in Henrici gratiam (cujus erant mancipia) acerrimè impugnarunt, eòque omnes ſuas vires direxerunt. Igitur Gregorij VII. Dictatus Rom. Synodo approbante editus eſt & ut talis recipiendus. Ab ejus impugnatione debuerat *Natalem* cohibuiſſe reverentia &

amor in Sedem Apoſtolicam, cujus privilegia hic Dictatus tam luculenter declarat: ut proterea ab Hetherodoxis tam malè tractetur. In illo autem, (ut legenti patet) clariſſimè declaratur Romani Pontificis authoritas in temporalia Regum: igitur Gregorij VII. doctrina de ea poteſtate tradita, eſt Eccleſiæ Romanæ: quæ hoc ipſum luculenter etiam in ſententijs contra Henricum latis Orbi Chriſtiano teſtatum reddidit. *Quoniam autem valde longum eſt* (inquit Irenæus lib. III. adversùs Hæreſes Cap. III.) *in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceßiones, maximæ & antiquißimæ & omnibus cognitæ à glorioſißimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per ſucceßiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire*

Romana Eccleſiæ auctoritas & puritas.

Eccle-

Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis, traditio. Non dicatur ergo præfata doctrina Traditioni dissentanea sed omnino consona, quæ hujus tantæ Ecclesiæ esse dignoscitur.

Pro eadem item faciunt cum Græcorum, tum Latinorum expressa suffragia. Primus occurrit S. Gregorius Nazianzenus per antonomasiam Theol. in Orat. ad subditos timore perculsos, & Imperatorem irascentem, ubi sic ait: *Quid de vobis dicemus Principes, & in potestatibus constituti? Iam enim ad vos sermo noster se vertit, ne minus videamur æqui, quod privatos rectè admoneamus, vestræ autem parcamus potentiæ, tanquam vereamur libertatem a Christo nobis concessam. Num vobis parcere oportet? aut majorem privatorum curam habere? Vos verò negligere, qui tanto majori cura digni estis, quantum etiam libræ examen plus trahit, quam in alteram partem vergit, majorique indiget æquilibrio? Contrarium enim tam a nobis quam a sermone absit. Quid igitur dicitis, quomodo inter nos conveniet? Num sermonem suscipitis liberum, & quod Lex Christi vos*

Imperator Ecclesiast. potestati subjectus.

vos mea potestati, meoque subjecit tribunali. Imperamus enim & ipsi, addo, majori Imperio & perfectiori: aut oportet potius ut spiritus subsit carni, cælestiaque terrestribus? suscipe igitur vocem liberiorem, scio te ovem esse mei gregis. Ubi, ut liquet, eam censet comparationem esse potestatis Ecclesiasticæ & potestatis politicæ, quæ est spiritûs & carnis, ac per consequens uti hæc illi subijcitur, ita Politicam Ecclesiasticæ potestati subdi, apertè insinuat.

Idem docet S. Joannes Chrysostomus Homil. XV. in II. ad Corinth. VII. de Ecclesiæ Principatu sic disserens: *Hic est etiam alius Principatus Civili sublimior. Quis igitur est ille? Is qui in Ecclesia, cujus Paulus meminit dicens:* Obedite Præpositis vestris, & subjacete, quia ipsi vigilant pro animabus vestris tanquam rationem reddituri. *Iste enim Principatus Civili tanto sublimior est, quantùm terrâ cælum, imo & multùm magis.... Iste noster Principatus illo ideo melior est, quia non solum est Principatus, sed & paternitas, ut ita dicatur, nam & patris habet mansuetudinem: etiam majori persuasione imperans. Nam externus quidem Princeps*

Eminentia Principatus Ecclesiastici.

dicit,

dicit, si mœchatus fueris, mortuus es. Hic autem si intemperantibus oculis videris, maxima minatur. Etenim honorabile hoc tribunal etiam animam, non solùm corpus corrigit: quantùm igitur distat inter corpus, & animam, tantùm iste Principatus ab illo distat. Hinc Principatus Ecclesiæ non ad animam, id est, spiritualia coarctatur, sed ad corpus, id est, corporalia & temporalia protenditur, ac sibi civilem Principatum subijcit, sicut anima corpus. Eodem spectat quod Homil. 22. scribit: *Ad hoc potentiam accepimus, ut ædificemus: quod si quis obluctetur, & dimicet, atque ita affectus sit, ut nulla ratione sanari possit, tunc demum alteri quoque facultate utimur, eum diruentes ac prosternentes.*

Idem tradit Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 49. his verbis: *Ex Sacerdotio & Regno rerum administratio conflata est, quamvis enim permagna utriusque differentia sit. Illud enim velut anima, & hoc velut corpus ad unum eumdemque finem, hoc est, salutem humanam.* Uniuntur itaque Sacerdotium & Regnum in ordine ad salutem æternam, adeo ut illud sit velut anima, hoc velut corpus. Indubitatum autem est, quod, dum corpus ani-

mæ

mæ unitum eſt, illi quoad ejus finem intimè ſubi jciatur. Unde Regnum, quod (ut audiſti) ad ſalutem humanam ordinatur, plenè Sacerdotio ſubditur in ordine ad eumdem finem, ac perconſequens ſummus Pontifex, cujus eſt tanquam Paſtoris univerſalis omnes in viam ſalutis dirigere, de terreno Regno diſponere habet, prout neceſſitas Reipub. Chriſtianæ requirit.

Conſentit Ennodius Diaconus in Apologia Symmachi Papæ, quam Romana Synodus ſub hoc Pontifice ſuam fecit: *Aliorum fortè hominum cauſas Deus voluit homines terminare: ſed Sedis iſtius Præſules ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio. Voluit B. Petri Apoſtoli Succeſſores cælo tantum debere innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inviolatam exhibere conſcientiam. Nolite æſtimare eas animas de inquiſitoribus non habere formidinem, quas Deus præ cæteris ſuo reſervavit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore ſubſidium, quando ipſorum factorum utitur eo teſte, quo judice. Dicas forſitan, omnium animarum talis erit in illa diſceptatione conditio. Replicabo, uni dictum*: Tu es Petrus, & ſuper

ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam : & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. *Et rurſus Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem Sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium eſt ubique ſubmittitur* : conſequenter Regum auctoritas, ſi fideles ſint : eamque ligare & ſolvere poteſt: & vel maximè : Illo ſiquidem duplici medio conficit (ut ex littera patet) Romanum Pontificem nulli in terris poteſtati ſubijci, ſed ſoli divino reſervari arbitrio : Quare perſpicuum eſt, ipſum Regiam poteſtatem complecti, ne argumento robur deficiat.

Adſtipulatur Gregorius Magnus lib. 2. Epiſt.61. quâ Mauritio Imperatori, Regni terreni ad cœleſte ſubjectionem his verbis ſignificat : *Ad hoc poteſtas ſuper omnes homines Dominorum meorum pietati cælitus data eſt, ut qui bona appetunt adjuventur, ut cælorum via largiùs pateat, ut terreſtre Regnum cæleſti Regno famuletur.* "Quo ſatis manifeſtè inſinuavit" (eruditè obſervat Nicolaus Sanderus lib. 2. de viſib. Eccl. cap. 2.) "Regni „terreſtris miniſtrum, cæleſtis Regni *Regnum terreſtre ſubijcitur cæleſti.*

miniſtro

„ministro secundum rectam rationem
„subesse. Quæ enim Regni ad Reg-
„num, eadem est eotum inter se, qui
„hoc vel illud administrant. Mauritius
„Regem & Dominum habebat in cælo
„non minùs, quam Gregorius. Rex
„verò cælorum in terra non tam duplex
„Regnum, quam unum duplicis con-
„ditionis, & naturæ habet: cujus una
„pars terrestris vocatur, altera cælestis:
„illam per Mauritium, hanc per Gre-
„gorium administravit. Nam si prorsus
„diversa essent hæc duo Regna, quo-
„modo scripsit Gregorius, *Regnum ter-
„restre* ad hoc esse constitutum *ut cælesti
„Regno famuletur*? Famulus enim ab
„hero suo alienus non est, verùm aut
„concivis ejus, aut certè domesticus:
„quod si terrestre hoc & cæleste Reg-
„num ita uniantur, ut in eadem Dei
„domo cohabitare possint, illaque do-
„mus Dei à Gregorio potiùs regatur,
„quam à Mauritio, quia Gregorij est
„velut Pastoris Mauritium velut ovem
„Christi pascere: profectò jam constat,
„eam esse Gregorij Pontificis causam,
„ut quibuscumque verbis, quamlibet
„humillimis utatur, ejus tamen monitis
ac

„ac præceptis Mauritius, aut in re gra-
„vissima parere, aut Regno cælesti ex-
„cidere necesse habeat. Si ergo Grego-
„rius Mauritium magni peccati reum
„judicasset, nec id vellet emendare Mau-
„ritius: quis neget, justè illum ab eo
„Imperio deponi posse, quod sub nomi-
„ne Christiani, potiùs contra Christum,
„quàm pro ipso exerceret? Auferendus
„est enim gladius ab eo, qui non illo
„rectè utitur, & alteri dandus, qui (ut
„Gregorij verbis utar) *bona appetentes*
„*adjuvet, qui cælorum viam largiùs pate-*
„*faciat, qui Regnum terrestre cælesti Reg-*
„*no Christi subijciat*"?

Subscribit Sanctus Bernardus Abbas Clarevallensis lib. 4. de Consideratione ad Eugenium III. cap. 3. ubi de gladio materiali hæc Pontifici scribit: *Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic:* Converte gladium tuum in vaginam. *Tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu, etsi non tuâ manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis,* Ecce duo gladij hìc, *non respondisset Dominus,* satis est, *sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis*

Luc. 22.

Materialis gladius in potestate Ecclesiæ.

lis & Materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exerendus est. Ille Sacerdotis, ille militis manu sed sanè ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris. Et Epistola 256. ad eumdem Papam, *Exerendus est nunc uterque gladius in passione Domini, Christô denuo patiente, ubi & alterâ vice passus est. Per quem autem nisi per vos? Petri uterque est, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse est, evaginandus, & quidem de quo minus videbatur, de ipso ad Petrum dictum est:* Converte gladium tuum in vaginam. *Ergo suus erat & ille, sed non suä manu utique educendus. Tempus & opus esse existimo ambos educi in defensionem Orientalis Ecclesia.* Hæc Bernardus: Quibus pressus Guilielmus Barclaius, ne Pontifici & Ecclesiæ in temporalia Regum potestatem concederet, variè tentavit evadere: ast Bellarminus Cap. XIX. ipsi aditus omnes præclusit.

Suffragatur D. Thomas Martyr & Archiepiscopus Cantuariensis Epistolâ ad Henricum II. Anglorum Regem. *Ad Sacerdotes, Rex dilectissime, suos voluit Deus, quæ Ecclesia sua sunt, disponenda pertinere, non ad potestates sæculi: quas, si fideles*

fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas . . . . Christiani Reges subdere debent executiones suas Ecclesiasticis Præsulibus, non præferre . . . . Obsequi solre Principes Christianos statutis Ecclesiæ, non suam potestatem præponere; Episcopis caput subdere, non de Episcopis judicare. Duo quippe sunt, quibus principaliter regitur mundus, auctoritas sacra Pontificis, & Regalis potestas: in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quando & de ipsis Regibus sunt in divino reddituri examine rationem. Nosse certè debueratis ex illorum vos debere pendere judicio, non illos ad vestram posse redigi voluntatem. Plurimi namque Pontificum, alij Reges, alij Imperatores excommunicarunt; & si speciale aliquid de personis Principum inquiratis, Beatus Innocentius Arcadium Imperatorem excommunicavit, quia consensit sanctum Ioannem Chrysostomum à sua Sede expelli. Sanctus Ambrosius pro culpa, quæ alijs Sacerdotibus non adeo videbatur gravis, Thedosium Magnum Imperatorem excommunicavit, & ab Ecclesia exclusit: qui tandem satisfactione condigna meruit absolvi, & multa alia in hunc modum.

Sæculi potestat. fideles Sacerdotii subjecta.

 Eam-

Eamdem veritatem luculenter expreſſit Petrus Cluniacenſis venerabilis Abbas lib. 6. Epiſt. 29. ad Eugenium III. *Quamvis Eccleſia non habeat Imperatoris gladium, habet tamen ſuper quoſlibet minores, & ſuper ipſos Imperatores Imperium. Vnde ei ſub figura Prophetici nominis dicitur :* Conſtitui te ſuper gentes & Regna, ut evellas, deſtruas, & diſperdas & diſſipes & ædifices & plantes. *Qua de re ſi non poteſt occidere, potes deſtruere.* Sic ille aſſerens non habere Eccleſiam gladium quo occidat, id eſt executionem immediatè per ſe exercendam pœnas ſanguinis & mortis, attamen imperium habere, ut Reges deponere, & Regna transferre poſſit prout Eccleſiæ communis ſalus requirit.

Hier. 1.

Idem quoque perſpicuè expoſuit Hugo de S. Victore lib. de Sacram. part. 2. cap. 4. dicens : *Ad poteſtatem ſummi Pontificis pertinent quæ ſpiritualia ſunt, & vita ſpirituali attributa univerſa. Quanto autem vita ſpiritualis dignior eſt quàm terrena, & ſpiritus quàm corpus, tantò ſpiritualis poteſtas terrenam, ſive ſæcularem poteſtatem honore ac dignitate præcedit.*

præcedit. Nam spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, ut sit, & judicare habet si bona non fuerit. Ipsa verò a Deo primùm instituta est, & cum deviat à solo Deo judicari potest: sicut scriptum est: Spiritualis judicat omnia, & ipse à nemine judicatur. *1. ad Cor. 11.*

Concors est Petrus Blesensis Archidiaconus Bathoniensis, nomine Aleonoræ Reginæ Angliæ ad Cælestinum III. Pontificem Max. sic scribens Epist. 144. 5. & 6. *Gentes divulsæ, populi lacerati, provinciæ desolatæ, & generaliter tota Occidentalis Ecclesia confecta lamentis in spiritu contrito & humiliato supplicant vobis: quem constituit Deus super gentes & Regna in omni plenitudine potestatis. Nonne Petro Apostolo & in eo vobis à Deo omne Regnum, omnisque potestas regendi committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem potestatem dedit hominibus. Non Rex, non Imperator aut Dux à jugo vestræ jurisdictionis eximitur.*

Roman. Pontif. super Regna in plenitudine potestatis constitutus.

Porro Princeps Apostolorum adhuc in Apostolica Sede regnat, & imperat, & in medio constitutus est judicarius rigor: illudque restat ut exeratis in maleficos, Pater, gladium Petri, quem ad hoc constituit

super gentes & Regna. Crux Christi antecedit Cæsaris aquilas, gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica Sedes præjudicat Imperatoriæ potestati. Vestra à Deo est, non ab hominis. Nonne Deus eorum locutus est vobis in Petro dicens: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis?

Matth. 16.

Luculenter idem docet Centius Camerarius postea Honorius III. in lib. Censuali. ubi in Gregorij VII. defensionem in facto contra Henricum variorum Pontificum rebus gestis contra Reges & Imperatores in argumentum adductis, sic concludit: *Quis ergo nisi mente captus ignorat, Regiam potestatem Pontificibus esse subjectam? Et quis credat à subjectione Romani Pontificis se alienum esse, nisi qui exigentibus peccatis suis, inter oves Christi non meruit numerari?*

Regia potestas Rom. Pontifici subjicitur.

Idem tradunt Patres universalis Concilij Lateranensis sub Innocentio III. "In quo fuerunt Episcopi quadringenti "duodecim. Inter quos fuerunt de præ-"cipuis Patriarchæ duo, Constantino-"politanus, & Hierosolymitanus; An-"tiochenus verò gravi languore deten-

tus

,,tus venire non potuit, ſed miſit pro ſe
,,Vicarium ſuum Antididenſem Epiſco-
,,pum; Alexandrinus verò ſub Sarace-
,,norum dominio conſtitutus fecit
,,quod potuit,mittens pro ſe Germanum
,,Diaconum ſuum. Primates verò &
,,Metropolitani ſeptuaginta ſeptem,
,,Abbates & Priores ultra octingentos:
,,Procuratores quoque Archiepiſcopo-
,,rum, Epiſcoporum, Abbatum, Prio-
,,rum & Capitulorum abſentium, tan-
,,tus non fuit numerus. Legatorum verò
,,Imperatoris Conſtantinopolitani, Re-
,,gis Siciliæ in Romanorum Imperato-
,,rem electi, Regis Franciæ, Regis
,,Angliæ, Hungariæ, Hieroſolimitani,
,,Cypri, Aragonum, nec non aliorum
,,Principum & Magnatum, civitatum,
,,& aliorum locorum, ingens adfuit
,,multitudo'. Ita Matthæus Paris. Nu-
meroſiſſimus autem hic ſacer Conventus
ſic adversùs Hæreticos cap. III. pronun-
tiavit. *Excommunicamus & anathemati-* *Decretum magni Lateranensis Concilij.*
zamus omnem hæreſim extollentem ſe ad-
versùs hanc Sanctam Orthodoxam Catholi-
cam fidem, quam ſuperiùs expoſuimus.
&c. & infra: *Si verò Dominus temporalis*
admonitus ab Eccleſia, terram ſuam pur-
 gare

gare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum & Comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse Vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis, sine ulla contradictione possideant, & in fidei puritate conservent, salvo jure domini Principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eâdem nihilominus lege servatâ circa eos, qui non habent Dominos Principales. Luculentum hoc ac irrefragabile veritatis firmamentum Bellarminus expendens in Prologomenis Tractatûs de Potest. Rom. Pontif. "Quid hic Barclaius diceret? inquit. Si „hæc non est Ecclesiæ Catholicæ vox, „ubi eam, quæso, inveniemus? Et si „est (ut verissimè est) qui eam au„dire contemnit, ut Barclaius fecit, „an non ut Ethnicus & Publicanus, & „nullo modo Christianus, & pius ha„bendus erit? Si non habet summus „Pontifex potestatem in terris, dispo„nendi de temporalibus usque ad deposi-

sitio-

,,sitionem Principum eorum,qui vel ip-
,,si Hæretici sunt,vel Hæriticis quoquo-
,,modo faveant, cur in editone hujus
,,Canonis nullus ex tanto numero recla-
,,mavit ? Cur ne unus quidem ex tot
,,Imperatorum & Regum Oratoribus
,,mutire ausus est ? Nondum videlicet
,,parasiti Principum temporalium ex-
,,orti fuerant, qui, ut Regna temporalia
,,stabilire videantur, Regnum æternum
,,ijs, quibus adulantur,eripiunt."

Succedunt Patres Concilij Lugdunensis Generalis sub Innocentio IV. celebrati: cui "interfuerunt (ait Henricus Spondanus ad ann. MCCXLV.) ,,unà cum summo Pontifice & Cardi-
,,nalibus tres Patriarchæ: Nicolaus Con-
,,stantinopolitanus, Albertus Antioche-
,,nus (Latini utique, non qui Græcis
,,Schismaticis præerant) & Bertoldus
,,Aquileiensis; Aymericus Archiepis-
,,copus Lugdunensis, alijque Archie-
,,piscopi & Episcopi centum quadra-
,,ginta ex Gallijs, Hispanijs, Italia,
,,Anglia, Scotia, Hibernia: quorum
,,octodecim Archiep. undecim Episco-
,,porum, Abbatum, Cluniac. Cisterc. &
,,Claravallensis, Magistri Ordinis Fra-

Concilium Lugdunense.

 trum

„trum Prædicatorum, & Vicarij Mini-
„ſtri generalis Fratrum Minorum, nomi-
„na, unà cum prædictorum Patriarcha-
„rum nominibus, reperimus in quo-
„dam diplomate Innocentij dato ibidem
„tempore Concilij tertio Idus Julias,
„circa quaſdam litteras Andreæ Regis
„Hungariæ ſcriptas olim ad Innocen-
„tium & Honorium illorum nominum
„Pontifices Tertios; quod habetur ad
„finem Tomi primi Geſtorum Dei per
„Francos. Interfuerunt inſuper plures
„abſentium Procuratores, Abbateſque
„& Priores & ex ſæcularibus Principi-
„bus Balduinus Imperator Conſtanti-
„nopolitanus, Raymundus Comes
„Toloſanus, aliuſque Raymundus
„Berengarij Comes Provinciæ", & alij
de diverſis mundi partibus Nobiles, vel
eorum Procuratores: teſte Innocentio
in Actis Concilij per Matthæum Paris
conſriptis, quem de abſentibus Prælatis,
& Principibus Thadæo de Sueſſa, Fre-
derici II. Procuratori dixiſſe refert:
*Qui abſunt laqueis Domini tui impediun-
tur irretiti.* Sacri hujus Concilij Patres
ſuum ſenſum Gregorio VII. conformem
luculentè prodiderunt, tum ſuo contra
homi-

homicidas per aſſaſſinos decreto, tum famoſiſſima Frederici II. degradatione: de quibus infra, ubi Galliarum Præſulum ſententia repræſentatur.

Doctor Angelicus.

HActenus exhibitam Catholicæ Eccleſiæ ſententiam clariſſimus ejus Doctor Thomas adeo apertè tradit, ut ejus verba non ponderatione egeant, ſed nuda repræſentatione. Sic enim loquitur 22.q. 12.Art. 2.ubi quærit:*Vtrum Princeps propter Apoſtaſiã à fide,amittat dominium in ſubditos,quin ei teneantur obedire?*

Videtur quod non. Dicit enim Ambroſius & habetur 11. *q.* 3. *quod Iulianus Imperator,quamvis eſſet apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites,quibus cum dicebat, producite in aciem pro defenſione Reipublicæ,obediebant ei.Ergo propter apoſtaſiam Principis ſubditi non abſolvuntur ab ejus dominio.*

Sed contra eſt,quod Gregorius VII. dicit, Nos Sanctorum Prædeceſſorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut juramenti ſacramento ſunt conſtricti, Apoſtolica authoritate à ſacramento abſolvimus; & ne ſibi fidelitatem obſervent,

omnibus

omnibus modis prohibemus, quo usque ad satisfactionem veniant: sed Apostata à fide sunt excommunicati sicut & haretici, ut dicit decretalis, extra de Hareticis, ad Abolendam. Ergo Principibus apostatantibus à fide non est obediendum.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, infidelitas secundùm seipsam non repugnat dominio, eo quod dominium introductum est de jure gentium quod est jus humanum. Distinctio autem fidelium & infidelium est secundùm jus divinum, per quod non tollitur jus humanum. Sed aliquis per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominij amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas. Ad Ecclesiam autem non pertinet punire infidelitatem in illis qui numquam fidem susceperunt, secundùm illud 1. ad Corinth. 5. Quid mihi de his qui foris sunt judicare? sed infidelitatem illorum qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quod subditis fidelibus dominari non possunt. Hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem: Quia ut dictum est, homo Apostata pravo corde machinatur malum, & jurgia seminat intendens homines separare à fide. Et ideo quàm cito aliquis

per

per ſententiam denuntiatur excommunicatus propter apoſtaſiam à fide, ipſo facto ejus ſubditi ſunt abſoluti à dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.

Ad primum dicendum, quod illo tempore Eccleſia in ſui novitate nondum habebat poteſtatem terrenos Principes compeſcendi; & ideo toleravit fideles Iuliano Apoſtatæ obedire in his, quæ non erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur.

Hunc locum, qui (ut phraſi Tertull. utar) ita claret, *ut ipſius ſolis radijs effugia putem ſcriptum*, miris & peregrinis modis declinare *Natalis* nititur: qui S. Doctori rem magnam præſtitiſſe ſibi viſus eſt, dum implens plures paginas ipſum à Gregorij VII. ſententiæ diffidere, ſategit oſtendere. Quod vel ex eo evaneſcit, quod tanti Pontificis decretum illi ſententiæ conforme, eamque ſtabiliens, hic Doctor in argumentum adducat loco citato. Cujus ſplendori ſic dictus Author Art. X. occurrit.

De fiduciarijs Eccleſiæ Principibus explicari commodè poteſt, in quos non ſolùm ſpiritualem, ſed temporalem auctoritatem habet: ac proinde non ſolùm illos excommunicare poteſt, ſi à Chriſtiana & Catho- *Effugium.*

lica

lica Religione deficiant, sed etiam illorum subditos ab eorum dominio & juramento fidelitatis, quo illis tenebantur, absolvere.

Praecluditur. Ast nemo vel leviter litteram percurrens non videt, quàm hæc restrictio sit violenta. Assertio namque S. Doctoris de Principe à fide Apostata indefinita est: hujusmodi autem in materia doctrinali æquipollere universali, notius est, quam ut probari egeat. Accedit, quod discrimen declarans inter principes quoad Ecclesiæ potestatem in eorum dominia, solos excipiat, *qui numquam fidem susceperunt*: reliquos subjectos velit dicens: *Sed infidelitatem illorum qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur quod subditis fidelibus dominiari non possint.* Denique dum suam resolutionem S. Doctor restringit, conformiter ad id argumentis occurrit. Quare ubi in præsenti eam limitaverat ad principes *qui fidem susceperunt*, secundum argumentum de Principibus Ethnicis procedens, sic solvit: *Ad secundum dicendum, quod alia ratio est de infidelibus illis, qui numquam fidem susceperunt, ut dictum est.* At verò argumento primo satisfaciens,

non

non dicit, aliam rationem esse de P. incipibus Ecclesiæ fiduciarijs, aliam de absolutis & supremis (ut Julianus erat) sed Ecclesiam ob virium defectum ad Principes compescendos, tolerasse *Fideles Iuliano Apostatæ obedire in his, quæ non erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur.* Luce proinde clarius est, S. Thomæ assertionem non posse restringi ad fiduciarios Ecclesiæ Principes.

Præterea duplex esse dominium (pergit *Natalis*) *nemo nescit. Simplex unum, mixtum alterum. Simplex dicimus, quod res merè temporales spectat, quod legum ad quietam & tranquillitatem Reipub. ferendarum potestatem involvit, quod tributorum & vectigalium imponendorum conscribendi exercitus, coërcendi subditos, puniendi malefactores &c. Ius & potestatem complectitur. Quo jure Principum supremornm neminem, quamvis excommunicatum, quamvis à Christiana & Catholica Religione apostatam, quamvis Ethnicum, quamvis tyrannum & Christiani persecutorem nominis, privare Ecclesia potest: neque vero hanc ipsi tribuit auctoritatem S. Thomas. Dominium mixtum vocamus, quo Principes* *Effugium aliud.*

Chri-

Christiani & Catholici rebus etiam Ecclesiasticis protectionis titulo moderantur, & exterioris in Ecclesia politiæ curam gerunt, leges ferunt de Episcopis, de Clericis & Monachis, Concilia Nationalia convocant, Oecumenicis per Legatos intersunt, aut suâ ipsi præsentia sacros illos Conventus cohonestant, ad Ecclesiastica beneficia nominant, quædam etiam conferunt aliquibus in Regnis, executioni Canonum invigilant, eam promovent, in eorum violatores civiles etiam pœnas decernunt. Ius illud mixtum Constantinus Magnus spectabat, cum ad Episcopos diceret: Vos quidem in ijs quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis, ego vero in ijs, quæ extra geruntur, Episcopus à Deo sum constitutus.... Hoc porro jure Ecclesia Principem apostatam privare, & privatum declarare merito potest infidelitatis, nec aliud intendit S. Thomas cum ait: "Quam cito aliquis per sententiam „denuntiatur excommunicatus propter „apostasiam à fide, ipso facto ejus sub„diti sunt absoluti à dominio ejus, & „juramento fidelitatis, quo ei teneban„tur", *in ijs scilicet quæ politiam exteriorem Ecclesiæ mixtique dominij jura spectabant, non in rebus merè civilibus, & sim-*

ſimplicis jura dominij ſpectantibus.

Hæc expoſitio non minus quàm prior planè textui repugnat. Illo namque dominio Principes apoſtatas privari poſſe per Eccleſiam, S. Doctor reſolvit, quod (ut littera evidenter habet) *introductum est de jure gentium quod eſt humanam.* Exploratiſſimum autem eſt, Dominium mixtum (dicendum potiùs privilegium) à Natali deſcriptum, & nimis ampliatum, non eſſe introductum de jure gentium: ad illud igitur nequit S. Thomæ aſſertio reſtringi, ſed Eccleſiæ apertè tribuit auctoritatem, Principes à fide degeneres exuendi dominio purè civili quod ſolum *de jure gentium* introductum eſt. *Præcluditur.*

A reſponſione S. Thomæ ad I. ſuperiùs exhibita ſic ſe expedire *Natalis* exiſtimat. *Explicari*, inquit, *commodè poſſunt verba ſupra laudata, eo ſenſu, quod Eccleſia terrenos Principes compeſcere facilè non poſſet ſententiam excommunicationis contra ipſos ubique promulgando, & omnibus inhibendo Chriſtianis, ne cum Imperatore apoſtata communicarent: quia perſecutionem atrociorem excitaſſet impius Princeps, ſi diris eum palam ac ſolemniter devo-* *Effugium aliud.*

devovisset Ecclesia : & ideo toleravit, ut fideles illi obedirent, quia id prohibere nec poterat nec debebat; pacemque cum ipso, quantùm in se erat, servavit ne impotentem ejus animum vehementiùs exarcerbaret, sicque majus periculum Religioni Christianæ crearetur. Hæc ille: qui genuinum verborum S. Thomæ sensum, ipso sole splendiorem attigerat dicens: *Quibus verbis innuere videtur, non passuram Ecclesiam, ut fideles Imperatori apostatæ obedirent, si majoribus viribus instructa fuisset.* Et non solum id innuere videtur, sed tam clarè asserit, ut nemo illa verba legens possit sincerè affirmare oppositum. Unde ex his clarissimum est, sensum à *Natali* expressum esse alienum. Responsio namque ad argumentum dissolvere debet quod in argumento prætenditur: argumentum autem cui S. Doctor occurrit, non contendit Ecclesiam non posse Principem apostatam coërcere promulgando ubique in ipsum excommunicationis sententiam, sed quod ille dominium in subditos non amittat (de quo quæstio erat) proinde sensus prædictus alienus est, & indignus qui tanto Doctori attribuatur,

Præcluditur.

buatur, cujus doctrina est ad miraculum concinna, nullo verbo vel iota redundans, multo minus quopiam ad propositum non attinente notata.

Nihilominus ille sensus suo Auctori tam genuinus videtur, ut subdat: *Nisi sic S. Thomas intelligatur, non video quis verborum illius sensus esse possit. Quam enim potestatem tunc Ecclesia defuisse significat ad Principes Apostatas compescendos? An spiritualem? An non eandem habuit adolescens Ecclesia, quam adulta? An temporalem, quod minor esset Christianorum numerus, quam ut Principes armis coërcere posset, ac ad officium revocare? Sed nec talem potestatem de jure usquam tribuit S. Thomas: & illam habebat de facto tempore Iuliani Apostatæ. Plures enim in exercitibus Imperij conscripti erant Christiani milites, quam Ethnici, ut constat ex Theodoreto Hist. Eccles. cap. 1.*

Respondeo. Quæ defuerit Ecclesiæ potestas ad Principes apostatas compescendos, dilucidè S. Doctor declarat. Nullam de jure defuisse ex ejus resolutione liquet: defuisse autem potestatem de facto *in sui nativitate*, asserit in responsione ad I. & ideo Ecclesiam tole-

raſſe ut fideles Juliano Apoſtatæ obedirent *in his quæ non erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur.* Quo iterum ſignificat Eccleſiam de jure potuiſſe fideles Juliani Apoſtatæ obedientiæ ſubducere. Hoc enim innuit verbum *tolerare*: cum nemo dicatur tolerare id, quod jure amovere aut impedire non poteſt. Item Eccleſiam de jure poſſe armis aut alijs medijs Principes à fide degeneres coërcere, eâdem parte q. 10. art. 8. tradit, ubi quærit, *Vtrum infideles compellendi ſint ad fidem?* & reſpondet: *Quod infidelium quidam ſunt, qui nunquam ſuſceperunt fidẽ, ſicut gentiles & Iudæi: & tales nullo modo ſunt ad fidem compellendi, ut ipſi credant, quia credere voluntatis eſt: ſunt tamen compellendi à fidelibus, ſi adſit facultas, ut non impediant, vel blaſphemijs, vel malis perſuaſionibus vel etiam apertis perſecutionibus. Et propter hoc fideles Chriſti frequenter contra infideles bellum movent..... ut eos compellant, ne fidem Chriſti impediant.* A fortiori id Eccleſiam poſſe cenſet in infideles, qui fidem quandoque ſuſceperunt, dum ita fidem exagitant. Unde ſubdit: *Alij verò ſunt infideles, qui quando-*

quandoque fidem susceperunt vel eam profitentur, sicut Hæretici, & quicumque Apostatæ: & tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiserunt, & teneant quod semel susceperunt, & multo magis coërcendi *corporaliter*, ne persequantur, quod susceperunt. Clarum itaque est S. Thomam Ecclesiæ tribuere potestatem armis coërcendi Principes Apostatas, eosque ad officium revocandi, qui concedit auctoritatem compellendi quoscumque Apostatas *etiam corporaliter, ut impleant quod promiserunt, & teneant quod susceperunt*: sed eam de facto non habuisse ad Julianum coërcendum & dominio exuendum, clarè asserit in responsione ad I. proximè citatâ. Rem elucidat Ecclesiasticorum Annalium Parens ad annum 361. Ubi relatis Juliani Imperij primordijs, *Quibus*, inquit, *in hunc modum ad securitatem Imperij stabilitis, omnia versare consilia, meditari vias, excogitare modos, adhibere conatus & jungere studia, quibus Christianam Religionem funditus posset evertere, non prætermisit. Non deerant ad opus vires, utpote Imperator & solus, à cujus arbitrio cuncta penderent.* Id con-

 stat

ſtat ex Gregorio Nazianzeno Orat. I. in Julianum Apoſtatam. *Sanè*, inquit, *licet ante illum fuerint perſecutores & hoſtes Chriſtianorum: attamen quæ nec Diocletianus, qui primus Chriſtianos affecit injuriâ, neque qui illi ſucceſſit, ac eum impietate ſuperavit, Maximianus cogitavit unquam: nec Maximinus poſt illos, ac ſuper illos perſecutor, cujus imagines publicè erectæ adhuc illius perſecutionis ſymbola ferunt, corpuſque notatur infamiâ: hæc Iulianus deliberabat, quemadmodum ſecretorum illius ſodales ac teſtes propalarunt.* Ecquæ Eccleſiæ poteſtas de facto ad obſiſtendum, illumque hoſtem coërcendum? *Coercitus eſt*, inquit, *Dei clementiâ, ac lachrymis Chriſtianorum, quæ multæ jam, & à multis erant effuſæ: quum ſolum hoc contra perſecutorem haberent remedium.*

Neque enim hæc excluſiva intelligi poteſt de jure, ſed ſolùm de facto; niſi velimus, nullam Eccleſiæ fuiſſe poteſtatem de jure in illum perſecutorem, quem errorem ipſe Nazianzenus excludit, ubi eum ſupra docentem audivimus, Imperatorem eſſe ſuis ſubſellijs à Chriſto ſubjectum, eſſeque ſui gregis ovem.

Nihi-

Nihilominus *Natalis* ſenſum oppoſitum prætendit, *Veriſimile eſt*, inquit, *S. Thomam qui Nazianzeni opera legerat, ejuſque auctoritatem & doctrinam commendaverat, non exiſtimaſſe poteſtatem de facto Eccleſiæ defuiſſe ad coërcendum Iulianum Apoſtatam ipſum exuendo Imperio, & convertendo in ipſum exercitus, ſed defuiſſe de jure. Vnde unâ* "Dei clementiâ „& lachrymis Chriſtianorum, quæ mul„tæ jam, & à multis erant effuſæ, cum „ſolum hoc contra perſecutorem habe„rent remedium", *Iulianus coercitus eſt.*

Sed id vero prorſus eſt abſimile. Si enim ideo S. Doctor exiſtimavit eam poteſtatem de jure Eccleſiæ defuiſſe, reſtat, ut exiſtimaverit etiam, defuiſſe poteſtatem de jure, *terrenos Principes compeſcendi, ſententiam excommunicationis contra ipſos ubique promulgando, & omnibus inhibendo Chriſtianis, ne cum Imperatore apoſtata communicarent*, cum ingens ſit id Chriſtianorum remedium contra tyrannidem Principum: cum ergo S. Thomæ verborum ſenſum oppoſitum idem Author paulò ante expreſſerit, conſequens eſt, S. Doctorem non exiſtimaſſe poteſtatem de jure Ec-

clesiæ defuisse ad coërcendum Julianum Apostatam, ipsum exuendo imperio & convertendo in ipsum exercitus, sed defuisse de facto.

Neque obstat, quod ex Theodoreto objicit lib. IV. cap. I. Eccles. Hist. scribente: Joviano recusante Imperium, quo ipse Christianus cum esset, paganis imperare nolebat, exercitum una voce clamasse: *Et nos Christiani sumus*. Siquidem ea vox significabat plerosque illorum corde ac voto Christianos fuisse, non manifesta professione: alioqui Jovianus non eis objecisset paganismum, neque dixisset se nolle imperare paganis. Itaque si qui erant in exercitu Juliani Christiani, occulti erant, & communicatione sacrilegorum sacrorum maculati. Ut enim Ruffinus scribit lib. 2. cap. 1. totus Juliani exercitus fuit pollutus sacrilegijs, sacrificijs videlicet idololatricis. Nam, ut art. 1. ostensum est, licet Julianus aliquandiu milites Christianos toleraverit, postea tamen legem tulit, ut omnes milites sacrificarent Idolis, aut de militia eijcerentur.

Neque obest quod 2. objicit ex Nazianzeno Orat. III. in Julianum: fuisse nimi-

nimirum eo tempore Christi fidem longè latèque diffusam: quia eo non obstante Christiani præter Dei clementiam & lachrymas (ut ipse testatur) remedium non habuerunt contra tam potentis hostis furorem.

Denique nec obest quorumdam militum animi fortitudo, quam idem ipse ex Nazianzeno deprædicat, qui à Juliano decepti, cum thus die largitionis Imperatoriæ, in ignem conjecissent, nec Christum negantes, nec de Idolis cogitantes, animadversâ fraude per forum concurrerunt, atque in hæc verba exclamarunt: *Christiani Christiani animo sumus, audiant omnes mortales*, &c. moxque ad Imperatorem convolantes auro projecto exclamarunt: *Non dona accepimus, Imperator! sed morte damnati sumus, da hoc beneficium militibus tuis; Christo nos macta & obtrunca*, &c. Non obest, inquam, quia hæc fortitudo non fuit plurimorum comparatione aliorum, sed quorumdam, ut ex Nazianzeno constat, qui proinde viribus non valebant, ut persecutori resisterent. Et hoc ipsum patet ab eventu, quem Nazianzenus subjungit dicens: *Quos Imperator ab aperta cæde abstinens*

ne martyres faceret, exilio damnavit. Itaque Ecclesiæ defuit potestas de facto ad Julianum Imperio exuendum.

Ecclesiasticam potestatem extendit S. Doctor ad infidelium dominia super fideles, ead. P. q. X. a. X. ubi quærit, *Vtrum infideles poßint habere prælationem seu dominium supra fideles?* Pro cujus resolutione dicit I. quod loquendo de dominio vel prælatione infidelium super fideles de novo instituenda, id nullo modo permitti debeat: *& ideo*, inquit, *nullo modo permittit Ecclesia, quod infideles acquirant dominium super fideles vel qualitercumque illis præficiantur in aliquo officio.* Si autem sit sermo de dominio præexistenti, præmissâ cohærentiâ dominij cum infidilate secundùm se, *potest tamen*, inquit, *justè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis tale jus dominij vel prælationis tolli. Quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque autem non facit.* Id vero Ecclesiam præstare asserit in infidelibus, qui sibi & membris suis tẽporaliter subijciuntur: ac subdit. *In illis verò infidelibus,*

libus, qui temporaliter vel Ecclesiæ vel ejus membris non subiacent prædictum jus Ecclesia non statuit, licet posset statuere de jure: & hoc facit ad scandalum vitandum, sicut etiam Dominus Matthæi 17. ostendit, quod poterat se à tributo excusare, quia liberi sunt filij, sed tamen mandavit tributum solvi ad scandalum vitandum, ita etiam & Paulus cum dixisset, quod servi Dominos suos honorent, subiungit, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Hæc S. Doctor: quæ tam luculenter dictam potestatem exprimunt, ut in alienum sensum pertrahi nequeant, quin is facilè deprehendatur. Nihilominus *Natalis* eum locum suæ sententiæ non incommodare asserit: *Quia*, inquit, *de Principibus S. Thomas non loquitur ibi, sed de alijs Dominis, quorum servos eximi posse docet à servitute, ut primum baptizati sunt, si ita statueret Ecclesia, sicut servi Iudæorum jure Ecclesiastico à servitute liberantur, ut primùm Christiani fiunt. Hanc esse Doctoris Angelici mentem constat ex articuli contextu.* "In illis, *inquit*, infi„delibus, qui etiam temporali subjec„tione subijciuntur Ecclesiæ & mem„bris ejus, hoc jus Ecclesia statuit, ut servus

Effugium.

„ſervus Judæorum , cum fuerit factus „Christianus, ſtatim à ſervitute liberetur.

Præcluditur. Aſt facilè tam alienus ſenſus refellitur. Etenim S. Doctoris aſſertio de dominio infidelum ſuper fideles indefinita eſt, ac proinde quoſcumque dominos complectitur. Quod & ejus etiam ratio, *meritum* ſcilicet *infidelitatis*, evincit: cum aliàs nulla ſit particula reſtringens. Quod enim à *Natali* adducitur, eam aſſertionem ad perſonas quaſdam non limitat, ſed ſtabilitatæ & declaratæ poteſtatis executionem in quibuſdam demonſtrat, ut ex contextu articuli perſpicuum eſt. Unde S. Doctor immediatè ſubdit: *In illis verò infidelibus, qui temporaliter vel Ecclesiæ vel ejus membris non ſubiacent, prædictum ius Eccleſiæ non ſtatuit, licet poſſet ſtatuere de jure: & hoc facit ad ſcandalum vitandum*, &c.

Adductam reſtrictionem inſuper excludit S. Thomæ ad II. objectionem reſponſio. Hæc namq; procedit de Principibus infidelibus, quibus nihilominus fideles ſuberant: cui S. Doctor reſpondens, non dicit ſuam aſſertionem non extendi ad Principes (quod pro more

ſupra

supra expenso dixisset, si ita sensisset) sed *quod illa prælatio Cæsaris praexistebat distinctioni fidelium ab infidelibus : unde non solvebatur per conversionem aliquorum ad fidem :* quia ut in corpore docuerat, *distinctio fidelium & infidelium secundùm se considerata non tollit dominium & prælationem infidelium supra fideles* : quod tamen *iustè* (ut ibidem asserit) *per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ anthoritatem Dei habentis tolli potest.*

Negat id *Natalis*, eam responsionem expendens : dicit namque, *non esse eiusdem iuris, ut quis de Principis domo sit, & in eius aula militet, ac ut eius sit subditus, iure enim divino subditus est, eique fidelitatem debet & honorem, &c. nec humana potestas ulla vinculum istud ab ipso Numine adstrictum solvere potest. Sed quod iu aula Principis versetur, ac inter eius domesticos sit adscriptus humani iuris est, idque probibere posset Ecclesia, &c.* *Sinistra explicatio.*

Verùm hæc expositio nedum contradicit litteræ (utpote quæ tota de vero dominio ac stricta subjectione agit) sed etiam Angelicæ doctrinæ principijs repugnat. Eo enim jure quis alteri subijcitur, quo is dominatur : homo autem homini *Refellitur.*

homini jure divino non dominatur: siquidem dominium juxta S. Doctorem, non est de jure divino, sed ut hic dicit, *introductum est ex jure humano*, & quæst. 12. art. 2. *De jure gentium, quod est ius humanum.* Igitur quod quis alterius sit subditus jus divinum non statuit. Quod autem introducta subjectio per Ecclesiæ authoritatem à nullo tolli possit, apertè S. Thomas reclamat, ut patet.

Explicatio contorta. *Cum ait S. Thomas* (pergit *Natalis*, ut se expediat ab auctoritate Doctoris Angelici) prædictum jus Ecclesia non statuit licet posset instituere de jure: *Non affirmat disertè Ecclesiam id posse, cum id facere non possit, quod gravissimi scandali præbet occasionem, neque esse in causa, ut nomen Domini & doctrina blasphemetur, quod ex eiusmodi statuto consequens fore, Doctor Angelicus affirmat: sed ex hypothesi & figura quadam concessionis argumentum informat, id est etiamsi ius illud instituere posset Ecclesia (quod tamen non potest) id non facit propter vitandum scandalum & ne nomen Domini & doctrina blasphemetur, quod iure divino cavere tenetur.*

Refutatur. Et hæc explicatio planè contorta est: Siquidem tam disertè S. Doctor eam Eccle-

Ecclesiæ potestatem affirmat, ut nemo litteram expendens, possit verè contrarium asserere, multo minus ejus dictum in alienum sensum pertrahere. Stabilierat namque posse per Ecclesiam tolli infidelium jus dominij supra fideles, idque Ecclesiam quandoque facere quandoque non facere (cujus jam illi tribuerat potestatem) & ijs exhibitis in quibus eam potestatem exercuit, subdit in alijs Ecclesiam id non fecisse ad scandalum vitandum, *posset*, ut ante tradiderat. Quomodo poterat S. Doctor disertiùs loqui, ut eam Ecclesiæ potestatẽ exp essisset? Adjunxit simile, germanum suorum verborum sensum dilucidans: *Sicut etiam*, inquit, Dus. *Matt.* 17. *ostendit quod poterat se à tributo excusare, quia liberi sunt filij, sed tamen mandavit tributum solvi, ad scandalum vitandum.* Ubi, ut claret, similitudinem statuit quoad veram utrobique potentiam, & exercitij omissionem ad scandalum vitandum: quod & particula *etiã* apertissimè indicat. Unde ex Hypothesi & figura quadã concessionis dictum S. Thomę verificari non potest: cum aliàs hæc locum non obtineant, ubi oppositum assertum

tum aut ſtabilitum eſt, quemadmodum S. Doctorem feciſſe, liquidiſſimè conſtat.

Non poteſt quidem Eccleſia ſcandali occaſionem præbere, nec eſſe in cauſa, quod nomen Domini & doctrina blaſphemetur, nec etiã id Dominus potuit; attamen cum eo optimè cohæret abſoluta poteſtas ad infidelibus jus dominij ſupra fideles eripiendum, ſicut & in Salvatore ad ſe à tributo excuſandum. Cujus ratio eſt, quod utriuſque poteſtatis uſus ex ſua ratione ſcandali occanem non præbeat, aut in cauſa ſit cur nomen Domini & doctrina blaſphemetur, ſed ex aliorum malitia, ideoque bonus ſit, tametſi ob ſimiles circumſtantias omittendus: quæ, ſi bonum præſtantius urgeat, negligi poſſunt, & quandoque debent: ſicut Salvator à prædicatione & miraculorum patratione non deſtitit, tametſi Judæi impias & ſacrilegas in ſuam perſonam voces jactarent, ſuam doctrinã maledictis inceſſerent, ac facta ſugillarent. *Et ita merito Pontifex* (inquit ſapientiſſimus Magiſter Bannes.) *apud Indos noſtros Occidentales utitur hac poteſtate dando guber-*

gubernatores fideles Indis ad fidem conversis. Quoniam antiqui Casiquez fideles facilè abducerent à fide. Et hic est potissimus titulus, quo Hispaniarum Rex gubernat gentem Indorum ad fidem jam conversam.

Unum restat quod *Natalis* opponit, ut evincat S. Thomam non asserere Ecclesiæ jus, ad infideles privandos dominio supra fideles. *Cum enim*, inquit, *ad sententiam ferendam necesse sit, ut is subditus sit in quem fertur, is superior qui ferendi authoritatem sibi sumit, alioquin usurpata authoritas est, ac per se irritum judicium: & in infideles, qui etiam temporali subjectione non subijciuntur Ecclesiæ, nullam habeat illa temporalem authoritatem, alioquin authoritatem haberet in illos, qui sibi non sunt subjecti, quod pugnat in terminis: sequitur evidenter quod in illos infideles sententiam ferre non possit, qua ipsos dominijs suis ac temporalibus exuat.* *Objectio contra litteram S. Thom.*

Ast hæc contra litteram objectio ex S. Doctore diluitur in primam ad Corinthos cap. 5. lect. 3. ita scribente: Quid enim mihi est, *id est quid ad me pertinet*, judicare, *id est sententiam condemnationis ferre*, de his qui foris sunt, *idest* *Solutio.*

de

de infidelibus qui sunt omnino extra Ecclesiam. Prælati enim Ecclesiarum accipiunt spiritualẽ potestatem super eos tantum qui se fidei subdiderunt secundùm illud 2. ad Corinth. 10. In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. *Indirectè tamen Prælati Ecclesiarum habent potestatem super eos qui foris sunt, in quantum propter eorum culpam prohibet fideles ne illis communicent.*

Binis hactenus vindicatis S. Doctoris locis jungendus est tertius ab oppositione liber, pro eadem veritate clarissimè faciens, videlicet eâdem parte quæst. 60. art. 6. ad 3, ubi ait: *Potestas sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ: & ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis Prælatus, se intromittat de temporalibus quantum ad ea quibus subditur ei sæcularis potestas.* Subditur autem (ut in fine secundi sententiarum docet) *in his quæ ad salutem animæ pertinent.*

Itaque juxta Præceptorem Angelicum sæcularis potestas & temporalia spirituali potestati subduntur in ordine ad salutem æternam. Illa proinde Romano Pontifici qui (ut docet contra

Græco-

errores Græcorum cap. 66. *) habet in Ecclesia plenitudinem potestatis*, in ordine ad eundem finem subijciuntur.

Igitur clarissimè constat, Doctorem Angelicum Gregorij 7. sententiæ omnino concordare. Eo tamen non obstante P. *Natalis*, *S. Thomæ*, inquit, *Doctori Angelico perperam invidiosam hanc & erroneam opinionem nonnulli tribuunt post Cardinalem Perronium. In Orat. ad III. Regni Ordinem profert vir Illustrissimus & Doctissimus S. Doctoris locum ex 2. 2. q. 10. art. 10. . . . Profert alterum ex quæstionis 12. art. 2.* Quibus luce clariùs (ut vidimus) eam veridicam sententiam tradit. *Verùm non est is S. Thomæ sensus, quē ipsi Card. Perronius & alij quidā affingunt.* S°. Thomæ sensum affictum dicit, qui, ut ex dictis claret, genuinus ac germanus est: & loquitur acsi Thomistæ omnes, alijque S. Thomæ interpretes ac cæteri ejus doctrinæ periti sibi consentirent; paucis junioribus exceptis. Cujus tamen contrarium adeo evidens est, ut probatione non egeat. Unicum sibi faventem profert; & nihilominus, dicit: *Obscuram esse hac in quæstione Doctoris An-*

 gelici

gelici mentem viri alij eruditi ſenſere. Ioannes Barclaius in examine præfationis Bellarmini ſic ea de re Cardinalem alloquitur. "Tu ipſe fateris non facilè poſſe „ſciri quid de iſta re ſenſerit(*S. Thomas*) „Ais enim lib. 5. de Rom. Pontifice „cap. 1. *de S. Thoma quid ſenſerit, non* „*eſt tam certum.* Tunc refers eum videri „directam poteſtatem adſtruere videri „etiam pro indirecta facere."

Bellarmino dubium non fuit, quin S. Doctor expreſsè tradiderit Romanorum Pontificum & Eccleſiæ in temporalia regum poteſtatem, ut conſtat ex ijs, quæ Barclaius omiſit: unde ijs, quæ ipſi dubium movebant, an S. Doctor poteſtatem directam adſtrueret, an indirectam ſolam, ſubdit: *Ex quibus colligitur, eum non diſſentire à cæteris Theologis.* Itaq; Bellarmini dubium *Natalem* haud juvat, qui cum ſolo Barclaio ſuo pro neutra parte S. Thomam videri (litterâ apertè reclamante) contendit.

Objectio contra doctrinã S. Thom.

Unde ſic ex ipſo pergit. "Addo ego, „*inquit Barclaius,* viderì pro neutra facere; cum in primam ad Corinthios ſcribat, Apoſtolum nihil omnino juſſiſſe „contra ſubjectionem quæ debetur

Prin-

„Principibus, quia hoc esset contra jus „divinum."

Superaddit *Natalis* aliud S. Thomæ testimonium in eandem Epistolam scribentis ad illa Apostoli verba, *Audet aliquis vestrum habens negotium adversùs* &c. *Apostolus non prohibet, quin fideles sub infidelibus Principibus constituti, eorum judicio compareant, si vocentur; hoc enim esset contra subjectionem, qua debetur Principibus.* Ex quibus conficit, quod si Principes supremi sint & Monarchæ, nullum jus ipsos abdicandi principatu ac dominio S. Thomas Ecclesiæ tribuat. *Quia*, inquit, *jus divinum Ecclesiastica lege destrui non potest. Porro juris divini esse censet, ut supremis Principibus semper subsint, ac pareant in omnibus, qua divina legi non adversantur, nec ab eorum jurisdictione eximi unquam possint.*

Ad hæc dicendum. Subditum superiori obedientiam debere, & subditum esse, Angelico Præceptori sunt longè diversa. Prius esse Juris divini nedum hic asserit, sed etiam 22. q. 104. art. 1. in Corp. his verbis: *In rebus humanis ex ordine Iuris naturalis & divini tenentur inferiores suis superioribus obedire.* Posterius *Solutio.*

 autem

autem esse juris divini nusquam tradit, sed manifestè oppositum, videlicet eâdem parte q. X. art. X. & q. XII. art. II. ut supra vidimus: ex quibus liquet, unum alteri subijci, non esse S. Doctori juris divini positivi; quippe citatis locis discrimen statuit, inter originem dominij, & distinctionis fidelium ab infidelibus in eo, quod hæc sit ex jure divino, illud ex jure humano: ex quo fit consequens, neque esse juris divini naturalis. Solius Ecclesiastici Principatûs prærogativa hæc est, quod ex divina immediata institutione sit, atque eodem jure fideles subdantur Ecclesiæ Prælatis, servato ordine Hierarchico ad unum supremum visibile Caput, Romanum Pontificem, *A quo* (ut Pius II. ait in Bull. Retract.) *tanquam à capite omnis in subjecta membra potestas & auctoritas derivatur, quæ à Christo Domino Deo nostro sine medio in ipsum influit.* Itaque licet prohiberi nequeat, ne subditus manens talis, suo superiori obtemperet, potest nihilominus ab ejus jurisdictione ad tempus vel in perpetuum justa de causa per Ecclesiam eximi, ac præcipuè per Romanum Pontificem ob plenitudinem

in eo residentem Ecclesiasticæ potestatis: ut ex laudatis S. Doctoris locis apertissimè constat.

Et hæc pro repæsentanda Angelici Præceptoris doctrina tanquam Gregorij nostri sententiæ omnino consona. Quibus diutius immorari oportuit, quòd cum varia *Natalis* obiecerit; quorum dissonantia à littera & mente S. Doctoris nisi fuisset exhibita, res adeo momentosa plenè suum finem non fuisset adepta: cujus vel solius auctoritatis pondere totum corruit, quod ille contra sanctum Papam erexit, utpote felici jurejurando Thomistarum adstrictus, ad sui Magistri sequendam tradendamque doctrinam. Quæ cum sit *veridica & Catholica*, Urbano V. *Solà Canonicâ inferior*, Innocentio VI. *Non sine speciali Dei infusione scripta*, Joanni XXII. *Tot miracula quod articuli*, Eidem: *Quâ universalis Ecclesia reficitur incessanter*. Clementi VI. *Certißima Christiana doctrina regula* Pio V. *Divinæ voluntatis interpres*. Clementi VIII. *Sine ullo prorsus errore conscripta*, Eidem: *Quâ militans Ecclesia Hæreticorum tela feliciter eludit*, Paulo V. *Inconcussa & tutißima*, Alexandro VII.

VII. *Lydius Lapis* Concilij Tridentini Patribus usque adeo, ut ob solam S. Doctoris dubitatam mentem (teste oculari & gravissimo Didaco de Paiva, Doctore & Oratore Regis Lusitaniæ) *placuerit Concilio potiùs decretum* (de verbis, quibus Apostoli consecrati sunt Sacerdotes) *suspendere*, *quàm stante dubitatione de sensu D. Thomæ aliquid definire*: cum, inquam, hujus celebratissimi Ecclesiæ Doctoris tam eximijs dotibus instructa doctrina sit, illeque Gregorij VII. sententiæ omnino concordet, eamque apertissimè tradat, nemo sanus & prudens eamdem dixerit Traditoni adversam.

Doctor Seraphicus.

GRegorio VII. subscribit etiam Seraphicus Doctor, quem ob eximiam doctrinam cum admirabili sanctitate conjunctam Ecclesiæ Doctorum Cœtui Sixtus IV. adscripsit, ac inter præcipuos & primarios, qui Theologicæ facultatis Magisterio excelluerunt, habendum esse & venerandum Sixtus V. decrevit ac declaravit, de cujus doctrina

trina hæc inter alia pronuntiavit : *Doctrinam ipsius S. Bonaventuræ à prædictis Prædecessoribus nostris Clemente quarto, Gregorio X. & Sixto IV. laudatam, in Concilio Lugdunensi maximè spectatam, in Florentino etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, gravissimorum virorum auctoritate testificatam & commendatam, & eximio Ecclesiæ Doctori dignam, nos quoque plurimum in Domino laudamus & commendamus.* Ecclesiasticæ Hierarchiæ parte 2. hæc habet : *Iam possunt Sacerdotes & Pontifices ex causa amovere Reges & deponere Imperatores, sicut sæpius accidit & visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipublicæ necessitas sic requirit. Summus verò Pontifex, penes quem prima in terris residet auctoritas; non à Rege, non à Principe, non ab homine judicatur, sed solius Dei judicio reservatur. Spiritualis enim homo judicat omnia & à nemine nisi à solo Deo judicatur.*

Ecclesia potest. Reges & Imperatores deponere.

Galliarum Antistites.

ILlustrissimi hi Præsules & qui Gregorium VII. antecesserunt, & qui ipsum secuti sunt, huc usque expressam & comprobatam sententiam concorditer tenent. Et quidem tempore Gregorij IV. anno DCCCXLII. Aquisgrani habuere Conventum, in quo ex petitione Regum Francorum Ludovici & Caroli decreverunt de juribus Regni in Gallia hostis ipsorum Lotharij Imperatoris, qui illum eo privantes dividendum decreverunt inter ipsum Ludovicum atque Carolum Reges fratres. Quomodo autem ista se habuerint, ex Nithardo, qui interfuit, accipiamus.

Conventus Aquisgranensis.

"Quibus, inquit, (Episcopis scilicet) ab „initio gesta Lotharij considerantibus, „quomodo patrem suum regno pepulerit, quoties populum Christianum „perjurum sua cupiditas effecerit: quoties idem ipse hoc quod patri fratribusque juraverat, frustraverit, quoties „post patris obitum exheredare atque „delere tentasset: quot homicidia, „adulteria, incendia, omnigenaque facinora

„cinora universalis Ecclesia suâ nefandissimâ cupiditate perpessa sit. Insuper „autem neque scientiam gubernandi „Rempublicam illum habere, nec quoddam vestigium bonæ voluntatis in sua „gubernatione quemlibet invenire posse „ferebant. Quibus ex causis non immeritò, sed justo Dei omnipotentis „judicio primùm à prælio, & secundò à proprio regno fugam illum „inijsse aiebant. Ergo omnibus unanimiter visum est, atque consentiunt, quod „ob suam nequitiam vindicta Dei illum „eiecerit, regnumque fratribus suis melioribus se justè ad regēdum tradiderit. „Verumtamen haud quaquam illis Episcopi hanc licentiam dedêre, donec palam illos percuntati sunt, utrum illud „per vestigia fratris ejecti, an secundùm „Dei voluntatem regere voluissent. „Respondentibus autem, inquantum „nosse & posse Deus illis concederet, „secundùm suam voluntatem se & suos „gubernare & regere velle aiunt: Et „auctoritate divina, ut illud suscipiatis „& secundùm Dei voluntatem illud „regatis, monemus, hortamur, atque „præcipimus."

Regnum Lothario abdicatur.

In Fratres Reges transfertur.

Hoc

Hoc factum memorabile Cardinalis Baronius observans, *Huc adeste*, inquit, *Politici Novatores, qui in controversiam admodum frivolè revocatis, nam summus Pontifex potuerit Francorum Regnum ab Hilderico stupido in Pipinum transferre, cum modo, ut videtis, Francorum Episcopi judices sederint de Regno & Regibus judicaturi: atque sua sententia (quod majus est, Imperatoris Lotharij Regnum hereditarium transferunt in Ludovicum & Carolum, appositâ, ut audistis, de his etiam præceptione, quæ & mox fuit executioni mandata.* Hi consequenter à fortiori hanc potestatem Rom. Pontifici tribuebant.

Hos sequitur S. Ivo Carnotensis Episcopus, qui præter superiùs laudata, hæc ad Henricum I. Anglorum Regem Epistolâ LI. direxit: *Quia res omnes non aliter bene administrantur, nisi cum Regnum & Sacerdotium in unum convenerint studium: Celsitudinem tuam observando monemus, quatenus in Regno vobis commisso verbum Dei currere permittatis, & Regnum terrenum cælesti Regno, quod Ecclesiæ commissum est, subditum esse debere, semper cogitetis. Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas*

Regnum terrenũ subijcitur cælesti.

potestas terrena subdita esse debet Ecclesiastico regimini. Et quantum valet corpus, nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas nisi informetur & regatur Ecclesiasticâ disciplinâ.

Eamdem veritatem anno 1114. luculenter professi sunt Archiepiscopi, Rhemensis, Bituricensis, Senonensis ac Suffraganei eorum; quos inter tunc Parisiensis Antistes: simul triginta & unus nisi fortè quis abfuerit. Hi siquidem eo tempore in Bellovacẽsi Concilio Præside Conone Prænestino Epis. & Apostolicæ Sedis legato, adhibitis multis alijs Synodalibus viris, hunc Gregorij quarti Canonem (ut ibidem inscribitur) probarunt, ac alijs decretis adnumerarunt. *Synodus Bellovacensis.*

Prædecessorum nostrorum statuta sequentes, eos qui excommunicatis fidelitate, aut sacramento adstricti sunt, Apostolicâ auctoritate à sacramento absolvimus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant, & ne eis antea fidelitatem observent, prohibemus.

His concordat Wilhelmus Senonensis, probatæ fidei, & spectatæ probitatis Antistes. Adhortaturus namque Alexandrum III. Pontificem Maximum ad Apo-

Apostolicæ potestatis exercitium in Henricum II. Angliæ Regem, hæc præmittit: *Vestro Apostolatui Pater sancte data est omnis potestas in Cælo & in terra, gladius anceps in manibus vestris, super gentes & Regna constituti estis, ad alligandos Reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis.*

Ecclesiæ status reflorescens ex Frederici I. exauctoratione.

Subscribit Joannes Saresberiensis, Episcopus Carnotensis Epistolâ ad Cantiæ Suppriorem: quâ ipsum certiorem reddens de exauctoratione Frederici I. Imperatoris ab Alexandro III. in Lateranensi Concilio, hæc scribit: *Reflorescit status authore Domino universalis Ecclesiæ & Schismaticorum impetus frustratus est, & superbia Moab indies infirmatur. Nec de nocte vastatus est nunc, ut ab initio, sed in meridie suffossa est Arx, & muri ejus dejecti sunt funditus, ut exaltatio Moab, ex necessitate Petro cedens, de cætero conquiescat. Vnde spes est in Domino, ut vociferantibus tubis sacerdotalibus in proximo corruat & Hierico, & Regnum proprio sanguine acquisitum obtineat triumphator Iesus, & in pace possideat, quod sui juris est, Sponsus & Custos Ecclesiæ Christus. Cum enim Romanus Pontifex per patien-*

patientiam Theutonicum tyrannum diutius expectasset, ut vel sic provocaretur ad pœnitentiam, & Schismaticus abutens patientiâ ejus, peccata peccatis adderet jugiter, ut error in amentiam verteretur, Vicarius Petri à Domino constitutus super gentes & super Regna, Italos & omnes qui ei ex causa Imperij & Regni religione Iurisjurandi tenebantur adstricti, à fidelitate ejus absoluit, & Italiam ferè totam à facie furentis & præsentis tanta felicitate & celeritate excußit, ut in ea nihil habere videatur nisi tortores, quos evitat interdum, & angustiarum, quas evitare non potest, juge supplicium. Abstulit ei etiam Regiam dignitatem ipsumque anathemate condemnavit, & inhibuit auctoritate Dei, ne vires ullas amodo in bellicis congreßionibus habeat, aut de Christiano aliquo victoriam consequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo secutus est exemplum Gregorij VII. Decessoris sui, qui nostra ætate Henricum Imperatorem Ecclesiæ privilegia convellentem deponens, in Concilio Romano simili sententia condemnavit. Et quidem illa sententia effectum sortita est, & hanc de privilegio Petri latam

Gregorij VII. factum commendatur.

tam videtur ipse Dominus confirmasse: hoc enim Itali audito ab eo discedentes reædificaverunt Mediolanum, Schismaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt Episcopos & Apostolicæ Sedi unanimiter adhæserunt.

Succedunt Galliæ Præsules, qui interfuere Lugdunensi generali Concilio, quorum uti & aliorum supra memoratorum assensu Innocentius 4. decretum hoc sanxit contra homicidas per assassinos: *Sacri approbatione Concilij, statuimus, ut quicumque Princeps, Prælatus, secularisve persona quempiam Christianorum per prædictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, quamquam mors forsitan ex hoc non sequatur, aut eos receptaverit, aut defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat sententias ipso facto, & illa liberè alijs per illos, ad quos eorũ collatio pertinet, conferantur. Sit etiam cum suis bonis mundanis omnibus tanquam Christianæ Religionis æmulus à toto Christiano populo dissidatus: & postquam probalilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis seu dissidationis adversus*

Decretũ Concilij generalis Lugdunensis.

versus eum sententia requiratur.

Hi eundem suum sensum Gregorio VII. consonum luculentissimè reddidere testatum, dum in eodem Concilio exauctorationi Frederici II. ac subditorum à juramento fidelitatis absolutioni assensum præbuerunt, ac depositionis sententiæ, in qua, ut supra vidimus, exprimitur, unde Romano Præsuli ea insit potestas, unâ cum alijs Patribus subscripserunt, ac, ut Matthæus Paris refert, prolatâ exauctorationis sententiâ *candelis accensis in dictum Fredericum, terribiliter, recedentibus & confusis ejus Procuratoribus, fulgurarunt.* *Frederici II. exauctoratio.*

Hos sequitur Ægidius de Columna Ord. Eremit. S. August. Archiepiscopus Bituricensis, Aquitaniæ Primas, & S. R. E. Cardinalis: Philippo Pulchro Gallorum Regi pergratus: ob mirum in eruenda veritate ingenium, *Fundatissimi* nomen assecutus: in Tract. de Potest. Ecclesiast. parte I. cap. 30. *Sed*, inquit, *diceret aliquis, quod Reges & Principes spiritualiter, non temporaliter subsint Ecclesiæ. Sed hæc dicentes vim argumenti non capiunt: nam si solum spiritualiter Reges & Principes subessent Ec-*

clesiæ

Principes temporaliter subsunt Ecclesiæ. *clesiæ, non esset gladius sub gladio; non essent temporalia sub spiritualibus; non esset ordo in potestatibus, non reducerentur infima in suprema per media.* Hæc ille, qni toto illo tractatu hoc probat, potestatem Ecclesiæ, (cujus plenitudo est in summo Pontifice) non ad sola spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendere.

Subscribit Durandus à Sancto Portiano Ord. Præd. Episcopus Meldensis, *ita eruditus, ut ingenij sublimitate non sui modò sæculi auctores superaverit, sed & Priscorum æquaverit magnitndinem*: in libro de Origine Jurisdictionum quæst. III. *Quia*, inquit, *utraque potestas temporalis & spiritualis est necessaria, ideo utramque ptestatem* (Christus) *contulit Petro.* Et infra. *Isti sunt veri termini jurisdictionis spiritualis & temporalis à fundatione Ecclesiæ, quos transgredi non licet; quia jurisdictio temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia, de quibus nihil novit: jurisdictio verò spiritualis se extendit primò & principaliter ad spiritualia, secundariò verò & per quamdam consequentiam se extendit ad actiones hominum circa temporalia, quæ ordinantur ad spiritualia tanquam ad finem.* *Termini utriusq; potestatis.* Suffra-

Suffragatur Petrus Bertrandus Eduensis Episcopus & S. R. E. Cardinalis pietatis laude ac doctrina præsertim utriusque juris clarissimus, qui in Universitatibus, Avinionensi, Monpeliensi, Aurelianensi & Parisiensi docuit: Tract. qui supra, Quæst. IV. quærit, *Vtrum potestas spiritualis debeat dominari temporali?* & sic resolvit: *Respondeo & dico, quod potestas spiritualis debeat dominari omni humanæ creaturæ, propter rationes, quas Hostiensis induxit in Summa, Qui filij sint legitimi. §. Qualiter & à quo. Item quia Christus Filius Dei, dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno, naturalis Dominus fuit: & jure naturali in Imperatores & quoscumque alios depositionis sententias ferre potuisset, & damnationis, & quascumque alias; utpote in personas, quas creaverat, & donis naturalibus & gratuitis dotaverat, & etiam conservabat: & eâdem ratione ejus Vicarius potest. Nam non videretur discretus Dominus fuisse (ut cum reverentia ejus loquar) nisi unicum post se talem Vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset. Fuit autem iste Vicarius ejus Petrus apud Matthæum. Et idem dicendum de successoribus Petri; cum eadem absurditas*

Petrus & Successores possunt in Imperatores & quoscumque alios depositionis sententias ferre.

retur, si post mortem Petri, humanam naturam à se creatam, sine regimine unius personæ reliquisset. Argumentum ad hoc, Qui filÿ sint legitimi. Cap. Per venerabilem ultra medium. De hoc notat Innocentius in Cap. Licet de Fore Compe. Et ideo Bonifacius VIII. motus multis alÿs efficacibus rationibus & exemplis, & auctoritatibus sacræ Scripturæ, declaravit, dixit & definivit, subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam de necessitate salutis; ut in Decretali Unam Sanctam: Extravaganti in Titulo de Majoribus & obedientibus: quam de verbo ad verbum in fine hujus Opusculi inserere curavi, quoniam elucidat, & declarat materias hujus quartæ quæstionis.

Adstipulatur Guilielmus Durantus Episcopus Mimatensis, *Speculator*, vulgò dictus, utriusque Juris Doctor clarissimus: in Speculo Lib. I. Tit. *De legato.* §. *Nunc demum ostendendum* num. 17. Ubi sic ait: *Papa deponit Imperatorem propter ipsius iniquitates, & dat* (Principibus) *curatores ubi ipsi sunt inutiles ad regendum.*

Consonat, Ægidius Bellamera Episcopus Avinionensis in Cap. Alius 15.

q. 6.

q. 6. num. 2. Ubi sic ait: *Papa potest deponere Imperatorem, qui ab eo temporalitatem recognoscit.* Et infra, *etiam alios Reges, licet ab eo Regna sua non teneant in fœudum, nec temporalitates suas ab eo recognoscant, nec juramentum fidelitatis ei præstent, videlicet pro delictis & negligentÿs:* Et infra: *depositio autem Regum facienda per Papam non ex illa ordinaria, sed ex quadam suprema & absoluta potestate procedit: & quod illam supremam & absolutam potestatem Papa habeat, videtur multum æquum, & Reipublicæ valde expediens, scilicet, ut sit aliquis supremus Monarcha, qui Regum hujusmodi excessus poßit corrigere & de ipsis justitiam ministrare.* Vide eundem in Cap. *Novit.* de Judic. & in Cap. *Solitæ,* de Majorit. & Obed.

Papa potest Reges deponere.

Concordat Gilbertus Genebrardus Archiepiscopus Aquensis loco art. II. citato: ubi de Gregorij VII. facto contra Henricum adjungit sequentia. *Exorti motus Henricum ipsum perdiderunt & Imperÿ superbiam valdè attriverunt, isto de Imperÿ gradu ignominiosißimè dejecto.*

Pontifex Proceres & populum sacramento præstito sanctè soluit, & ut Rodul-

Gregorius VII Sanctè absolvit subditos Henrici à fidelitate, & ut Rodulpho adhærerent Sanctius imperavit.

pho adhæreant, sanctiùs imperat. Ejus enim est videre ne quid detrimenti res Christiana à Principibus patiatur. An non Samuel Levita Dei authoritate Saulem Regem creavit, deindeque peccantem publicè deposuit Davide substituto & inuncto? An non Elias Dei spiritu Reges constituit & abdicat, non modo in Israel, sed in Siria? 3. Reg. 19. An non Hieremias sacerdos accipit potestatem super gentes & Regna ut destruat & ædificet, evellat & plantet? 1. cap. An Apostolica authoritas minor est, quàm Prophetica? Quomodo igitur illud Spiritus S. impletum, pro patribus nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram? Quare stat immota vox, vel potiùs oraculum D. Ambrosij. Epist. 33. Veteri jure à Sacerdotibus donantur Imperia, non usurpantur. Et illud Petri Cluniacensis Epist. 29. lib. 9. Quamvis Ecclesia non habeat Imperatoris gladium, habet tamen super ipsos Imperatores Imperium. Vnde ei sub figura Prophetici nominis dicitur: Constitui te super gentes & Regna, ut evellas, destruas, disperdas, dissipes, ædifices, plantes. Hæc contra Centuriatorum ejulatus.

Rem conficit Eminentissimus & doctissi-

doctiſſimus Cardinalis Perronius, Archiepiſcopus Senonenſis, perilluſtre agmen ducens aliorum quatuor Cardinalium, Archiepiſcoporum ſex, Epiſcoporum ſeptem & quadraginta, aliorumque plurimorum Eccleſiaſtici Ordinis Virorum illuſtrium, ac Gallicæ Nobilitatis, pro vindicanda Romani Pontificis in Regum temporalia auctoritate adversùs Tertium Regni Ord. in Comitijs trium Ord Pariſijs celebratis an. 1614. Quorum momentum ferme omne in ea quæſtione fuit, teſte Gabr. Bartholomæo Gramondo in Regis Conſiſtorio Senatore, & in Parlamento Toloſano Præſide lib. 1. Hiſtoriarum Galliæ ab exceſſu Henrici 4. qui rem hanc memorabilem ita refert. "De ſummi Pontificis in Reges poteſtate pluribus tum actum in utramque partem: non ante doctiùs, non agitata quæſtio elegantiùs. Miſſi perſæpe Oratores Cleri ad tertium Ordinem, & à Tertio ad Clerum. Itum tandem in unam ſententiam communibus tertij Ordinis votis, miſſique ad Clerum articuli tres, quorum hæc ſumma.

Memorabile factum Cleri & Nobilitatis Galliæ pro auctoritate Sedis Apoſt. in temporalia Regum.

„1. *Sacrilegum esse Reges unctos Dei, „quolibet prætextu in necem dare.*

„2. *Debitam immediatè uni Deo Regum „in subditos potestatem.*

„3. *Nullis Sedis Apostolicæ interdictis „subiacere Imperia Regum, subditosque „numquam Sacramento fidei exsolvi posse,*

„Hisce legibus intempestivè vulgatis „firmabat Regiam auctoritatem tertius „Ordo, Regno Gallico pro fundamen-„talibus haberi petens. Consensit primæ „Clerus, eamque Romanæ Ecclesiæ „esse sententiam pluribus probavit Car-„dinalis Rupifulcaudius, vir Sanctus.... „Ordo Ecclesiasticus, perorante doctis-„simè Perronio Cardinale, juxta Con-„stantiensis statuta Concilij thesim in „tyrannicidas esse de fide respondet, „quod pridie Cardinalis Rupifulcaudius „doctè convicerat: Alteram qua ita „cavetur, *Debitam immediatè uni Deo „Regum in subditos potestatam, de fide „negavit, quamquam humanitus, & histo-„ricè defendi possit.* Difficultatem præci-„puè movit articulus 3. cujus hæc ver-„ba: *Nullis Sedis Apostolicæ interdictis „subiacere Regna, subditosque numquam „Sacramento fidei exsolvi posse.* Vindicabat

vir

„vir doctus summi Pontificis in Regum
„Sceptra potestatem certis casibus:
„*Nempe si in hæresim aut Idolorum cultum*
„*prolapsi, subditorum animis nova insinuant*
„*dogmata: seu quod peius, si reluctantes,*
„*adigunt, ut fidem abdicent. Præpostere*
„*præponi velut de fide Orthodoxa contra-*
„*riam opinionem, quæ ad summum vix*
„*problematica dici possit: probabat potestati*
„*Romanæ Sedis in Reges hæretica labe in-*
„*fectos subscripsisse quotquot Calvinum*
„*ante Theologica tractavere. Contrariam*
„*opinionem novam esse, Luthero & Calvino*
„*fautoribus nuper natam. Sacramento vin-*
„*ciri Reges Galliæ ubi inaugurantur, pellen-*
„*dis Regno suo hæreticis: si peierauerint,*
„*in hæresim ipsi degeneres, si fautores*
„*hæresiarcharum, si novi dogmatis asser-*
„*tores, deberi ultionem Vicario Dei, ad quem*
„*unum ex lege spectat perjurij pœna. In*
„*eam sententiam exactis sæculis itum: iri*
„*& hodie passim toto orbe Catholico, si*
„*Galliam demis. Ipsos Doctores Galliæ,*
„*ejus opinionis authores, nunquam de ea*
„*scripsisse, in hanc sententiam, ut de fide*
„*sit: veram & politicam asseruisse: ast*
„*nunquam de fide. Exemplis plena esse hi-*
„*storiarum volumina, quibus confirmatur*

„*summa Sedis in Reges poteſtas à fide de-*
„*generes. Ita Euphemium Patriarcham*
„*Conſtantinopolitanum Anaſtaſio Impera-*
„*tori negaſſe obſequium & fidem , donec*
„*Concilio Calcedonenſi ſubſcripſiſſet. Ita*
„*eidem Imperatori in Eutychis hæreſim*
„*relapſo , reſtitiſſe acriter Symmachum*
„*ſummum Pontificem. Ita Clotarium Re-*
„*gem Galliarum ad ſcelus immane in Ec-*
„*cleſia Dei nece Luetoti patratum, poſt in-*
„*undatum ſanguine Innocentis altare,luiſſe*
„*pœnas arbitrio Pontificis ſummi condig-*
„*nas culpæ. Ita Iuſtinianum ſecundum , ita*
„*Philippicum Imperatores , à Sergio &*
„*Conſtantino ſummis Pontificibus mulcta-*
„*tos. Ita Leonem Iſauricum Imperio dejec-*
„*tum , Gregorij II. decreto , quia Icono-*
„*claſtarum hæreſi infectus, dogma propaga-*
„*bat exemplo , & vi. Ita Carolum Mag-*
„*num evectum ad Imperium Occidentis ope*
„*Romanæ Sedis. Ita Childericum Regno*
„*dejectum. Ita ſubſtitutum homini per*
„*otium evervi faſtigioque Regiæ dignitatis*
„*impari, Pipinum aſſenſu Sedis Apoſtolicæ,*
„*quam à Gallis conſultam tradunt hiſtoria-*
„*rum monumenta. Ita Fulconem Archiepiſ-*
„*copum Rhemenſem intentaſſe Carolo Sim-*
„*plici minas,velut clienti ſuo. Ita Primum*
Gallorum

„*Gallorum Regem, semotum ab Ecclesia*
„*Dei, adulterij manifestum palam com-*
„*missi, post repudiatam sine causa uxorem,*
„*evectamque in solium pellicem, qua ute-*
„*batur velut sua, marito superstite. Ita*
„*Gregorium VII. sacris interdixisse Hen-*
„*rico quarto Imperatori, subditosque sol-*
„*visse obsequij nexu. Ita excommunicatos*
„*Philippum Augustum Gallorum, Ioannem*
„*Anglorum Reges. Ita Otthonem Impera-*
„*torem. Ita Raymundum Comitem Tolosa-*
„*tum, quorum hic per socordiam in Albi-*
„*gensium hæresim lapsus, succubuit Pontifi-*
„*ciæ potestati, in augmentum Gallici Regni,*
„*cui Comitatus Tolosanus adjunctus est,*
„*dono Provincialium. Ita fidei sacramento*
„*solutos olim ab Innocentio IV. Frederici*
„*Imperatoris subditos debitum Lugdunensi*
„*tunc Concilio fulmen. Ita dejectum Pe-*
„*trum Arragoniæ Regem Martino IV. sum-*
„*mo Pontifice procurante, ob infamiam*
„*horrendæ lanienæ, cui à vesperis Sicilianis*
„*nomen. Ita ab Vrbano V. contra Petrum*
„*crudelem (id illi nominis à sævitia datum)*
„*Castellæ Regem indictam promulgatam-*
„*que excommunicationem, quia hæreticus*
„*Ecclesiæque Orthodoxæ hostis erat.*

„His probabat exemplis Perronius

summo

„summo Pontifici jus esse in Regna,
„& Reges, certis casibus. Postmodum
„Theologorum authoritate nitebatur:
„*Laudabat ut suæ opinionis fautores: D.*
„*Thomam, Ochram, Ioannem Parisiensem,*
„*Iacobum Almainum, Gersonem, & paßim*
„*reliquos, qui de utraque jurisdictione*
„*scripsere. Laudabat & Iurisconsultos,*
„*Ioannem Silvam præsidem Lutetianum,*
„*Ioannem Fabrum, Stephanum Aufrerium*
„*Tholosani Parlamenti Præsidem, Presium*
„*libellorum supplicum in Regia Magi-*
„*strum, Gregorium Tholosanum: urgebat*
„*ex eo quod Galli essent scriptores: eoque*
„*nomine Gallis minimè suspecti: illis*
„*quotquot sunt, unam esse pro Pontifice*
„*summo in id sententiam, ut lapsis in*
„*hæresim Regibus, maximè si fidem Ortho-*
„*doxam insectantur, Communione interdi-*
„*cere poßit & regno. Absurdam esse thesim*
„*quæ contrarium velut de fide promulgat:*
„*cui veterum subscripsit nemo, Recentio-*
„*rum pauci, tanquam dogma politicum*
Nota. „*defendi posse, ad summum: eo errore*
„*primam fuisse Henrico VIII. Angliæ Regi*
„*viam in hæresim ex injusto repudio justè*
„*condemnatum, rebellasse contra Iudicem*
„*suum, per lubrica quassatam fidem, pro-*
caciique

,,*caciqueque licentia tyrannicè usurpata, jura*
,,*Sedis Apostolicæ, à Rege, nullo dein*
,,*fulminum Ecclesiæ metu grassante. Facilem*
,,*esse in schisma lapsum, ast resurgere opus*
,,*arduum, Deique unius beneficium: non* Notæ.
,,*aliud præcinere thesim, quam apertam*
,,*rebellionem in solium Petri. Neque nova*
,,*opus condemnatione, Apostolico rescripto*
,,*jamdiu condemnatum dogma, hæreticum-*
,,*que pronuntiatum, nempè ut de fide Or-*
,,*thodoxa proponitur. Pati Clerum Galli-*
,,*canum problematicè disputari thesim, quo*
,,*fiat satis autoritati Ecclesiasticæ, &*
,,*Seculari: non eam Regi Christianissimo*
,,*mentem esse, ut Sedi Apostolicæ obluctari*
,,*velit, neque sub tanto Rege timenda in-*
,,*terdicta, qui nedum Ecclesiæ filius, sed*
,,*protector & liberator est: id Clerum ag-*
,,*noscere, & orare continuò Deum ut Regem,*
,,*Regno Gallico primogenitum conservet*
,,*Ecclesiæ Matri.*

,,Ita Cardinalis Perronius doctè & eleganter. Contra à tertio Ordine ad Clerum delegati dixere. *Non esse novam apud Comitia Galliæ generalia quam proponunt thesim*" & cętera, quorum refutatio præsentis instituti non est: & aliàs pene omnia refelluntur ijs, quæ in hoc Tractatu continentur. His

,,His vindicabat authoritatem Regum ,,tertius Ordo, quæ ex præscripto retuli ,,& fideliter, quia Comitiorum mo- ,,mentum ferme omne in ea quæstione ,,fuit. Assensere Lutetiani Parlamenti ,,Patres, vetera Regni columina: nec ,,multo post vulgatum confirmandæ ,,sententiæ placitum in hanc summam. ,,Rogante procuratore Regio Senatus ,,censuit pro lege politica Regnoque ,,fundamentali habendum posthac: quod ,,Rex Galliæ unius Dei beneficio reg- ,,nat: quod neminem in temporalibus ,,agnoscit: quod sacrum ipsius caput est: ,,adeo ut nemini jus sit, eum quocum- ,,que prætextu occidere.

,,Excanduit Clerus, addito non eas ,esse parlamenti partes, ut ultro respon- ,deat, Comitijs Galliæ generalibus ,,convocatis, Regium omne jus transla- ,,tum in ipsa: adeo ut velut justitio in- ,dicto, cessare debeat Magistratus. Cle- ,,rum & Nobilitam convenire in ean- ,,dem sententiam, nec ideo contrariam ,,opinionem valere, quia ita populus ,,censet, duorum vota & calculos uni ,,prævalere: neque id muneris Parla- ,,mento, ut Comitiorum generalium

placiti

S

„placitis intercedat, præreptam alioquin „Provinciarum Oratoribus libertatem, „quorum est summo jure dicere de Re„publica sub Regis placito. Clero, Sedis „Romanæ Orator adjunctus (Nuntium „vocant) vindicabat Apostolicam auc„toritatem, dissidioque res haud procul „aberat, nisi Cardinalis Sordisius ad „Regem delegatus obtineret, in suspen„so haberi theses, donec oportuno tem„pore discussæ, irent in legem, aut „penitus abrogarentur. Vulgatur interea „placitum Lutetiani Parlamenti prælo„que datum it magna approbatione per „urbem: exin toto latè Regno diffun„ditur. A Clero delegati iterum, extor„quent novum à Rege diploma, quo „mulctam pecuniæ patitur Typogra„phus ab edito Parlamenti Aresto."

Paulus autem *Pontifex V.* (inquit Henricus Spondanus in Gallia Narbonensi Appamiarum Episcopus ad annum M. DC. XIV. num. XLVII.) *ubi audivit strenuam operam à Clero & Nobilitate in tam lubrico negotio pro Ecclesiæ & Reipublicæ tranquillitate navatam, gratulatoria dedit Brevia.*

Scrip-

Scriptores Catholici.

Concordem omnium Theologorum scholæ de fide aut moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est. (Inquit Illustrissimus & doctissimus Canariensis Episcopus Melchior Cano Ord. Præd. lib. VIII. de Locis cap. IV.) *Illa conclusio ut est à me posita primùm ostenditur; quod nullum dogma reperietur, quod eadem mente oreque Scholastici omnes, certè ac firmiter asseruerint, quin idem in universum Ecclesia teneat, eorum auctoritate mota. Nam si aliquod invenire hæretici possunt, proferant & tacebimus. Quod si nullum proferri potest, velint, nolint, id quod scholæ totius auctoritate firmatur, verum est si ad fidem, ut mox dixi, moresque pertineat. Adde quod nullum tam proprium scholæ decretum est, quod vel ex sacris litteris, vel ex Apostolorum traditione, vel ex Conciliorum, aut Pontificum definitionibus non habeat certam Originem. Ita qui scholæ decreta refutarunt, hi semper juventi sunt & fontem, unde illa manant, repudiasse. Atque ut uno verbo dicam, nemo qui in Catholicis habeatur,*

habeatur, omnes ſine diſcrimine Theologos exploſit. Quod abundè ſatis magnum argumentum eſt, ſine fidei diſcrimine hujuſmodi ſcholæ placita negari non poſſe.

Porro omnium non modo Theologorum, verùm & Juriſconſultorum ſententia eſt, Romano Pontifici ineſſe poteſtatem in temporalia Regum: ſi paucos demas, ut Guilielmum Barclaium, Rogerum Widdringtonum à Doctoribus Catholicis hac in re refutatos, Edmundum Richerium à Senonenſi, & Aquenſi Archiepiſcopis & eorum Suffraganeis proſcriptum, & ſi qui alij ſint à nota non immunes. Fatendum tamen, inter Doctores eſſe diſſenſionem, dum directam uni, indirectam alij auctoritatem adſtruunt: at illa non eſt de quæſtione *an ſit*, ſed de quæſtione *quid ſit* vel *quomodo ſit*. Quod in Romano Pontifice reſideat auctoritas in temporalia Regum, una omnium ſententia eſt, quamquam non deſit diſſidium, quid ſit, & qualis ea auctoritas, id eſt, an ſit per ſe & propriè temporalis, an potiùs ipſa quidem ſpiritualis ſit, ſed per quamdam neceſſariam conſequentiam & in ordine ad ſpiritualia de temporalibus

bus disponat. Nihilominus clarum est, illos, qui directam tribuunt, de indirecta non ambigere, atque ita hoc idem sentire omnes, qui hanc quæstionem tractarunt, perspicuum est. Proinde Gregorij VII. sententia Traditioni neutiquam adversatur, sed est Ecclesiæ doctrina.

Hanc consecutionem ægrè admodum *Natalis* admittet, quòd hanc Pontificiæ sententiæ prærogativam non sustineat, ast suæ opinionis esse, audacter pronuntiet. *Potestatem* (inquit pag. 350.) *ligandi & solvendi animas, S. Petro & ejus successoribus Romanis Pontificibus, in tota qua latè patet Ecclesia, à Christo concessam; potestatem dirimendi controversias fidei, omnes causas majores judicandi, Canones interpretandi, temperandique & eorum executionem omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Presbyteris, cæterisque Clericis, ac fidelibus toto orbe Christiano imperandi: eorum contumaces infractores censuris plectendi, secundùm eosdem Canones, & mores Ecclesiarum antiquos, receptos & probatos: non item exauctorandi Reges vel Imperatores, Romano Pontifici directè vel indirectè convenire,*

nire,

nire, omnes propugnant. Hæc ille: qui si hanc Pontificiæ auctoritatis truncationem ut à cunctis propugnatam reticuisset, falsitatis notam non incurrisset. Ne ergo credatur ipse tanto niti veritatis firmamento, in nostri asserti probam, juvat illustrium Scriptorum Gregorio nostro concordium verba producere, qui in diversis mundi partibus, & tempore diverso floruerunt, ut hinc etiam gravis contra ejusdem Gregorij doctrinam incusatio depellatur, ac eam esse Ecclesiæ sententiam, dilucidè constet.

Illustres Scriptores Nationis Italicæ.

PRæter S. Anselmum Lucensem Episcopum, Angelicum & Seraphicum, Ecclesiæ Doctores, ac Ægidium de Roma, superiùs laudatos, ex hac natione Greg. 7. sententiæ subscribunt.

Beatus Augustinus Triumphus Ord. Eremit. S. August. Vir doctissimus & tantæ sanctimoniæ, ut in ejus sepulchro *Beati* titulus incisus videatur: Quæst. 46. de Eccl. potest. dub. 2.

Dubium non est, *quin Papa poßit omnes Reges* , *cum subest causa rationabilis deponere*. Et Quæst. 22. dub. 3. *Imperatorem à Papa posse deponi*, *quis ibit inficias*?

Beatus Joannes de Capistrano Ordinis FF. Minorum Minister Generalis, qui doctrina & miraculis Ecclesiam Catholicam illustravit, ei plura infidelium millia aggregavit, innumeros Schismaticos ad ejus unitatem reduxit, Fratricellorum hæresim profligavit, ac Hussitas refutavit. lib. 2. de Potest. Papæ part. 2 *Papa Principes in spiritualibus debet*, *similiter in temporalibus eminere*, *ut tanquam dignior propter eminentiam in omnibus habeatur*.

Sanctus Antoninus ex Ord. Præd. Archiepiscopus Florentinus, de quo Nicolaus V. dixit: *Non minùs ego Archiepiscopum Florentinorum Sanctorum Cathalogo vivum adscribendnm putarem*, *quàm Bernardinum mortuum*. In Summa P. 3. Tit. 22. Cap. 5. §. 7. *Potest Papa ipsos Reges ex causa rationabili deponere*.

Thomas de Vio Cajetanus ex Ordinis Præd. Magistro Generali S.R.E. Presbyter

byter Cardinalis, qua pietate, qua doctrina clarissimus: de Potest. Papæ & Concilij part. 2. cap. 13. *Ad octavum dicitur, quod quia potestas Papa directè est respectu spiritualium ad supremum simpliciter finem humani generis: ideo sua potestati duo conveniunt: primò, quod non est directè respectu temporalium: secundò, quod est respectu temporalium in ordine ad spiritualia: hoc enim habet ex eo, quod ad supremum finem omnia ordinari debent etiam temporalia ab eo procul dubio, cujus interest ad illum finem omnes dirigere, ut est Christi Vicarius: primum autem ex natura sua potestatis consequitur.*

Alexander de S. Elpidio, Ord. Erem. S. Aug. lib. de auct. sum. Pontif. & Jurisd. Imperij. cap. 9. *Deo non subditur, qui subjectus non est Dei Vicario & Ecclesiastica potestati. Nullus ergo Rex, nullus temporalis Princeps cujuscumque conditionis existat, excipi potest, si Christianus se fateri vult nomine & re: quia etiam in temporalibus potestati suprema spirituali subijci debent.*

Dominicus Jacobatius S. R. E. Cardinalis doctissimus, de Concilijs pag. 329. novissimæ editionis; *Papa solus*

 potest

potest deponere Imperatorem, Reges, & quoscumque alios. Et de Rege Franciæ est textus in cap. Alius. 15. q. 6. *& de Imperatore ponitur in cap.* in istis. 4. *Dist. & in cap.* Venerabilem *de Elect.*

Petrus de Monte Venetus Episcopus Brixiensis, in Monarchia part. 2. quæst, 4. in fine: *Magnam habet potestatem Papa super Imperatorem, quia ex delicto eum deponit.*

Cardinalis Baronius, quem Michael Angelus Buccius in Orat. funebri, optimo jure appellat, *acerrimum Catholicæ fidei propugnatorem, defensorem antiquitatis, Hæreticorum malleum, veritatis custodem, vindicem Ecclesiasticæ potestatis:* ad ann. DCCC. Num. XV. *Hanc potestatem, esse in Ecclesia Dei, & in Pontifice primariò residere, posseque ipsum, si causa postulet, Apostolicâ plenissima potestate infestum Ecclesiæ Regem sive Imperatorem deponere, inque locum ipsius justum & pium sufficere, ex Dei Verbo, jure divino & lege naturæ necessariâ assumptione exploratissimum est.*

Cardinalis Bellarminus, quem prælaudatus Baronius ad an. 996. propriè nominat, *fortem Catholicæ fidei Antagonistam,*

gonistam, in insigni Tract. contra Guilielmum Barclaium, cap. 3. *Esse rem certam & exploratam, posse Pontificem Maximum justis de causis de temporalibus judicare atque ipsos temporales Principes aliquando deponere, probamus, &c.*

Petrus Ancharanus in Cap. *Canonum statuta* num. 6. de Constit. *Papa habet utrumque gladium & superioritatem ad Imperium: & hinc est, quod Imperatorem coronat, & inungit, & quandoque deponit.*

Silvester Prieras Ord. Præd. Theologus & Canonista doctissimus: in summa verbo *Papa*: *potest Papa Imperatorem dignum excommunicatione excommunicare, & dignum depositione deponere..... Potest Reges corrigere: Sicut Nicolaus Lotharium de adulterio reprehendit, & ex rationabili causa deponere, sicut Zacharias deposuit Regem Francorum, substituens Pipinum. 15. q. 6. cap.* Alius.

Astensis in Summa, part. 1. lib. 2. tit. 64. art. 4 *Ex prædictis, collige, quod Principes sæculi, & Domini temporales, non tantum propter hæresim suam, sed etiã propter negligentiam extirpandi hæresim aliorum, sunt excommunicandi, ab Ecclesia deponendi,*

nendi, de terris suis expellendi, & terra eorum occupanda Catholicis possunt exponi: & idem, si Princeps circa Regnum, & justitiam faciendam inventus fuerit negligens, insufficiens, & ineptus: unde Zacharias deposuit Childericum: & Innocentius Othonem.

Nicolaus Abbas Panormitanus, in cap. *Solita de Majorit. & Obed.* num. 7. *Papa potest rationabiliter increpare Imperatorem, & alios Principes seculares: & non mirum, nam potest eos ex causa deponere.* Vide eumdem in cap. *Per venerabilem. Qui filij sint legitimi* in cap. *Novit. de Iudicijs.*

Joannes de Anania Archidiaconus Bononiensis in cap. *Licet de voto.* num. 10. *Papa, privat Laicum ordine genitura, quia habet potestatem super Reges & Regna. Vnde deponit Imperatorem.*

Bartholus in lib. *Si Imperator* cap. *de Legibus* num. 4. *Ius eligendi Imperatores habent Principes de Alemania, & jus privandi solus Papa habet.*

Baldus in Proæmio FF. Vet. *Solus, Papa privat Imperatorem.*

Petrus Andreas Gambara in Tract. de Officio & potestate legati lib. 2. tit. de

varijs

varjis Ordinariorum nominibus. num. 220. *Solus Papa, deponit Imperatorem, & Reges, demeritis suadentibus.*

Restaurus Castaldus, in lib. de Imperatore quæst. 81. *Solus Papa sine Concilio deponit Imperatorem, quia Papa, & Christi unum est tribunal.* Et infra, *Papa Principem quantumcumque exemptum, si expedit, punit, & deponit.*

Illustres Scriptores Nationis Hispanicæ.

Gregorij VII. sententiæ ex hac natione subscribunt,

S. Raymundus de Pennafort Ord. Præd. Magister Generalis 3. in vita & post mortem miraculis gloriosus, ac Pontificio jure clarissimus: in Sum. lib. 1. Tit. de Hæreticis §. 7. *Ex præmissis inter alia collige notabiliter, quod Iudex vel potestas sæcularis non solum propter hæresim suam, sed etiam propter negligentiam contra hæresim extirpandam, potest non solùm excommunicari ab Ecclesia, sed etiam deponi; & extende hanc pœnam & Ecclesiæ potestatem, quandocumque Princeps sæcu-*

laris fuerit inutilis, dissolutus & negligens circa regimen & justitiam obsevandam. 17. q. 4. *si quis.*

Pelagius Alvarus Episcopus Silvensis ex Ordine Minorum, in Tract. de Planctu Ecclesiæ lib. 1. art. 21. *Papa transfert Imperium & confirmat Imperatorem, electum canonice inungit, & coronat, & contumacem & persecutorem Ecclesiæ Imperio privat.*

Joannes de Turrecremata Ord. Præd. ex Magistro Sacri Palatij Presbyter Cardinalis S. Sixti, ac postea Episcopus Cardinalis Sabinus, tam virtute, quam Theologiæ & juris scientiâ eminens, Apostolicæ auctoritatis adversùs Basiliensium Oratorem Vindex gloriosus in Concilio Florentino, ac ibidem unus ex deputatis, qui contra Græcos feliciter egerunt: in summa de Ecclesia lib. 2. cap. 114. *Romanus Pontifex. . . . non solùm Principes sæculares circa usum suæ jurisdictionis delinquentes potest per censuram Ecclesiasticam coërcere; verùm etiam notabiliter negligentes à dignitate deponere.* Vide ibidem reliqua & commentarium ejusdem Auctoris in Cap. *alius.* 15. Q. 6.

Cypria-

Cyprianus Bennetus Ord. Præd. in in libro de prima orbis Sede in Reſponſione ad Sextum pro 2. parte Concluſionis primæ, *In traditione clavium includitur etiam collatio terrenarum poteſtatum pro conſervatione bonorum ſpiritualium.*

Franciſcus à Victoria Ord. Præd. Theologus præſtantiſſimus de poteſtate Eccleſiæ Relectione 1. Q. 5. prop. 8. *In ordine ad finem ſpiritualem Papa habet ampliſſimam poteſtatem temporalem ſuper omnes Principes & Reges, & Imperatorem.* Et infra, *Quando neceſſe eſt ad finem ſpiritualem, poteſt non ſolum omnia, quæ Principes ſæculares poſſunt; ſed & facere novos Principes, & tollere alios, & Imperia dividere.*

Dominicus Soto Ord. Præd. Theologus profundiſſimus, à Tridentini Patribus ob excellentis doctrinæ ſuæ illuſtria ſigna memorabili honorario donatus, in IV. Sent. Diſt. 25. Q. 2. art. 1. Concl. 5. *Poteſtas quæcumque civilis eatenus eſt Eccleſiaſticæ ſubjecta in ordine ad ſpiritualia, ut Papa poſſit per ſuam ſpiritualem poteſtatem, quoties ratio fidei & Religionis exegerit, non ſolum Eccleſiaſticarum cenſurarum fulminibus adverſùs*

sus Reges agere, eosque cogere; verùm & cunctos Christianos Principes temporalibus bonis privare, & usque ad eorum privationem procedere.

Alphonsus de Castro Ord. Minor. lib. 2. cap. 7. de justa Hæreticorum punitione: *Nec mirari debet aliquis, quod Papa propter hæresis crimen Regem à Regia dignitate deponat, & Regno privet: quoniam in negotio fidei etiam Reges, sicut alij inferiores subduntur summo Pontifici.*

Jacobus Symanca Pacensis Episcopus in lib. de Catholicis institutionibus Tit. 45. n. 25. *Quamvis Ecclesiastica potestas distincta sit à sæculari, & Papa jurisdictionem civilem non habeat in sæcularium Principum Regna; nihilominus tamen in ordine ad finem spiritualem habet Pontifex Maximus amplissimam potestatem in omnes Principes Orthodoxos. Vnde si Princeps aliquis inutilis esset, aut iniquas leges contra Religionem, aut contra bonos mores conderet, aut quidpiam simile faceret in detrimentum rerum spiritualium, posset Papa servatis justis circumstantijs, congruum remedium adhibere, privando etiam talem Principem administratione & jurisdictione.*

Sapientissimus Magister Bannes 22.

q. 10.

q. 10. art. 10. Concl. 4. *Infideles non subditi possunt privari dominio & jurisdictione, quam habet supra fideles. Hæc conclusio est D. Thom. in hoc articulo 10 & probatur ex illo 1. ad Corinth. 6. ubi Paulus reprehendit fideles, quod lites habebant apud tribunalia Infidelium, quibus erant subjecti, ergo in Ecclesia est potestas prohibendi talem jurisdictionem: quia hoc valde expedit ad gubernationem spiritualem Ecclesiæ, & ne Religio Christianæ fidei parvifiat ab Infidelibus cognoscentibus peccata Christianorum. . . . Ita etiam à jure divino positivo est potestas, quam habet Pontifex ad auferendum dominium & jurisdictionem ab infidelibus supra fideles.* Et q. 12. art. 2. *Post sententiam declarativam de crimine hæresis injustè Princeps poßidet Regnum, & principatum, & exercet jurisdictionem in subditos: tenenturque subditi eximere se ab ejus obedientia.*

Antonius Cordubensis Ord. Minor. lib. 1. Quæstionarij quæst. 57. dub. 3. *Potestas civilis subjecta est, non quidem potestati temporali Papæ, sed spirituali aliquo modo in casu neceßitatis, vel magnæ utilitatis spiritualium. Et Ecclesia, & maximè Papa habet potestatem & auctoritatem,*

tatem, vel jurisdictionem aliquam temporalem in ordine ad finen spiritualem super omnes homines, & Principes, & res omnes & Regna totius mundi.

Ludovicus Molina S. J. in Eborensi Academia Primarius S. T. Professor doctissimus, Tom. 1. de Iust. & Jure Tr. 2. Disp. 29. Concl. 3. *Potestas spiritualis summi Pontificis ad finem supernaturalem adjunctam quasi ex consequenti habet supremam & amplissimam potestatem jurisdictionis temporalis super omnes Reges & reliquos qui sunt de Ecclesia; pracisè tamen quantum postulat finis supernaturalis, ad quem spiritualis potestas ordinatur. Quare si id exigat finis supernaturalis, potest summus Pontifex deponere Reges eosque Regnis suis privare.*

Martinus Ledesmius in secunda quartæ q. 20. art. 4. Concl. 8. *In ordine ad finem spiritualem Papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes Principes, & Reges, & Imperatores.*

Alphonsus Alvarez in Speculo cap. 16. *Papa Imperium transferre potest de certo genere personarum cum maxima causa ad aliud genus*: Et infra, *Et ipsum Imperatorem tanquam inferiorem destituit exi-*

exigentibus causis maximis & arduis.

Gregorius de Valentia S. J. in Academia Ingolstadiensi S. T. Professor doctissimus, in 22. Disput. 1. q. 12. punct. 2. assert. 2. *Iure Ecclesiastico atque adeo per summi Pontificis auctoritatem atque sententiam, omnino potest quis dominio, & prælatione erga subditos privari propter peccatum Apostasiæ à fide. Ita quoque docet S. Thomas hic, neque est de hac assertione dubium ullum apud verè Orthodoxum. Eam tamen negant hæretici, ne, si approbarent, in seipsos sententiam proferre viderentur.*

Petrus de Ledesma Primarius Theologiæ Professor Salmantinus Ord. Præd. de fide cap. 7. Concl. 5. *Quam primum quis declaratur excommunicatus propter apostasiam à fide aut hæresim, privatur dominio & jurisdictione in subditos, si quos habet & subditi absolvuntur à juramento fidelitatis, quo antea tenebantur. Ita S. Thomas 2. 2. quæst. 12. art. 2. omnesque ejus Discipuli & authores supra citati.* Et cap. 5. Concl. 26. *Potest summus Pontifex privare infideles dominio & jurisdictione, quam habent supra fideles.*

Franciscus Suarez S. J. Theologus doc-

doctissimus, in Academia Connimbricensi Primarius Theologiæ Professor, lib. 3. de Primatu Rom. Pontificis cap. 16. *Reges Christianos non solum quoad personas, sed etiam ut Reges Christianos Potestati Pontificis subijci.* Et cap. 23. *Pontificem summum potestate coërcitiva in Reges uti posse, usque ad depositionem etiam à Regno, si causa subsistat.*

Guilielmus de Monserat Catalanus, in tract. de Successione Regum num. 30. *Papa, Vicarius Christi cum causa potest quemcumque Christianum Principem privare, prout privavit, & deposuit Childericum Regem Franciæ, & in ejus locum Pipinum instituit, & Romanum Imperium à Græcis transtulit in Germanos.*

Didacus Covarruvias in Tract. de restitutione super Regulam, *Peccatum*, p. 2. §. 9. num. 7. *Hæc sententia vera est in hoc sensu, ut Papa verè habeat potestatem temporalem etiam super Imperatorem quatenus ea utilis, & necessaria sit ad Ecclesiæ Catholicæ regimen, & spiritualis potestatis usum.*

Ferdinandus Vasquius lib. 1. Illustrium controversiarum cap. 21. *Cæterum Papa habet etiam jurisdictionem in tem-*

temporalibus, quatenus necessaria sunt ad spiritualium expeditionem. Et infra, *Id quod admittunt communiter utriusque partis fautores.*

Michael de Aninyon in Tract. de unitate Ovilis & Pastoris, num. 12. *Penes Papam est utraque suprema potestas, licet non habeat usum gladij temporalis, & quia potestas Papæ immediatè à Deo emanavit, & ipsi soli subest: Potestas verò Imperatoriss à Vicario Christi, cui est subordinata; ideo Papa potest Imperium de certo genere personarum transferre ad aliud, & Imperatorem ungit, & coronat, confirmat, approbat, & reprobat, ac etiam deponit causis exigentibus.*

Martinus Navarrus in Comment. ad cap. *Novit* de Judicijs notabili 3. num. 41. *Potestas Ecclesiastica est species potestatis, distincta à laica, & longè nobilior eâ: ut aurum est species metalli distincta à specie plumbi, & nobilior eâ: quæque directè solùm amplectitur supernaturalia: indirectè verò eatenus naturalia, quatenus sunt necessaria ad consecutionem finis supernaturalis.* Et infra num. 99. *Colligitur ratio, quare Papa deponere potest Reges adeo negligentes in regendis Regnis suis, ut ob*

id

id populus Dei subditus illis retrahebatur à consequenda vita æterna.

Illustres Scriptores Nationis Gallicæ.

PRæter Illustrissimos Præsules, S. Bernardum & Petrum Cluniacensem, Abbates, supra memoratos ex hac natione Gregorio VII. concordant, Petrus de Palude Ord. Præd. ob eminẽtem scientiã & virtutẽ ad Patriarchatum Hierosolimitanum provehi meritus: Tractatu de immediata causa potest Eccl. art. 4. *Licet Papa non habeat confirmare quemlibet Regem, qui consensu Populi à principio Regnum assumpsit, tamen deponere potest omnem talem, non solùm propter insufficientiam, utpote si quis idiota sensu vel impotens viribus in Regno præesset, & propter ejus insufficientiam Regnum fidelium perclitaretur. . . . . Quia Papa est superior in spiritualibus, & omnibus temporalibus, quantum necesse est pro bono spirituali.*

Hervæus Natalis Doctor Parisiensis præstantissimus & subtilissimus, sua ætate

ætate nemini in doctrina inferior Ord. Præd. Magister Generalis Tract. de potestate Papæ, §. *ad evidentiam secundi: Ad potestatem supremam communitatis Christianæ pertinet corrigere omnem abusum deordinantem hominem à Deo, quia ad eum pertinet tollere omne impedimentum tendendi in finem qui est Deus, & non solum pertinet ad eum corrigere omnem abusum Ecclesiasticæ potestatis, sed etiam ad eum pertinet omnem abusum potestatum terrenarum eorum, qui sunt de Ecclesia: quia sicut dictum est, ad talem potestatem pertinet tollere omne impedimentum tendendi in Deum in populo Christiano, & per consequens ad eam pertinet corrigere omnem abusum tam potestatis Ecclesiasticæ, quàm terrenæ in quocumque existente de populo Christiano.*

Jacobus Almaïnus Parisiensis Doctor eximius, de suprema potestate Ecclesiastica & temporali, quæst. 2. Principali, quæ de suprema potestate laica cap. 5. ad tertiam allegationem: *Papa potest Imperatorem deponere in duobus casibus, primus pro crimine pure spirituali, ut est hæresis: secundus quando illi ad quos pertinet jure ordinario sunt negligentes*

ipsum deponere. Ibidem ad 4. allegationem. *Si gens Imperij efficeretur hæretica, vel transferret se ad aliam sectam, dimittendo sectam Christianam, posset pro hoc Papa illam gentem privare dignitate Imperiali, & sic transferre in aliam gentem.*

Joannes Gerson Parisiensis Doctor celeberrimus & Cancellarius sermone coram Rege Franciæ nomine Universitatis Parisiensis habito pro pace Ecclesiæ & unione Græcorum, consideration. 5. *Homines per hoc quod unicum Principale caput habent ad tenendos ipsos tam in bonitate voluntatis, quàm bonitate morali, & bonitate spirituali, convenientiùs & diviniùs se hoc modo in unitate tenent. Nec ullo modo est in præjudicium cujuscumque Dominij temporalis, vel spiritualis sive Regum sive Prælatorum. Aristoteles demonstrans solum posse esse unum Deum, nobis hanc ostendit considerationem, cum ait: Entia nolunt malè disponi, pluralitas Principatuum mala. Vnus ergo Princeps.... Nec dicere oportet: omnes Reges vel Principes hæreditatem eorum vel terram tenere à Papa & de Ecclesia: ut Papa habeat superioritatem civilem & juridicam super omnes, quem-*

admodum

admodum aliqui imponunt Bonifacio VIII. Omnes tamen homines, Principes; & alij subjectionem habent ad Papam, in quantum eorum jurisdictionibus, temporalitate, & dominio abuti vellent contra legem divinam & naturalem; & potest superioritas illa nominari potestas directiva & ordinativa, potiùs quàm civilis vel juridica.

Henricus Ostiensis Episcopus Cardinalis, Canonista doctissimus, in summa Tit. de hæreticis §. *Quâ pœna puniantur*, num. 11. *Nota quod Domini temporales non solùm propter suam hæresim, sed etiam aliorum, quod cum possunt, admoniti exterminare negligunt, excommunicari possunt; & terræ ipsorum exponi Catholicis occupandæ. Idem si Princeps negligens inveniretur circa regimen & justitiam faciendam. Vnde Zacharias Papa deposuit Childericum Regem Francorum.*

Joannes Sylva Præses Lutetianus Tract. de Beneficio, part. 3. q. 8. *Papa potest deponere Regem.*

Joannes Faber in Legem primam num. 10. de summa Trinit. & fide Catholic. *De Papa non est dubium, quin sit superior omnibus Christianis*

& in temporalibus & spiritualibus......
Cum igitur agitur de præjudicio animæ vel populi, Papa potest & debet providere, & si necesse est, quoscumque Reges deponere.

Stephanus Aufrerius (cujus excellentis doctrinæ illustria extant monumenta) de potestate Sæcularium Num. V. & VI. *Papa ipsum Imperatorem tanquam inferiorem destituit, exigentibus causis, & in omnibus arduis negotijs, & maximis difficultatibus generantibus scandalum in Christianitate Papa potest hujusmodi majoritatis ratione intromittere etiam inter Laicos, & exercere hujusmodi potestatem sibi a Deo attributam.*

Joannes Quintinus Hęduus Canonum disciplinâ eminens, eorumque Parisijs publicus professor ac defensor acerrimus, in Repititione ad Cap. Novit de Judicijs num. 64. *Quare opponimus utrumque gladium Ecclesiæ datum esse, hoc est, Ecclesiæ Pontificem habere jus & potestatē in Spiritualia simul & omnia temporalia, atque de his statuere & decernere ex causa posse, cujus decretis standum: Nam quamvis homo sit mortalis, tamen cælesti potestate pollet.* Et infra Num. 127. *hoc jure Papa Zacharias anno Christi nati 753.*

longâ

longâ Majorum serie legitimum Galliæ Regem & possessorem Regno avito destituit, & in ejus locum Pipinum Belgam substituit, causatus peccatum esse, hominem tantæ imparem potestati, inertem & nihil agentem Reipublicæ gubernacula gubernare. Et infra, *Hinc & Leo & Pontifex Romanus eâdem fultus auctoritate Carolum pariter Gallorum Regem, Romanum creavit Imperatorem.*

Remundus Rufus contra Molinæum cap. 6. pag. 106. *Non ignoramus, Leonem III. Pontificem Græcis ademptum Imperium in Carolum Magnum contulisse: Id enim cum nostri Annales, tum Græcorum libri testantur: quod jure sibi quæsitum, & Carolus Magnus, & posteri Franci, Germanique putarunt. Omitto Pipinum à Stephano II. vel ut nonnulli à Zacharia Regem factum, detruso in monasterium Childerico ignavo, stupido & bardo Rege: ut in nostris Annalibus scriptum extat.*

Illustres Scriptores Nationis Germanicæ.

PRæter Stephanum Halverstadensem Episcopum, & Hugonem à sancto Victore in superioribus laudatos, ex hac eadem natione Gregorio VII. consentiunt,

Henricus de Gandavo vir doctissimus Quolibeto 6. Quæst. 33. *Iste Hierarcha primus post Christum super universalem Ecclesiam Petrus erat, cui ambas claves tradidit, & duos gladios commisit; sic ut regimen universalis Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quàm temporalibus ad ipsum pertineret.*

Dionysius Carthusianus vir sanctissimus & doctissimus in lib. de regimine Politiæ art. 19. *In Ecclesia Dei est unus Pontifex summus, videlicet Dominus Papa, in quo est utriusque potestatis atque dominiȷ plenitudo & apex, hoc est tam spiritualis, quàm secularis potestatis: idcirco jurisdictionem & dispositionem habet super omnia Regna & principatus fidelium, non solùm in spiritualibus, sed*

etiam

etiam temporalibus, dum rationabilis causa requirit. Nam & Imperatorem potest deponere, & Reges, si vita eorum id mereatur, Regnis suis privare.

Albertus Pighius lib. 5. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. *Quare hi omnes* (Reges & Principes videlicet Christiani) *ut pars & membra sunt Ecclesiæ, necessariò etiam subsunt Ecclesiasticæ Hierachiæ Præsidi, qui sui Imperij habenâ moderetur eosdem; in suam mutuò & totius corporis utilitatem conspirantes teneat; omnes contineat in officio, prævaricantes corrigat, & si ita exigat totius necessitas, administratione quoque, & officio amoveat, & in locum eorum constituat alios, aut constituendos præcipiat per eos, ad quos hoc ipsum de de jure aut consuetudine pertinet.* Vide eumdem Authorem cap. 14. ubi id ipsum repetit ac exemplis illustrat.

Gabriel Biel profundissimus Theologus Lect. 23. in Canone Missæ, *Ille regit & custodit, qui propter Ecclesiæ regimen, unum, Papam videlicet, præposuit universis, ut omnes ab uno sicut corpus à capite gubernentur.* Et prope finem: *Papa transfert potestatem*

ſupremam ſæcularem de gente in gentem & Imperatorem deponere poteſt.

Jacobus Gretſerus S. J. Theologus doctiſſimus & ſcriptis clariſſimus, in Defenſione Controverſiarum Eminentiſſimi Bellarmini Tom. 2. lib. 5. pro auctoritate Sedis Apoſtolicæ in temporalia Regum; *Quarta Bellarmini ratio aſſerit, Reges & Principes, quando ad Eccleſiam veniunt ſubjicere ſua ſceptra tacitè vel expreſsè Chriſto, &c. Vociferatur Sutlivius*, "aliud eſſe ſceptra ſubijcere „Chriſto, aliud Pontifici Romano: ad „illud teneri omnes, ad hoc neminem." *At Chriſto ſuam coronam verè numquam ſubjiciet, quiſquis eam Vicario Chriſti ſubjicere dedignabitur.*

Adolphus Sculckenius Doctor & Profeſſor Theologus in Apologia pro Illuſtriſſimo Bellarmino cap. 6. *Erroneum & temerarium eſt dicere: Pontificem ut Pontificem, & ex jure divino non habere poteſtatem privandi Principes ſæculares ſuo Principatu, quando id bonum ſpirituale, ſive ingens Eccleſiæ neceſſitas requirit.*

Ulricus in Summa, Canoniſta doctiſſimus & pervetuſtus: *Si Rex eſſet maniſeſtè hæreticus, vel ſi interpellatus ab Eccleſia,*

clesia, negligeret nihilominus Regni sui, quantùm ad ea quæ sunt fidei, scilicet si non intenderet extirpationi hæreticorum, posset ab Ecclesia deponi à Regia dignitate.

Conrardus Brunus lib. 3. de legationibus cap. 6. *Hæc jurisdictio, judicia civilia & criminalia, denuntiationes, & inquisitiones, accusationes, pœnas item & censuras Ecclesiasticas in personas & res Ecclesiasticas, multis etiam casibus in laicas personas, & pro rebus temporalibus datur. In his omnibus plenissimam habet jurisdictionem Summus Pontifex: determinatam autem & certis limitibus conclusam Archiepiscopi & Episcopi, &c.*

Franciscus Zypæius I. C. Protonot. Apost. Canonicus, Officialis, Archidiaconus & Vicarius Generalis Antverpiensis, juris notitiâ toto Belgio percelebris, de jurisdictione Ecclesiastica & Civili lib. 1. cap. 2. *Si finis spiritualis requirat spiritualem gladium extendi ad materialia; statuendum est, Deum, qui fidem hujusmodi præscripsit, media ad illum necessaria concessisse l. 2. D. de Iurisd. om. Iud. adeoque cum salus exiget animarum, & Ecclesiæ salubris directio; licitum fecisse Ecclesiæ temporalium attactum. Illudque fuisse*

fuisse judicium omnium sæculorum, liquidum sit ex tot centenis Canonibus per tot juris Canonici volumina sparsis, tot sæculorum intervallis distantibus: quibus Concilia, Pontificesve Romani de rebus temporalibus varia atque infinita statuerint, quæ ad finem spiritualem, salubrem Ecclesiæ directionem, animarumque salutem necessaria videbantur. Quæ damnare simul omnia quî poßit animus verè Catholicus?

Doctores Lovanienses.

ET hi sapientissimi Magistri quos Abraham Bzovius tom. 15. Annal. Eccles. ad ann. 1425. num. 22. hoc elogio donat; *Tanto studio Professores Lovanienses Theologiæ arcanis incubuerunt, ut nulli Vniversitati Primas concedere voluerint in tractatione rerum divinarum, præsertim contra hæreticos controversarum. In quibus quod à solida, clara, veridica Patrum Orthodoxorum, & præcipuè SS. Augustini atque Thomæ Aquinatis doctrina, neq; apertè, neque per distortas aut extortas commentationes discesserunt, meruerunt perpetuò audire, doctißimi integerrimique Interpretes*

pretes mentis divinæ; ac præterea fortissimi, invictissimi, felicissimi Propugnatores fidei Catholicæ Romanæ Ecclesiæ: Hi, inquam, Gregorio VII. certatim adstipulantur,

Jacobus Latomus de Ecclesia cap. 14. *Ex eisdem principiis* (ob quæ scilicet Principes obedientiam Ecclesiæ debent) *conficitur, Regem, aut alium quemlibet terrenum Principem Christianum Regno vel Principatûs jure privari posse per Ecclesiam. Quia Regnum & Principatus cum personis, ut supradictum est, in Ecclesiæ corpus & jus transit per sacrum Baptisma, & per Christianæ Religionis liberam acceptationem, Chisto, & Sponsæ ejus Ecclesiæ dedicatum, & consecratum, & donatum donatione irrevocabili: cum nulla possit esse justa causa ab Ecclesia recedendi. Igitur Rex, vel Princeps servato ordine juris anathematiz. & incorrigibilis, animo obstinato in scelere perdurans, deponi & privari potest,*

Joannes Driedo de Libert. Christiana considerat. 9. & 10. & lib. 2. cap. 4. post medium: *Papa ex plenitudine potestatis super universos Christianos Principes, potest hæreticos Reges ac Principes propter crimen hæresis*

privare

privare suis Regnis atque Imperijs, & in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab obedientia & subjectione eorum. Eatenus enim Papæ subijciuntur etiam circa temporalia, quatenus temporalia hæc ad spiritualia tanquam ad finem sunt ordinanda. Et ideo omnis sæcularis potestas eatenus in temporalibus subjecta est Papæ, quatenus abusio aut negligentia Christianorum Regum circa temporalia nata sunt impedire finem spiritualem, in quem Papa habet universam Ecclesiam dirigere. Atque ex jure divino ratione curæ Pastoralis potestatem habet in Imperatorem Christianum perinde atque Pater Spiritualis in filium & tanquam Pastor in Ovem suam: & ideo super his quæ concernunt directionem Imperij ejus in fide & moribus Christianis & in causis & Officijs spiritualibus disponendis, & in Episcopatibus per loca vel civitates instituendis Imperator ipse subjectus est Papæ. Et ideo Imperator si laberetur in hæresim, & denegaret justitiam publicam pauperibus, oppressis, aut leges conderet in præjudicium Christianæ fidei jam esset à Papa judicandus & corrigendus. Sic Ambrosius quamvis non fuerit universalis Ecclesiæ Episcopus Theodosium Imperatorem,

rem, B. quoque Innocentius Arcadium Imperatorem excommunicavit.

Thomas Stapletonus Controv. 3. q. 5. art. 2. *Principes Christiani, quatenus Christiani, etiam quatenus Principes aliquo modo subÿciuntur supremo Ecclesiæ Pastori Romano Pontifici. Quia tota potestas civilis subordinatur aliquo modo, scilicet respectu finis, potestati spirituali. Hinc si quid agat aut decernat civilis potestas, quod repugnat fini spirituali, potest illa, & debet per spiritualem potestatem coërceri: ideo Romanus Pontifex in casu hæresis Principem aliquem dominio privare immediata auctoritate potest in casu necessitatis, dando illud Regnum alteri Orthodoxo Principi, vel primo Victori Orthodoxo illud aßignando: tamen debet hoc primò tentare per populum ipsum, aut Ordines Regni, aut Senatum Civitatis, aut alium vel alios, qui in hac parte potestatem ordinariam habent: & hoc est mediatâ authoritate procedere. Imo Romani Pontifices de facto, ubi vel Reipublicæ vel Ecclesiæ bonum id postulavit, aliquos Christianos Principes deposuerunt, aliÿsque jus contulerunt, extra casum hæresis, multò magis in tali casu possunt. Zacharias Papa exauctorato Rege Francorum, Pipi-*

Pipinum Caroli Magni Patrem illi Regno profecit. Innocentius IV. Regi Portugalliæ interdixit Regni administrationem, Cap. Grandi de supplenda negligent: in 6. Fratrem ejus substituens. Quare non solùm Bonifacius VIII. in Extravag. Vnam Sanctam de Majorit. & Obedient. hanc potestatem Romani Pontificis venditat, sed & D. Bernardus lib. 2. ad Eugenium eamdem accuratè docet, & post eum multis argumentis defendit Ioan. de Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. penult.

Illustrissimus Malderus Antverpiensis Episcopus 2. 2. q. 1. disp. 8. *Papa habet potestatem spiritualem, quæ se extendat ad temporalia, non ut talia, sed ut sunt media finis spiritualis, & quatenus finis potestatis temporalis subest fini spirituali, quem ex munere suo Papa curare debet. Probatur ex Bernardo lib. 4. de Consideratione. Etiam ex cap. Novit de Iudiciis ubi Pontifex ita dicit: Nullus qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocumque peccato corripere quemlibet Christianum, & si correptionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coërcere. Ex quo loco alibi diximus, pertinere quodammodo ad legem Eccle-*

Ecclesiasticam cohibere omnia vitia. Cohibebit itaque etiam illa, quæ ex neglectu vel abusu vel contemptu potestatis posita admittentur, quatenus ea fini supernaturali adversantur, quod est indirectè habere potestatem in temporalia, quatenus nimirum ipsa quodammodo rationem spiritualitatis induunt.

Ex hac potestate potest Papa Principes in suæ Iurisdictionis usu deliquentes interdum deponere. Ita Zacharias Papa deposuit Childericum Francorum Regem: de quo 15. q. 6. cap. Alius. *Leo Papa istius nominis tertius transtulit Imperium à Græcis in Germanos, teste Innocentio III. cap. Venerabilem de Electione. Innocentius IV. Regi Portugalliæ interdixit Regni administrationem, deditque ei fratrem suum coadjutorem: ut habetur C. Grandi de supplenda negligentia Prælatorum in 6. Gregorius Magnus sub pœna privationis honoris sui, Regibus præcepit, ut servent privilegia monasterij S. Medardi lib. 12. Epist. ultima. Similia exempla plurima sunt aliorum Pontificum.*

Potest secundò Papa, propter contumaciam Principis, subditos ab ejus obedientia absolvere cap. Nos. 15. q. 6. Hac potestate aliquando

aliquando debere Papam uti, statuitur cap. 3. Concilij Lateranensis sub Innocentio 3. Si satisfacere contempserit intra annum significetur hoc summo Pontifici: ut ex tum ipse Vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam. Ita Concilium.

Joannes Wiggers Tract de Pontifice dub. 2. num. 151. *Cum juxta Philosophum 1. Ethic. cap. 1. ita subordinentur artes, & facultates, quemadmodum inter se subordinantur eorum fines, idque naturali lumine notum sit, consequens omnino est, etiam sæcularem & terrenam potestatem ac Reges & Principes, eâ præfulgentes, proinde suo modo sub ordinari spirituali & cælesti potestati, ita scilicet: ut leges Civiles, contra finem sublimiorem militantes, per Canones corrigantur: & si Principes pervicaciùs authoritate sua abutantur contra bonum spirituale, & in perniciem salutis animarum, possint à potestate spirituali convenientiùs coërceri. Hanc subordinationem recognovit D. Gregorius lib. 12. Epist. 32. Vbi aliquod concedens Privilegium, ita concludit. Si quis Regum, &c. hujus Apostolicæ authoritatis & nostræ præceptionis decreta violaverit,*

verit, cujuscumque dignitatis vel sublimitatis sit, honore privetur. Hanc agnoverunt Proceres Francorum; qui Zachariæ Pontifici supplicarunt; quatenus Childericum Regem, cujus supinâ socordiâ, aut stupiditate; omnia sacra & profana miscebantur; sic ut Cathedrales Ecclesiæ à Laicis & publicanis possiderentur (qua de re graviter conqueritur Bonifacius Episcopus Moguntinus & Martyr, in Epist. ad præfatum Pontificem) permitteret Regio titulo privari, & in Pipinum, qui negotia Regni feliciùs administrabat transferri. Vt patet ex Cedreno in vita Leonis Isauri, Paulo Diacono lib. 6. cap. 5. de Gestis Longobardorum; & S. Bonifacio in Epist. allegata. Vsus fuit & Leo III. hac potestate, quando Imperium, quod Græci in Occidente possidebant; dum non possent Ecclesiæ ibidem laboranti, auxilium debitum præbere & suppetias ferre, transtulit in Carolum Magnum, & in Successores ejus: in illo quasi instituens sacri olei inunctione Imperium novum & magis divinum: unde & sacrum Imperium appellatur. A quo deinceps Romani Imperij successio ad alios derivaretur.

Joannes Sinnichius in Goliathismo

cap. 75. num. 243. *An fortè, Imperator Pastoritiæ Pontificis potestati subjectus non est? Non est ergo ovis Christi, qui sine exceptione aut limitatione ait Petro, & in Petro Petri cuilibet Successori:* Pasce oves meas. *Gregorius Nazianzenus, tametsi non summus Pontifex, nec Petri in Principatu totius Ecclesiæ Successor, Imperatorem tamen inter oves sibi subditas computat ....* Orat. 17 *Theodosius Magnus ovem se Ambrosij Episcopi ac Pastoris agnovit, quando ob cædem Thessalonicensem ab eo increpitus, & Ecclesiæ ingressu interdictus humiliter paruit, & pœnitentiam inunctam demisissimè adimplevit. In divinis enim eloquijs (ait Theodoretus) apprimè norât, quænam Sacerdotum essent partes & quænam Imperatorum. Vnde cum Ambrosius ei dixisset, quamnam tu pænitentiam post tam iniquum facinus ostendisti, aut quæ medicamenta gravissimis vulneribus adhibuisti? Imperator respondit: tuum est medicamenta ostendere ac temperare; meum verò, quæ adhibebuntur, accipere...... Quod si ad antiquiora exempla recurramus inveniemus Philippum Imperatorem, qui omnium Cæsarum primus Christianam Religionem am-*

amplexus & professus est, de mandato Fabiani Papæ subijsse Romæ publicam pœnitentiam.

Pater Christianus Lupus in Scholijs ad Dictatum Gregorij Papæ VII. *Ejusmodi indirectam Imperatorum ac Regum degradandorum viam; Mater Ecclesia habet non solùm validam, sed & legitimam.* Et pág. 476. *Septimi Gregorij tempore vigebat regula, quâ Regem anno integro in Papali excommunicatione sordescentem exuebat omni jure Regni. Nemo tunc Christianus de ipsa dubitabat. Et etiamnum in Gallia vigere legem, quæ nullum hæreticum regnare permittit, affirmat Iacobus Augustus Thuanus. Ex hac Henricus IV. nuper, non nisi facta solemni fidei professione admissus fuit ad Regnum: & de Imperatore, Regibus, ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, cunctisque alijs Laicis potestatibus, duellis in sua terra locum permittentibus, statuit Sacro-sancta Tridentina Synodus, eo ipso sint excommunicati, & jurisdictione ac dominio civitatis, castri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, & si feudalia sint directis Domi-*

 nis

nis ſtatim acquirantur. Et de ipſis duellantibus ac eorum Patronis, excommunicationis, & omnium ſuorum bonorum proſcriptionis, & perpetuæ infamiæ pœnam incurrant. Non minorem in totum Regnum, quam in unam ejus civitatem; non item minorem in directum, quàm in utile ipſorum dominium Eccleſia habet poteſtatem. Vti ergo utili, aut feudali, ita directo unius civitatis, adeoque & totius Regni dominio poteſt omnino privare. Hinc enim utroque ipſos, ſi quidem Reges forent, exuit cum ſuis Patronis duellantes. Generalis eſt enim iſte Canon, adeoque non ſolam plebem, ſed & ipſos Reges comprehendit.

Doctores Duaceni.

HI quoque ſapientiſſimi Magiſtri, quorum eſt fama percelebris, Gregorij VII. Doctrinam conſtanter ſequuntur.

Franciſcus Silvius, ſui ævi Phœnix, ſic eam tradit ac probat 22. quæſt. 66. articulo 1. dub. 5. Concluſion. 3. *Romanus Pontifex indirectè & in ordine ad*

finem

finem spiritualem habet summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum.

Probatur, quia potestas civilis comparatur ad spiritualem, sicut caro ad spiritum; atqui spiritus debet gubernare carnem, eique si quidpiam moliatur contra spiritum, resistere; ergo similiter potestas spiritualis debet gubernare civilem, eamque coërcere, quando molitur aliquid saluti contrarium. "Potestas sæcularis, *ait Beatus Thomas quæst.* 6o. *articulo* 6. „*ad* 3. subditur spirituali sicut corpus „animæ: & ideo non est usurpatum „dominium, si spiritualis Prælatus se „intromittat de temporalibus quantum „ad ea in quibus subditur ei sæcularis „potestas." *Cum ergo potestas sæcularis summo spirituali Prælato, hoc est, Romano Pontifici subdatur quantum ad omnia quæ concernunt salutem animæ; consequens est, quod Romanus Pontifex possit se de omnibus sive temporalibus sive spiritualibus intromittere, in ordine ad spiritualem animæ salutem.*

Probatur secundò. Quando Christus dixit Petro, Pasce oves meas, *fecit eum Pastorem omnium suarum ovium nulla ex-*

cepta; ergo dedit ei potestatem Pastori necessariam: alioquin non sufficienter providisset Ecclesiæ: sed Pastori necessaria est potestas arcendi lupos ab ovili & recludendi arietes furiosos, eosque separandi ab aliis: ergo illam potestatem dedit Petro, & Petri Successoribus: qui propterea possunt Principes coërcere, & in ordinem redigere, si ex Christianis fiant Hæretici, id est, lupi, aut si maneant quidem in Christiana Religione, sed ita furiosi & perversi, ut Ecclesias spolient, Sacramenta profanent, Hæreticorum conatibus non obsistant.

Probatur tertiò, Reges sæculares tenentur Ecclesiam defendere, hæreticos & Schismaticos punire, veramque Religionem propugnare: ut docent Augustinus Epistola 50. & Leo Epistola 75. ergo summus Ecclesiæ Præsul potest eis jubere, ut hoc faciant, eosque si recusent punire, vel per excommunicationem, vel per alias convenientes rationes.

Probatur quartò. Principem à fide apostatantem, aut alioquin valde noxium Ecclesiæ, potest spoliare dominio & jurisdictione, quam habebat, ejusque Regnum vel Principatum transferre in alium; ergo

ergo Pontifex habet supremam in Ecclesia potestatem temporalem indirectè seu in ordine ad finem spiritualem. Antec. tradit B. Thomas hujus P. q. 12. art. 2. Cum enim dixisset, ad Ecclesiam non pertinere punire infidelitatem in illis, qui numquam fidem susceperunt; addit; "Sed infidelitatem „illorum, qui fidem susceperunt, potest „sententialiter punire & convenienter „in hoc puniuntur, quod subditis fideli„bus dominari non possunt" &c.

Hujus celeberrimi Doctoris decessoris sui principijs imbuti moderni ejusdem florentissimæ Scholæ Magistri, dictæ sententiæ adeo firmiter adhærent, ut ad docendã contrariam haudquam adduci potuerint, sed pro sua excusatione ad Christian. Regem anno superiori scripserint: primò, esse doctrinam hac in patria inauditam: 2. se in opposita tanquam indubita educatos & nutritos. 3. consuluisse celebriorum Europæ Authorum volumina, ac specialiter incubuisse. 4. Consultasse præcipuos Theologos cùm Sæculares, tum Regulares, ut deprehenderent media & motiva, quibus eis liceret à Gregorij VII. doctrina desciscere, & alienam amplecti: *Et nous n'avons*

(inquiunt) *encor peu trouver aucunne raison solide pour nour former une conscience, qu'il nous est permis d'ensiegner les dites propositions* : (quarum prior Gregorio VII. directè contradicit) & adiecerunt; doctrinam oppositam semper fuisse in Belgio receptam, & in sua universitate edoctam : in tantùm, ut maluerint scholas deserere, imo & omni promotioni & dignitati renuntiare, quàm eisdem propositionibus subscribere : sicque in sua sententia perstiterunt, & hodie perstant in perpetuum suæ Universitatis splendorem.

Immortali certè digni gloriâ, ac humanâ laude superiores, qui tam purè adamarunt veritatem, ut aurum & argentum nihili duxerint in comparatione illius, sed horum potiùs detrimentum facere, quàm ab ea deficere, gloriosè elegerunt. Illustre retinendæ, tutandæque veritatis exemplar facti posteritati, quæ non minùs illud deprædicabit, quàm modernus Orbis Christianus.

Illustres

Illustres Scriptores Nationis Anglicæ & Scoticæ.

PRæter S. Thomam Cantuarienſem, Petrum Bleſenſem, & Thomam Waldenſem, quorum teſtimonia ſuperiùs retuli, Gregorio VII. adſtipulantur.

Alexander Alenſis Anglus Ord. Minor. qui ſuæ doctrinæ ſplendore Parienſienſem univerſitatem illuſtravit, parte IV. Summæ, quam Alexander IV. (teſte Poſſevino Tom. 1. Apparatus Sacri) Pont. diplomate, ac ſeptuaginta virorum Eccleſiaſticorum Syngraphis comprobavit, quæſt. 37. in explicatione Canonis Miſſæ in illud *& pro Rege N. Spiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet ut ſit, & judicare habet ſi bona non fuerit ...... Vnde Regalis poteſtas jure inferior exiſtimatur.* Et quæſt. 76. memb. 5. & 6. *Voluit Deus quoſdam in alios plus habere poteſtatem; & deinde in illos alios pauciores; & ſic ſemper donec deveniretur ad unum, ſcilicet Papam, qui ſub Deo immediatè eſt.*

Robertus

Robertus Holkoth Anglus Ord. Præd. in lib. Sapientiæ Lect. 200. *Hic autem est Rex Regum, cui omnes subsunt nationes, & populi, qui temporalia ab eo recipiunt: Sacerdotio tamen ac summo Pontifici debent subesse.* Et infra. *Samuel unxit David in Regem, in figura, quod Vicarius Christi, & Prælatus Ecclesiæ confert Principatum & Regiam potestatem ad utilitatem Ecclesiæ: unde jus & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promovendi ad Imperium, ad Papam pertinet.*

Franciscus Maironus Scotus Ord. Minor. Doctoris Subtilis discipulus, in 4. Sent. Dist. 19. q. 4. *Plenitudo potestatis secundùm utramque jurisdictionem concurrit in eamdem personam: hoc patet auctoritate Christi dicentis*, Quodcumque ligaveris, &c.

Joannes Bachonus Anglus Ord. Carmelitarum Prior Provincialis Theologus & Philosophus doctissimus, in Prolog. super 4. Sentent. q. 11. art. 4. *Papa habet judicare de Regnis & de Regibus in causa belli, & pacis: potest enim compellere Principes temporales, ut pacem & justitiam sibi servent.* Et infra.

Habet

Habet Regem deponere, ut alteri Regnum tribuatur, ratione iniquitatis, vel inutilitatis suæ personæ. Item habet Imperatorem deponere & Imperium alteri dare.

Reginaldus Polus S. R. E. Cardinalis in lib de summo Pontifice cap. 8. *Ex quo id quod paulò ante diximus ita concludi potest, Christi Vicarium, cui singulare, & maximum omnium ministerium commissum est, illud nimirum, quod ultimum spectat hominis finem in orbe terrarum, Ecclesiæque gubernandæ, obtinere summam, ac præcipuam potestatem inter cæteros omnes Dei ministros, seu Imperatores, seu Reges, seu Principes, aut quocumque alio nomine nuncupentur.*

Nicolaus Sanderus lib. 2. de visibili Monarchia Ecclesiæ, capite 4. *Reges & Imperatores Christianos qui populis Christianis præsunt, licet aliàs in causis & rebus seculi non subsint ministris Christi, per illos tamen vi clavium Regni cælorum tum demum coërceri ac deponi posse, quando ipsorum præfectura veritatem fidei ac salutem animarum lædunt. Ad quam fidem salutemque promovendam omnium Christianorum Regna & bona quæcumque ex eo ipso, quod Christiani sunt, necessariò instituuntur & ordinantur.*

Illustres

Illustres Scriptores Nationis Polonicæ.

MEmoratis Scriporibus jungendi veniunt, quos Abraham Bzovius lib. cui titulus, *Romanus Pontifex*, cap. 41. laudat ex hac natione Gregorio VII. concordes:

Stanislaus Hosius Cardinalis, suâ ætate Ambrosius alter, in Confess. Cathol. & alibi. Stanislaus Socolovius, Regis Stephani Theologus, lib. de Ecclesia. Stanislaus Rescius Abbas Andreiociensis, in Ministromachia, & alijs libris eruditis contra hæreticos. Stanislaus Orichiovius in Chimera, & Quincunxe. Stanislaus Carncovius Archiepiscopus Gnesnensis in Messia & Epistolis. Jacobus Gorscius in signis Theologus in Prælectionibus. Martinus Bialobrescius Episcopus Camenoconensis, in Postilla Evangeliorum. Petrus Scarga Soc. Jesu. Sigismundi III. Poloniæ & Sueviæ Regis Theologus & Ecclesiastes doctissimus, in Annalibus Ecclesiæ, & alijs in lucubrationibus, quibus memoriam sui ad poste-

posteritatem magno cum fructu Ecclesiæ transmisit. Hieronymus Povadovius Canonicus Cracoviensis in Miscellaneis contra hæreticos. Severinus Roxolanus gente Hæbræus, professione Prædicator suâ ætate Malleus hæreticorum in Theatro Concionatorum, & in vastissimo opere Monotesseron. Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis, de rebus Poloniæ varijs in locis. Joannes Longinus Canonicus Cracoviensis in Annalibus Poloniæ tom. 1. & 2. Andreas Patricius Episcopus Vendensis in lib. de Ecclesia.

Patet igitur planè à vero aberrare, quod Romano Pontifici Reges aut Imperatores indirectè exauctorandi potestatem non convenire, omnes propugnent, cum oppositum, demptis paucis tueantur. Quorum agmen mirè illustratur ac roboratur, quod ipsum ducant universi Gregis Christi Duces Romani Pontifices, quorum concors de hac potestate sensus abundè claret ex eorum gestis & scriptis supra exhibitis. Ipsorum quidem auctoritati derogare *Natalis* nititur, dum pag 350. quos censet hujus sententiæ fuisse, sic tractat indignè;

Grego-

Gregorium VII. Alexandrum III. Gregorium IX. &c. ex eo in contrariam adductos ſententiam, quod Imperatores fiduciarios Eccleſiæ Romanæ falsò perſuaſum haberent. Sed id facilè refellitur. Et quidem quod attinet Gregorium VII. id falſum eſſe, ipſe qui aſſerit, apprimè novit. Quippe articulo 10. liberrimè impetit hujus ſancti Pontificis fundamenta, quibus in eam ſententiam adductus fuit, illamque poteſtatem ſuper omnes Reges & Principes Chriſtianos Sedi Apoſtolicæ aſſeruit: in ijs autem ne verbum incidit de ſpeciali ſubjectione Imperij; quâ ergo veri ſpecie, ac cohærentia ſcriptorum, motivum illud tanto Pontifici imponit? Præterea nemo dixerit, hunc & alios Pontifices in illam adductos ſententiam ex motivo non modò debili, ſed nullo; hujuſmodi verò eſt, quod ipſis tam irreverenter tribuitur: ea etenim ſententia generalis eſt, Imperatores, Reges ac Principes quoſcumque Orbis Chriſtiani complectens: proinde dictum motivum nullum eſt; cum ut evidenter liquet, doctrina generatim tradita neutiquam innitatur Principio duntaxat ſpeciali, ut eſt ratio feudi Imperij.

perij. Quare dolendum vel potiùs justè indignandum, quod universalis Ecclesiæ à Deo datis Doctoribus id sine fundamento affingatur, quod de mediocris notæ discipulo non diceretur. Non ergo Romanæ Sedis Antistites in sententiam *Natali* contrariam adducti sunt, quod Imperatores fiduciarios Ecclesiæ Romanæ persuasum haberent: sed ex motivis generalibus, quæ ab ipsis articulo superiori percepimus.

Igitur cum huc usque expressa ita sint, facilè colligitur qualis & quo loco habenda sit traditio, quam Orbi Christiano *Natalis* obtrudit tanquam Gregorij VII. doctrinæ adversam. Quibus enim in latebris, ijsque tam abditis reclusa mansit, ut hactenus deprehensa non fuerit, sed gravissimos doctissimosque ac Traditionum peritos diversarum Nationum scriptores adhæc usque tempora latuerit, Italos, Hispanos, Germanos, Lovanienses, Traditionum peculiariter studiosos, Duacenos, qui, ut ab ipsis audivimus, singulare studium, & præstantissimorum Theolog. consultationem in id adhibuerunt, Anglos, Scotos, Polonos, quin & illustrissimos Galliarum

An-

Antiſtites, ejuſdemque Nationis plures alios percelebres Scriptores? Quæ illa Traditio, quam præclariſſimi Catholicæ Eccleſiæ Doctores; Angelicus (cujus Summa Theol. eſt totius Tradit. ſacra epitomes) & Seraphicus (cujus ſcripta Traditionem declarant) imò quam Romani Antiſtites ſanctiſſimi & doctiſſimi Gregorij noſtri Anteceſſores & Succeſſores à Domino Salvatore dati Traditionem Doctores, non noverunt? Denique qualis illa traditio, & unde prodijt; quæ nec Eccleſiæ Romanæ, omnium Traditionum fideli conſervatrici juxta Irenæum; imò nec univerſali Eccleſiæ, Spiritûs Sancti Magiſterio infallibili directæ & edoctæ innotuit, primò dum Lateranum numeroſſimè ſub Innocentio III. deinde Lugdunum ſub Innocentio IV. convenit?

Ubi ergo terrarum eam Traditionem *Natalis* invenit? Varia teſtimonia ex quibus illam deducit, & plura apud Judocum Coccium reperio Tom. 1. Controverſiar. fidei lib. 7. art. 1. in commendationem Principatus Politici contra Sectarios producta: qui nihilomus art. XVI. libri ejuſdem Gregorium VII. eximiè

eximiè dilaudat; ac ipſum jure anathematizaſſe Henricum, demonſtrat. Scio Sigebertum, qui & Schiſmaticus, jactaſſe & ſcripſiſſe, quod hujus Pontificis doctrinam ex validis Patrum teſtimonijs confutaverit: ſi fortè apud illum, aut alios Schiſmaticos (quorum rationes tanti ipſum facientem articulo 2. audivimus) abditam illam traditionem repererit: ſpuriæ & prætenſæ proprium latibulum penetravit.

Ut enim de Baſileenſibus dixit olim Eugenius IV. in Conſtitutione (*Moyſes vir Dei*) approbante Concilio Florentino editâ: *Conſtantienſe Concilium in malum ac reprobum ſenſum, & à Sacra doctrina penitus alienum pertrahunt; cæterorum Schiſmaticorum, & Hæreticorum falſam doctrinam ſequentes, qui confictos errores & impia dogmata ex Divinis Scripturis, & Sanctis Patribus perversè intellectis, ſemper ſibi adſtruere moliuntur.* Unde Sigeberti ſcriptum Eccleſia vidit, & interdixit, teſte Bellarmino de ſcriptoribus Eccleſiaſt.

Et certè nequit non eſſe prætenſa traditio, quæ huc uſque ſic latuit, nec modò ut talis agnoſcitur. Accedit,

 quod

quod si hujusmodi esset, in eam à tot sæculis Romani Præsules, Romana Ecclesia, & Universalis, sive tradendo, sive exercendo potestatem in temporalia Regum (ut supra est exhibitum) eamdem & scriptis prodendo & stabiliendo Ecclesiæ Doctores, reliquique Scriptotes Catholici, turpiter impegissent. Ubi ergo & apud quos Ecclesia visibilis, quæ deficere non potest, permansisset? Dicamus ergo nullam esse Traditionem, cui Gregorij VII. doctrina de Sedis Apost.& Ecclesiæ potestate in temporalia Regum sit dissentanea, sed esse veræ traditioni omnino consonam. Ex qua & omnibus pro ejus luce à DD. expressis habemus; primò: Potestatem sæcularem ordinatione Dei subijci spirituali, sicut corpus animæ: adeoque non esse usurpatum judicium, si Prælatus spiritualis de temporalibus iudicet. 2. Pontificem Maximum posse Infideles dominio privare, quod habent supra Fideles. 3. Eumdem supremam habere auctoritatem in Imperatores, Reges & Principes Christianos quoscumque, quatenus sunt oves Christi dirigendæ & deducendæ in vitam æternam: adeoque illos

illos, ut pars & membra ſunt Eccleſiæ, neceſſariò etiam ſubeſſe Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſidi, qui ſui imperij habenâ eoſdem moderetur; in ſuam mutuò & totius corporis Eccleſiaſtici utilitatem conſpirantes teneat; omnes in officio contineat, prævaricantes corrigat: & ſi ita totius Reipublicæ neceſſitas exigat, adminiſtratione quoque & officio amoveat, & in locum eorum alios conſtituat, aut conſtituere eis præcipiat, ad quos hoc ipſum aut de jure aut de conſuetudine recepta pertinet. 3. Pontificem Romanum propter eminentiam poteſtatis ſpiritualis ſuper temporalem, quantùm poſtulat finis ſupernaturalis, & ratio rerum ſpiritualium, poſſe omnia, quæ adverſantur rebus ſpiritualibus, & rationi finis ſupernaturalis, removere: adeoque poſſe Imperatorem, Regem & Principem quemcumque propter hæreſim, ſchiſma, crimen intolerabile in populo, negligentiam & ſocordiam, ex qua ſalus publica periclitaretur: maximè ſi iniquas leges contra Religionem & bonos mores conderet: aut conſuetudines pravas cum ſcandolo & detrimento totius Regni

introduceret: vel jurejurando dato, in rebus gravissimis non satisfaceret, aut Ecclesiam opprimeret: postulante maximo universo Regno, à dignitate deponere & potestate exuere, atque subditis sacramentum fidelitatis relaxare: adeoque circa usum illorum jurisdictionis delinquentes per censuram Ecclesiasticam coërcere: eò quod in Clavium potestate Petro à Christo tradita, contineatur ratio amplissimæ auctoritatis, ad dirigendos illos in viam salutis æternæ: & à potestate Romani Pontificis, utpote Pastoris omniū universalis, nemo ovium Christi, seu nemo ex Christianis Principibus exemptus sit: *& illius terrestre judicium* (ut verbis S. Hilarij utar) *præjudicata auctoritas sit in cælo: ut quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant & in cælo.*

Reliquum est, ut Traditio, quæ contra Catholicam sententiam obijcitur, in vero sensu explanetur. Proinde

Satis-

Satisfit Patrum testimonijs à R. P. Natali Alexandro contra Gregorij VII. doctrinam objectis.

ROmanorum Pontificum ſerie à *Natali* deductâ ad uſque trium primorum Eccleſiæ ſæculorum, ejuſdem Cathedræ Præſules, quaſi huic ſancto Pontifici contrarios (ut art. 1. videre eſt) præter rationem hujus ibidem refutatam, hanc idem Author ſubnectit: *Hæc enim erat Eccleſiæ doctrina.* Sed id fuiſſe nequaquam poteſt, niſi à retroactis ſæculis alia ſit Eccleſia, cum luculentè ſit demonſtratum, dicti Pontificis ſententiam eſſe Eccleſiæ doctrinam, & Eccleſia una dogmatum contrarietatem neſciat.

Attamen dicit ipſe ſuum verbum conſtare ex Origene ad Rom. 13. & Tertulliano lib. de Idololatria cap. 15. aſt nil ſimile habent. In ijs namque quæ adfert, nihil urgere poteſt, quàm *reddenda eſſe quæ ſunt Cæſaris Cæſari* & ſubjectio- *Teſtimonium Origenis & Tertulliani.*

nem *in omni obsequio* à subditis, *Principibus & potestatibus debitam, quousque ab Idololatria separantur.* Hoc autem perspicuum est non habere locum in subditis à Cæsaris, Principum, & potestatum obedientia, justa de causa per Ecclesiasticam auctoritatem exemptis: quemadmodum fieri posse supra monstratum est. cui Origenis & Tertulliani verba neutiquam contradicunt. Ut enim ibidem expensum est, multùm differunt, subditum, quamdiu talem, in licitis obedientiam debere Principibus, & subditum esse: primum duntaxat Origenes & Tertullianus volunt: Unde Gregorij VII. sententiæ non contradicunt, cum illam veritatem, uti nec ullus Catholicus, non inficietur.

Aliud testimonium Tertulliani.

Secundò profert testimonium Tertulliani in Apologetico adversùs Gentes capite 29. & 30. ita scribentis: *Nos pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter cæteros malunt. Sciunt quis illis dederit Imperium; sciunt quâ homines, quis & animam; sentiunt eum Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt, à quo sunt*

sunt secundi, post quem primi, ante omnes, & super omnes Deos? Quid ni? Cùm super omnes homines, qui utique vivunt, & mortuis antistant ... Ideo magnus, quia cælo minor est. Illius enim ipse est, cujus & cœlum est, & omnis creatura. Inde Imperator, unde & homo antequam Imperator, inde potestas illi, unde & spiritus. Et cap. 33. *Temperans majestatem Cæsaris infra Deum, magis illum commendo Deo, cui soli subijcio.* Et lib. ad Scapulam cap. 1. *Colimus Imperatorem ut hominem à Deo secundum, & quidquid est à Deo consecutum, & solo Deo minorem: sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est.*

Respondeo, hæc probare duntaxat supremam Imperatorum vel Regum in temporalibus potestatem intra eum ordinem sistendo. Eo enim sensu Imperator, vel Rex supremus dicitur *homo à Deo secundus, post Deum primus, solo Deo minor, illi soli subjectus, in illius solius potestate*, quia in suo Regno vel Imperio ac regimine purè civili & temporali, ac in ordine ad finem purè politicum, superiorem non recognoscit, Principem videlicet Politicum, cui subijciatur. Non *Satisfit.*

enim hæc acccipi possunt comparatione Principatûs Ecclesiastici, nisi hunc Politico inferiorem, ac nullâ in Imperatores ac Reges Christianos pollere auctoritate contra Catholicum sensum velimus. Unde Tertulliani laudata verba necessariò debent cum restrictione intelligi, quâ eorum sensus intra ordinem purè Politicum recludatur. Quare cum eminentia Imperatorum aut Regum in suo ordine, à Tertulliano descriptâ, cohæret, quod in alio excellentiori ordine, perque ordinem ad sublimiorem finem, ęternam videlicet beatitudinem, illi, eorumque temporalia omnia (si Christiani sint) Ecclesiasticæ potestati ac præcipuè Romano Antistiti, Catholicæ Ecclesiæ Monarchæ subiaceant. Quod est ingens Dei beneficium (ut articulo seq. patescet) à Tertulliano nec hic ne alibi negatum.

Quod autem idem Pater insinuet, Deum Imperatoribus conferre Imperium, quo sensu accipi debeat, ex Politici Principatûs origine petendum est. Ad cujus evidentiam scire oportet, quod, ut Principatus immediatè à Deo

Origo principatus Politici.

esse

esse dicatur & conferri, necessum sit, quod seipso illum instituat, ac ab ipso sine medio derivetur. Non enim sufficit, quod Deum tamquam primum, ac universale Principium recognoscat: siquidem nulla potestas est, quæ hoc modo à Deo immediatè non sit. Unde Doctor Angelicus in 2. dist. 44. quæst. 1. art. 2. *Cum Deus*, inquit, *dicatur esse actor omnium bonorum.... dicendum est, omnem prælationem à Deo esse.* De prælatione autem secundùm modum priorem 22. quæst. 10. art. 10. dicit: *Quod dominium vel prælatio introducta sunt ex jure humano.* Et quæst. 12. art. 2. *de Iure gentium, quod est jus humanum.* Ipsum præivit Magnus Pater Augustinus lib. 3. confess. cap. 8. dicens: *Generale pactum est Societatis humanæ obedire Regibus*: quia videlicet illo ex pacto hæc subjectio ducit originem. Consonat jus Civile lib. primo Digestorum tit. 4. ubi sic Ulpianus ait: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem: utpote cùm lege Regia, quæ de Imperio ejus lata est, populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem conferat.* Præclarè in eandem rem scribit Petrus Bertrandus,

Episco-

Episcopus Eduensis, qui supra, Tract. de origine & usu Jurisdictionis quæst. 1. ubi quærit, *utrum potestas sæcularis per quam populus regitur, quantùm ad temporalia sit à Deo?* & respondet. "Quod „potestas & dominium regendi populum est à Deo quantùm ad debitum, „non autem semper quantum ad acquisitionem vel usum, videlicet quando „malè acquiritur, vel post acquisitionem homo malè utitur.

„Primum patet sic. Illud quod est debitum esse in hominibus secundũ rectam rationem, est debitum esse in eis „secundum divinam ordinationem, quia „ad hoc Deus rationem hominibus indidit, ut ipsi secundùm rationem „vivant: sed secundùm rationem debitum est, potestatem regiminis esse „inter homines; ergo illud idem est „secundùm divinam ordinationem...... „Non est ergo intelligendum quod auctoritas jurisdictionis, seu regiminis „sæcularis sit adeo hoc modo, quasi „Deus à principio, quo creavit genus „humanum, commiserit alicui regimen „hominum aliorum, aut quod dederit „speciale præceptum, seu fecerit specialem

„cialem ordinationem, quod quis præ-
„esset alijs: sed solùm auctoritas juris-
„dictionis seu regiminis sic est à Deo,
„quia secundùm rectam rationem, quam
„Deus indidit homini, debitum &
„conveniens est, temporalem auctori-
„tatem regiminis esse inter homines, &
„quod ipsi inter se de hoc conveniant.
„Quamvis enim à principio, quo Deus
„hominem creavit, dederit ei, ut præ-
„esset piscibus maris, & volatilibus
„cœli, & bestijs terræ, ut dicitur in
„Genesi; tamen nulli hominum specia-
„liter commisit dominium super alios,
„nec de hoc fecit speciale præceptum,
„nec specialem ordinationem: sic igitur
„& non aliter auctoritas jurisdictionis
„sæcularis inter homines est à Deo, nisi
„in aliquibus de quibus Deus specialiter
„ordinavit, & mandavit, quod præ-
„essent terræ & genti, ut infra dicetur.
„Sed privilegia paucorum non faciunt
„legem communem. Modus autem de-
„bitus perveniendi ad potestatem seu
„auctoritatem regendi populum est du-
„plex: videlicet, per hæreditariam suc-
„cessionem, & per electionem.

Consentaneè vir Sapientissimus Gui-
lielmus

lielmus Estius in cap. 13. Epist. ad Rom. "Sæcularis potestas, inquit, „mediatè est à Deo, per homines, qui „instinctu legis naturæ sibi præficiunt „eos, à quibus in commune regantur. „Hic enim instinctus à Deo est: ut „propterea verè & propriè dicatur, hanc „potestatem non esse nisi à Deo: sicut „& ab Ecclesiastico dictum est cap. 17. „*quod Deus in unamquamque gentem præ-* „*posuit rectorem.*

Hoc principio stabilito, facilis est responsio ad varia Patrum testimonia: quibus is videtur *Natali* scopus (tametsi ibi non explicet) nimirum ostendere, Regnum & Imperium esse juris divini, atque à Deo immediatè conferri: quo tacitè videtur velle conficere, per Ecclesiasticam potestatem non posse à Regibus & Imperatoribus auferri. Ast hæc argumentatio per ejus propria principia enervatur. Siquidem Tomo 1. Dissertatione 4. dicit Episcopos immediatè à Deo suam auctoritatem accipere, & nihilominus posse per Romanum Pont. exauctorari, eo quod eam cum dependentia & respectu ad illum consequantur: sic etiam cum luculenter sit demonstratum,

ſtratum, Politicam poteſtatem à Deo ſubjectam eſſe ſpirituali in ordine ad ejus finem, poterit illa per hanc de uno in alium transferri juxta hujus Authoris documenta, etiamſi à Deo in Reges, Imperatores & Principes ſine medio influeret.

Quia tamen hæc poſitio à veritate eſt aliena, Theologis, ac Juriſconſultis inviſa, ideo juxta dicta de Politici Principatûs origine, Patrum teſtimonia ſunt explananda.

Pro quorum ampliori luce oportet præmittere, primâ etiam Eccleſiæ ætate id genium quibuſdam fuiſſe, infrunitæ libertatis amore dominationem omnem peſſundare: fuerunt hi quidam Judæi, à Juda Galiæo anteſignano dicti, qui ſolum Deum appellari Dominum fas eſſe credebant, ideoque, referente Joſepho lib. 18. Antiquitatum cap. 2. graviſſimas pœnas luere maluerunt, quàm Cæſarem Dominum appellare. Quamobrem Apoſtoli, qui à Chriſto Galiæo dicto Galiæi etiam cognominabantur, ſæpius ejuſdem criminis inſimilabantur ab æmulis in nominis æquivocatione malignè ludentibus: unde,

unde, ut ab illa suspicione discipuli Domini se purgarent, illumque perniciosum errorem extirparent, debitam Regibus obedientiam non modo verbis & factis, sed & scriptis inculcarunt. Quorum semitis Patres in sistentes, varia deprompserunt in commendationem Principatûs Politici: quæ tamen sano sensu accipienda sunt, ne dum hunc extollimus, Ecclesiasticum Principatum deprimamus, & quod huic eximium est, alteri tribuamus.

His itaque juxta veritatem præmissis, ad dictum Tertulliani respondeo: ipsum nempe non velle, quod Deus sic Imperatoribus Imperium conferat, quasi hominum voluntas non mediet, vi cujus hoc ipsum in illos derivetur, sed quia ab ipso sit, sicut omnis prælatio, videlicet tanquam omnium bonorum Actore, ut ex contextu colligitur, quem sic dilucidè explanat P. Carolus Moreau Ord. Eremi. S. Augustini Communit. Bituricens. Conv. Reginæ Margaritæ Parisiensis in Scholijs ad Tertullian. "*Nos* Christiani longè dissimiles Ethni„cis, plures Deos inutiles invocantibus „pro Imperatorum salute, unum, verum, poten-

„potentem, ac vivum colimus & oramus pro ipsis, eorumque Imperijs: „cum dij gentium sint homines mortui, „vel Idola. *Quem ipsi* ex communi na„turæ sensu verum, ac proinde unicum „tacitè volunt exorari. *Quâ homines*, „inquantum homines sunt, sciunt se à „Deo vivo animam vivam, & à Rege „Regum immortali Imperium acce„pisse."

Animam autē tametsi Deus solus creet, non tamen solus Imperatoribus confert, sed mediâ operatione naturæ animam corpori communicante. Nec obest, quod dicat Tertullianus, *sentiunt eum Deum esse solum*: siquidem id conferentis solitudinem non exprimit, sed Dei tantùm, quem sentiunt, unitatem designat, ut ex proximè dictis colligi potest, ac insuper ex eorundem verborum sensu, quem reddit Jacobus Pamelius Brugensis Theologus, Archidiaconus Audomaropolitanus, suis in Tertullianum Notis. *Illi ipsi*, inquit, *Imperatores Iovem optimum maximum appellantes, sentiunt solum esse verum Deum, à quo gaudent esse secundi*.

Tertiò producit testimonium Irenæi

lib.

lib. 5. contra Hæreses cap. 26. dicentis: *Ad utilitatem Gentilium terrenum Regnum positum est à Deo, sed non à Diabolo, qui numquam omnino quietus est; imo qui nec ipsas quidem Gentes vult in tranquillo agere, ut timentes Regnum humanum, non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per Legum positiones repercutiant multiplicem Gentilium injustitiam: Et secundùm hoc ministri Dei sunt, qui tributa exigunt à nobis, in hoc ipsum servientes, quæ sunt potestates à Deo ordinatæ. Manifestum est, quoniam mentitur Diabolus dicens: Mihi tradita sunt, & cui volo, do ea. Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur, apti his qui illo tempore ab ipsis regantur.*

Satisfit. Respondeo, Regnum terrenum esse positum à Deo mediâ hominum voluntate ex instinctu naturali sibi Regem præficientium: quo modo Regni positio in Deum velut auctorem refunditur: quod Irenæi intentum est. Potestates autem à Deo sunt ordinatæ, eo modo quo leges & sanctiones ordinatæ sunt, quibus resistere non licet. Habet enim ordinatio divina, ut inferiores superioribus pareant, quamdiu illis subijciuntur.

Prin-

Principes verò & Reges ministri Dei dicuntur, non quia ab ipso immediatè sint constituti, sed quòd sibi obsequantur, Regnum debitè administrando.

Ultima verba satis indicant Reges per homines constitui, à quibus in ipsos derivetur auctoritas: sic enim de horum elevatione loquitur, utì de hominum nativitate, qui & naturam ab homine accipiunt, & mediâ operatione humanâ nascuntur. Quare nihil ex Irenæo habetur Gregorio VII. adversum.

Quartò ex S. Justino Martyre in Apologia ad Antoninum Pium prolixa adducit, in quibus id tantum reperio, quod ipsi favere potest, videlicet, *Reddenda esse Cæsari vectigalia juxta Christi præcepta, & Imperatores & Principes à Deo accipere potestatem.* Ast hujus solutio patet ex dictis ad primum & secundum. Adde. Præfatos à Deo accipere potestatem, non excludit collationem humanam: sicut quod homines à Deo bona temporalia accipiant (est enim *largitor omnium bonorum*) non tollit, quin ea jure hæreditario comparent, aut per humanam donationem obtineant.

Testimonium S. Justini Martyr.

Satisfit.

Testimonium. Theoph Antioch. Quintò profert Theophilum Antiochenum lib. ad Autolycum ſcribentem, *Regem ſive Cæſarem à Deo ordinatum, in hanc dignitatem, à Deo promotum, Regnum ſive Imperium, rerumque adminiſtrationem ipſi a Deo commiſſam & demandatam, Regi ſive Cæſari honorem eſſe exhibendum, illique ſubjectionem debitam, Deo ſic volente.*

Satisfit. Reſpondeo ex dictis, Regem ſive Cæſarem à Deo eſſe ordinatum, in hanc dignitatem à Deo promotum, &c. per homines, qui inſtinctu legis naturæ ſibi Regem ac Cæſarem præfecerunt, ac Regni & Imperij adminiſtrationem commiſerunt, ſuique curam demandarunt: Ys honorem & obedientiam deberi, quamdiu ſua dignitate potiuntur, non autem dum illa privati ſunt, aut ſubditi à ſubjectione exempti.

Testimonium Athenagoræ. Sextò laudat Athenagoram in Apologia pro Chriſtianis ad Imperatores Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum, ſcribentem: *Vos quidem in ſumma Imperij Majeſtate adeo conjunctis animis orbem gubernatis, ut inde Cæleſtis etiam Regni contemplationem clarius animo quis complecti queat. Vt vobis enim*

patri & filio in potestate sunt omnia, Regno divinitus in vos collato, (Regis enim anima, inquit Spiritus Propheticus, in manu Dei est) sic uni Deo & Filio ejus, hoc est Verbo inseparabili subjecta sunt omnia.

Respondeo, Athenagoram velle, sic omnia temporalia in Imperatorum esse potestâte, ut legibus purè civilibus, & politicâ potestate coërceri non possint, quod ex auctoritate S. Script. inductâ (juxta Interpretum intellectū) probatur. Cum quo, ut supra dictum est, optimè consistit, quod eorum potestas, totumque Regnum, si colla Christi jugo submiserint, in ordine ad spiritualis vitæ finem, cui famulari debent, Ecclesiæ Monarchæ subijciantur. Nec obstat, quod Regnum dicatur divinitus in ipsos collatum, quia, prætérquam quod infirmum sit id in *Natalis* principijs, ut supra expensum est, quo sensu accipi debeat, ne veritati officiat, ex dictis patescit. *Satisfit.*

Prioribus illis Patribus (inquit præfatus Author) *alios adjungo, qui sub Christianis Imperatoribus floruerunt, quorum eadem fuit de suprema Regum potestate doctrina: Optatum Milevitanum lib.* *Testimonium Optati Melivitanum.*

 3. ad-

3. *adversùs Parmenianum.* "Meritò Pau-
„lus docet orandū esse pro Regibus &
„Potestatibus: etiamsi talis esset Impe-
„rator qui gentiliter viveret. Quantò
„quod Deū timens, ut ipsa res probat....
„Chartagine principatum se tenuisse
„crediderat, & cùm super Imperatorem
„non sit nisi solus Deus, qui fecit Impe-
„ratorem, dum se Donatus super Impe-
„ratorem extollit, jam quasi hominum
„excesserat metas, ut se ut Deum non
„hominem æstimaret, non verendo eum,
„qui post Deū ab hominibus timeatur."

Satisfit. Respondeo, quod si ipse tot Patrum testimonijs non velit conficere nisi supremam Regum potestatem, incassum ea S. Gregorij VII. doctrinæ opponit. Non enim superiorem prætendere potest, quàm supremam in temporalibus prout Politico fini intendit: hanc autem B. Pontifex Regibus non denegat, sed, si de ovibus sint, eam subijci docet Ecclesiasticæ potestati in ordine ad vitam æternam, ut ad celsissimum finem illum adipiscendum ipsi habeant, quo adjuventur, dirigantur, &, si ab illo devient, reducantur. Hanc autem subjectionem nullus priorum Patrum, nec ullus subsequentium negat.

Ita-

Itaque ad Optati Milevitani verba eo modo respondeo, quo superiùs ad similia Tertulliani, nempe Imperatorem esse in suo ordine sub Deo supremum, post Deum ab hominibus debere timeri, & à Deo factum juxta sensum superiùs expressum. Sic commendandæ Imperatoriæ Majestatis occasio fuit Donati superbia; *Qui de fonte levitatis suæ* (ait ibidem Optatus) *multa maledicta effudit: & tunc meditabatur contra præcepta Apostoli Pauli, Potestatibus & Regibus injuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat*, &c. Porro illa Imperatoris eminentia cohæret cum inferioritate ejus in ordine Ecclesiastico, in quo Ecclesiam & Rom. Pontificem timere habet.

Octavò objicit testimonium Chrysostomi in Epist. ad Rom. cap. 13. Homil. 23. sic scribentis: *Interea verò eas rationes quas commemoravi, non movet, sed eas quæ Potestatibus ex debito obedire jubent, ostendens, quod ista imperentur omnibus, & Sacerdotibus & Monachis, non solum secularibus, id quod statim in ipso exordio declarat, cum dicit: Omnis anima* *Testimonium S. Chrysostomi.*

potestatibus superementibus subdita sit, etiamsi Apostolus, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris; neque enim pietatem subvertit ista subjectio. Est autem prima constitutionis hujus justitia, quæ à fidelibus cogitationibus ac mentibus satis decora, & honesta, nimirum quod à Deo ordinata sint ista; Non enim est potestas nisi à Deo........ Sed etiam si cum timore ut resistas Principi, opus sit, non putes ex eo cognominationem tuam dehonestari: Deus enim ista exigit, ut creatus ab eo Princeps vires suas habeat.

Satisfit. Respondeo hunc S. Patrem loqui de potestate in genere, cui à subditis respectivè parendum asserit: quod ex intermedijs omissis verbis apertè colligitur: *Quod enim*, inquit, *Principatus sunt, quod hi imperant, isti verò subjecti sunt, quodque non simpliciter, ac temerè cuncta feruntur, nec fluctuum instar populi huc atque illuc circumaguntur, divinæ Sapientiæ opus esse dico: Idem & Sapiens illę dixit.* *Eccl. 3.* *Quoniam enim honoris ac conditionis æqualitas pugnas & dissidia plerumque inducit, multos fecit principatus, multasque subjectiones: utpote viri & uxoris suæ, filij & patris, senis &*

& adolescentis, servi & liberi, Principis & subditi, præceptorisque ac discipuli. Declarato autem unde sint principatus, sic continuat Apostoli textum: *Itaque quisquis resistit potestati Dei ordinationi resistit. Vide quo rem deduxerit.* Itaque juxta S. Chrysostomum, quilibet homo quicumque tandem is fuerit, sive Apostolus, sive Evangelista, sive Propheta, sive Episcopus, sive Sacerdos, sive Monachus, sive Prætor, sive Consul, sive Rex, sive Imperator, sibi supereminenti potestati obedientiam dependat oportet: si quo modo illi potestas supereemineat. Eâ enim restrictione opus esse, res ipsa cogit intelligere. Nam suprema in terris & nulli alteri subordinata auctoritas, nulli etiam alteri, nisi Deo subjectionem debet, & obedientiam. Unde ex hac generali subjectione nihil conficitur contra Gregorij VII. sententiam, qui debitam subjectionem non negat, sed quod justa de causa possit auctoritas à Principe auferri, & subditi à subjectione eximi per Romanum Pontificem, quodque tunc illis parendum non sit, facto & scripto docuit: cui inducta auctoritas non contra-

 dicit,

dicit, sed potiùs concordat; cum indubitatum sit, Imperatores, Reges & Principes Christianos oves & filios esse Ecclesiæ, ac proinde suo Pastori & Patri, Romano Antistiti, sui suorumque debere integram subjectionem, prout finis Religionis Christianæ requirit.

Neque obstat, quod Principem à Deo creari, idem Pater insinuet; tum quod in *Natalis* principijs id vires non habeat, ut supra probavimus: tum quod id medium humanum juxta Chrysostomum non excludat, à quo in Principem derivetur auctoritas. Etenim de illo, *Non est potestas nisi à Deo*, Apostolum sic interrogat: *Quid dicis, Omnis ergo Princeps à Deo constitutus est? Istud, inquit, non dico:* consequenter nec ipse.

Testimonium S. Ambrosij. Nonò objicit testimonium S. Ambrosij in Ps. 40. dicentis: *David quasi Rex legibus non tenebatur humanis: Deo autem obnoxium se pro peccatis suis esse cognoscit.* Et in Apologia pro Davide: *Nullis David legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum: nec enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperij Majestate.*

Satisfit. Respondeo (inquit Eminentissimus Bel-

Bellarminus cap. 8. contra Guilielmum Barclaium) "liberi ſunt Reges à legibus
"Politicis, tum ſuis, tum Prædeceſſorum
"Regum, quia par in parem non habet
"poteſtatem; non ſunt liberi à legibus
"Dei & Eccleſiæ: & hoc videmus etiam
"commune fuiſſe cum Regibus Teſta-
"menti veteris, qualis erat David. Si-
"quidem cum Rex Ozias thus adolere
"vellet in templo Domini, quod Officiũ
"ſummi Sacerdotis erat, & repulſus
"à Sacerdotibus non acquieſceret, con-
"tinuò leprâ percuſſus eſt, & ad judi-
"cium Sacerdotum coactus eſt habitare
"ſeorſim, & à Regni adminiſtratione
"ceſſare, ut dicitur in 2. lib. Paralip.
"cap. 26. Addit Joſephus lib. 9. An-
"tiquitatum cap. 11. ab eo tempore
"Oziam privatum vixiſſe, ac longo mœ-
"rore conſumptum. Simili ferè modo
"cum Principem Chriſtianum leprâ
"hæreſis infectum cernit Summus Pon-
"tifex, ſegregat illum à cœtu piorum
"per ſententiam excommunicationis, ac
"ne cæteros inficiat, ſolvit ejus ſubditos
"à juramento fidelitatis, atque ſi opus
"ſit, jubet etiam ſub eadem excommu-
"nicationis pœna, ne illum pro Rege
habeant,

„habeant, neve illi ut Regi pareant."

Testimonium S. Hieronymi.

Decimò obijcit testimonium S. Hieronymi in Ep. 22. dicentis: *Ad Dominum pœnitens David loquitur*: Tibi soli peccavi: *Rex enim erat, alium non timebat.*

Satisfit.

Respondeo, Reges non timere alium judicem Civilem, quia supremi sunt, bene tamen Ecclesiasticum, cujus ultioni subiaceant, cum eorum cura illi etiam sit demandata: neque id *Opponens* inficiari potest, qui docet Reges excommunicari posse per Romanum Pontificem: qui cum in hoc vice Dei fungatur, verificatur, quod Reges alium non timeant, quàm Deum.

Ad cujus evidentiam facit Innocentij III. Pontificis Max. in Psalmi 4. Pœnitent. Vers. 4. magnificè scriptum: „Sanè, inquit, aliud est in aliquem „peccare, & aliud alicui peccare. In „aliquem peccat, qui committit in illum „offensam. Alicui peccat, qui ejus „subiacet ultioni. Rex itaque soli Deo: „cæteri verò & Deo peccant, & Regi. „Quid ergo non possunt Ecclesiarum „Prælati, & maximè Summus Ponti„fex punire Principes sæculares, si mo„niti contempserint satisfacere de commissis,

„missis, tanquam ipsi soli Deo & non „homini peccent? Nam & cor Regis „in manu Dei, & quocumque voluerit, „vertet illud: Possunt quidem": cujus probationi infra adducendæ, interjectæ, subdit: "Quamvis in hoc sibi (nempe „B. Petro) subiaceant propter Deum, & „ipse in hoc illis præemineat vice Dei. „Quare cum Princeps hoc modo peccat „Pontifici, peccat nihilominus soli Deo: & consequenter cum eodem modo timeat Pontificem, timet etiam solum Deum.

Undecimò objicit testimonium S. Augustini lib. 5. de Civitate Dei cap. 21. *Quæ cum ita sint, non tribuamus dandi Regni atque Imperij potestatem nisi vero Deo, qui dat fœlicitatem in Regno Cœlorum non nisi solis pijs, Regnum verò terrenum & pijs & impijs, sicut ei placet, cui nihil injustè placet.. .... Qui Mario, ipse Caio Cæsari; qui Augusto, & ipse Neroni, qui & Vespasianis vel patri vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo. Et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Iuliano.* *Testimonium S. Augustini.*

Respondeo, quod S. Augustinus lib. *Satisfit.*

lib. 4. eorum errore excluſo, qui Dijs Romanis Regnum Romanum tribuebant, conformiter doceat, non eſſe tribuendam dandi Regni atque Imperij poteſtatem niſi vero Deo, non tamen cum excluſione humanorum mediorum, quibus Divina providentiâ efficiẽte, ſi benè, vel permittente ſi malè, Regna terrena conferantur, acquirãtur & augeantur: quod ex intermedijs omiſſis verbis non obſcurè colligitur: *Qui ergo*, inquit, *Perſis dedit ſegetes* utiq; mediâ creatâ virtute) *ſine cultu Deæ Segetiæ: qui alia dona terrarum* (ſimili mediante virtute) *ſine cultu tot Deorum....ipſe etiam Regnum dedit ſine cultu eorum*: haud tamen ſine medijs humanis: quod item colligitur ex cap: 7. Lib. 4. ubi Regni tranſlationem ab Aſſijrijs ad Medos, & à Medis ad Perſas commemorans inſinuat medium, quo ab alijs deperditum, & ab alijs acquiſitum fuit: *Nondum*, inquit, *illis temporibus atque illis terrarum partibus Chriſti nomen fuerat prædicatum, quando illa Regna per ingentes bellicas clades amiſſa atque tranſlata ſunt.* Et cap. 19. lib. 5. de Nerone & ejus ſimilibus dicit: *Etiam talibus dominandi poteſtas non datur ſine*

Aiii *ſummi*

summi Dei providentia : manifestè innuens quidpiam esse præter Deum, quo dominandi potestas conferatur, tametsi non sine ejus providentia, quia (ut cap. 11. ejusdem libri præmiserat) *nullo modo est credendus, Regna hominum, eorumque dominationes & servitutes à sua providentiæ legibus alienas esse voluisse.*

Itaque vult S. Doctor Deum verum esse supremum Regnorum terrenorum auctorem & collatorem ad exclusionem falsorum Deorum, ut illi, non his Romani debuerint suum Imperium, minimè autem Regnum & Imperium esse ex immediata ejus institutione & collatione : ut hinc conficiatur, Imperatores & Reges per Ecclesiasticam potestatem exauctorari non posse, nisi quis ejus verba in alienum sensum detorqueat, ut Wecilo Archiepiscopus Moguntinus Henrici IV. fautor & assentator, qui eodem testimonio abutens, teste P.M. Lupo in Scolijs ad Dictatum Gregorij VII. in Conventu Moguntino præsidens & Henricum defendere, & Apostolicæ Sedi adhærentes quindecim Orthodoxos Germaniæ Episcopos præsumpsit damnare de hæresi : asserens

omne

omne Regnum esse Dei ordinationem & donum, ideoque Henrici degradationem sine hæresi, ac in Deum rebellione non potuisse attentari. Debuerant Wecilo & qui ipsum sequuntur, ad verbum S. Doctoris attendisse lib. 3. Confess. cap. 8. dicentis: *Generale pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis*: hôc enim perspicuum reddit, Regna non esse, Deo immediatè instituente & conferente, ac perconsequens falsam esse Wecilonis ejusque asseclarum interpretationem.

Testimonium S. Fulgentij. Duodecimò objicit testimonium S. Fulgentij ad Trasimundum Regem cap. 2. quo docet *esse honorem Regibus exhibendum: Deum præcipere Reges honorari: & Regalis apicem culminis divina largitate esse collatum.*

Satisfit. Respondeo Reges honorandos esse, quamdiu honore Regio potiuntur, non verò cum illo se indignos reddentes ab Ecclesia privantur: Apicem Regalis culminis divinâ largitate conferri, quia quod hæreditario jure, consensu populi, aut alio humano medio cuipiam contingat, ex divina largitione descendit.

Decimo

Decimò tertiò obijcit testimonium Arnobij Junioris, cui Cassiodorum, & Euthymium, & Glossam concinere asserit in Psalmum 50. *Rex sub nullo alio nisi sub Deo solo agens, ipsum solum super potestatem suam metuens, Deo soli peccavit.* *Testimonium S. Arnobij Iunioris.*

Respondeo, hæc optimè cohærere cum præeminentia Romani Pontificis super Reges, quem timeant, & cui peccent, ut patet ex dictis ad similia verba Hieronymi ex Innocentio III. *Satisfit.*

Decimò quartò obijcit testimonium S. Gregorij Turonensis in Concilio Parisiensi anno 577. his verbis Chilpericum compellantis: *Si quis de nobis, ô Rex! justitiæ tramitem transcendere voluerit, a te corrigi potest. Si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur tibi, sed si volueris, audis; si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiavit esse justitiam?* Ita refert ipse lib. 5. Hist. Francor. cap. 19. *Testimonium S. Gregorij Turon.*

"Respondeo (inquit iterum Bellarminus eodem cap. contra Barclaium) „loquitur Gregorius de potestate, quam „habent Reges de facto cogendi homi„nes particulares, & quam non habent *Satisfit.*

homi-

„homines particulares ad cogendos Re-
„ges. Accusaverat enim Rex Chilperi-
„cus prætaxatum Episcopum Rothoma-
„gensem tanquam reum Majestatis
„apud Parisiensem Synodum, in qua
„cum alijs multis Gregorius Turonicus
„sedebat: & quoniam Gregorius præ-
„taxatum innocentem esse, & à sub-
„ordinatis falsis testibus gravari intelli-
„gebat, condemnationi ejus assentire
„nullo modo volebat. Itaque sciens Rex
„unum Gregorium sibi resistere, dixit
„illi: *O Episcope! justitiam cunctis largiri*
„*debes; & ecce ego justitiam à te non ac-*
„*cipio: sed ut video consentis iniquitati, &*
„*impletur in te proverbrum illud, quod*
„*corvus oculum corvi non eruet.* Tum Gre-
„gorius demonstrare volens fieri non
„posse, ut aliquis nolit justitiam facere,
„cum Rex possit eum cogere, ut justi-
„tiam faciat: respondit verba superius
„proposita. *Si quis de nobis, ô Rex! ju-*
„*stitiæ tramitem transcendere voluerit, à te*
„*corripi potest: Si verò tu excesseris, quis*
„*te corripiet?* Atque hanc esse senten-
„tiam horum verborum, non solùm per-
„spicuum est ex verbis præcedentibus;
„sed etiam ex eventu illius causæ. Nam
cum

„cum Rex varijs artibus, & dolis conatus esset extorquere à Synodo sententiam damnationis contra Pætaxatum, „& non obtinuisset: vi adhibitâ conjecit eum in carcerem, & cum is elabi „voluisset, graviter cæsus in exilium „missus est: ut eodem loco narrat Gregorius, & Aimoinus lib. 3. Historiæ „Francorum cap. 26. Neque hic finis „furoris fuit Fredegundis Reginæ, in „cujus gratiam Rex omnia illa moliebatur. Nam cum postea per Guntrannum „Regem Prætaxatus in suam Sedem „restitutus fuisset, dolo ejusdem Reginæ per sicarium quemdam ad altare „sacrum Prætextatus occisus fuit, teste „eodem Gregorio l. 8. c. 31. qui Prætextatus inter Sanctos Martyres haberi „cœpit. Hæc igitur est illa potestas, „quam Reges in Episcopos habent, ut „videlicet vi adhibita contra justitiam in „illos, si velint, animadvertant, & „quam non habent Episcopi in Reges, „ut eos quamvis jure damnatos, obtemperare cogant, nisi ab alia temporali „potestate majori iuventur." Huc usque Bellarminus, & præclarè pro more.

Testimonium Hincmari Archiep. Remens.

Postremò objicit scriptum Hincmari Archiepiscopi Remensis Epist. 41. ad Hadrianum II. Pontif. Max. in qua ubi de necessitate communicandi cum Rege multa præmisit, hæc subdit: *Quæ omnia sicut non ad accusandum, sic nec ad excusandum in advocatione præfati Regis depromo, neque ad resistendum vestræ auctoritati, neque ad contradicendum vestræ præceptioni, sed ad consulendum qualiter nos Episcopi & ego præcipuè, in quem tantam comminationem intentastis, erga Regem nostrum gerere debeamus, cum B. Augustinus Apostoli exponens sententiam dicat:* Apostol. *inquit,* doctrina, ut omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & ut reddantur omnibus omnia, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal, &c. *salvo Domini nostri cultu, constitutionis humanæ Principibus reddamus*: & id genus multa Hincmarus cumulat: quorum nulli adstringi subditos respondeo, dum eorum subjectio suspenditur, ut Hincmari & reliquorum Episcoporum, quibus Hadrianus omnem cum Carolo Calvo Francorum Rege communionem interdixerat, si Sedis Apostolicæ præceptis reluctaretur. Fateor quidem,

quidem, Hincmarum hæc Hadriano rescripsisse, ut se & reliquos ab ejus præscripto excusaret, adeoque alium sensum voluisse: Verùm nullus cordatus ei hac in re deferet, qui ejus factionem expenderit. *Ipsi non debet deferri.*

Ipso cum alijs Episcopis decernente, Carolus Calvus Francorum Rex, qui Lotharij nepotis defuncti Regnum, debitum jure multiplici Ludovico Imperatori, usurpaverat, illius Regni coronam accepit. Quod cum audisset Hadrianus Papa II. ad vindicandum audax & insolens facinus, in Gallias legationem decrevit, quâ tam ad Carolum, quàm ad Regni Episcopos & Proceres litteras dedit pro restitutione Lotharij Regni Ludovico Imperatori: ac insuper eosdem Præsules gravi comminatione exagitavit, illud inculcans, ut, si Carolus Sedi Apostolicæ obtemperare recusaret, ipsi se ab ejus communione sejungerent, si vellent cum Apostolica Sede communicare, alioqui ut indignos respuendos: ut videre est in litteris Hincmari ad eum Papam amaro animo redditis. Hæc Eminentissimus Cardinalis Baronius pro meritis expendens ad ann. 870. "Appa-

„ret, inquit, quod qui resistendi Regi, „imò tyranno Sacerdotali constantiâ „caruêre, ut canes rictus & latratus „dentesque in corripientem eos & pro„vocantem in lupum, Pastorem prima„rium convertêre. De his quidem ap„positè à Propheta dictum: *Væ qui con„suunt pulvillos sub omni cubito manus, & „faciunt cervicalia sub capite universæ „ætatis ad capiendas animas.* Utpote qui „adulantes Principibus, ad volun„tatem eorum jura omnia, tam humana „quàm divina disponunt. Nullus inter „eos Jeremias, ad quem à Domino: „*Constitui te super Reges & Principes*: „Nullus Joannes Baptista, qui vitæ dis„pendio arguebat Herodem. Nullus pror„sus, qui diceret Carolo: Non licet tibi „alienam invadere hæreditatē, quod nec „humanæ, nec divinæ leges fieri sinunt. „Non licet tibi contra abs te factam „atque juratam Regnorum divisionem „præsumere quidquam, nec absque sa„crilegij reatu concessum. Jura ipsa, „Regum Francorum antiquitus inviola„biliter conservata in te conclamant, „populumque tuum æquè declamant,

Ezech. 13.

Regnum

„Regnum Francorum non ex electio-
„ne, ſed ex ſucceſſione deberi, quod ex
„Sancti Gregorij teſtificatione ijdem
„Principes in ſæpe ſunt promiſſi comi-
„tijs. Imo ipſe Carolus Calvus in libello
„declamatoris contra Guelinonem Ar-
„chiepiſcopum Senonenſem, ipſo ejus
„exordio id ex Sancti Gregorij prædi-
„cat, & magna ingerit auctoritate,
„nempe Regnum Francorum ex ſucceſ-
„ſione, non ex electione deberi, ut
„planè ex verbis ſuis convincatur Ty-
„rannus eſſe Carolus, dum aliena inva-
„ſit illicitè.

Quod etſi licuiſſet, nec tamen ita
„abſque magno conſilio & deliberatio-
„ne agendum fuiſſet ſecundùm ſenten-
„tiam illam ejuſdem Magni Gregorij
„ad Childebertum Francorum Regem
„ita ſuis litteris inculcatam: *Tunc enim*
„*verè Regi Regum, id eſt Omnipotenti*
„*Domino, ampliùs placebit, ſi poteſtatem*
„*ſuam reſtringens, minus ſibi licere credi-*
„*derit, quam poteſt*. Et quod ad Theo-
„doricum, & Theodobertum Franco-
„rum Reges ſic idem Sanctiſſimus Pa-
„ter inculcat: *Summum*, inquiens,
„*in Regibus bonum eſt juſtitiam colere*,

„*ac sua cuique jura servare. Ergo summum* „*malum justitiæ limites transgredi,& quod* „*jure non licet, tyrannicè vendicare.* Et „quod ad Brunichildem Reginam: *SI vultis*, inquit, *nihil injustè perdere; summopere studete de injustitia nihil habere.* „Et rursum. *Cum scriptum sit: Iustitia* „*elevat gentem, miseros autem facit peccatum: tunc Regnum stabiliri creditur,* „*cum culpa, quæ cognoscitur, citiùs emendatur.* Præterierunt ista doctos Episcopos. Perijt tunc planè lex à Sacerdote, „consilium à sapiente, & sermo à Propheta, ubi tu Hincmare, qui cæteris „scientiâ præstare putabaris, ut homines „bruta animalia antecellunt, passus anginam Demosthenis, adversùs Regem „elinguis, in Summum Pontificem, „qui corripuit eum, stylum acuens, ad „eum ea scripsisti, quæ Politici hujus „temporis manus tuas exosculantes in „suo descripsêre libello de juribus & „& prærogativis Regum & Regni „Franciæ tempore belli civilis haud pridem conscripto, cum ista præmittunt.
„*Quid consilij ceperint Proceres Franciæ,* „*cum Hadrianus Carolo Calvo Regi sub* „*excommunicationis pœna præcepisset, ut*

Regnum

„*Regnum Lotharij Ludovico ejus filio poſſi-*
„*dendum relinqueret, apparet ex Hincmari*
„*Epiſtola reſponſoria*,&c. Poſt hæc Epi-
„ſtola hoc modo." *Domino Smo* & cætera: quibus idem Author ſequentia ſubijcit: "Hactenus ex Hincmari Epiſtola „Politicus nomen ſuum reticens: qui „iſta ut guſtui ſuo dulciſſima lambit,

„Porro verſutus Hincmarus & ore „alieno iſta ſe depromere ſimulat, quæ „ſponte aſſerere tam abſurda non auſus „eſſet. Sed utique pœnâ dignus, qui alterutro modo deliquit, vel dum ſua „quæ eſſent, alijs tribuit, vel ſi aliena „eſſent, ab alijs malè aſſerta, atque furore „deprompta, non redarguit, ut muneris „ſui erat, ſed ſcripſit ea, utpote inter „omnes primatum agens tamquam „ſapientum dicta, ſic planè ſe ea pro„baſſe ſignificans. In quibus quotupli„citer ſit peccatum, quilibet prudens ac „pius intelligit, ut non ſit opus hìc ſin„gula demonſtrare. Sed quod (ut dictum „eſt) eadem Hincmari Epiſtola ſit à Po„liticis in argumentum adducta ad ſuos „ipſorum confirmandos errores: patere „Lector, ut vel curſim hic ſaltem eam „relegens, errores, qui in ipſa ſunt, ſig-

„natos damnatosque relinquam." Hæc sufficere existimo, ad præfato Hincmaro auctoritatem denegandam, qui proinde Patrum Albo annumerari non debuerat.

Testimonium Innoc. III. Articulo 10. num. 12. Gregorij sententiæ opponit Innocentium III. *Quid Innocentius III.* inquit, *doctissimus Pontifex de Gregorij VII. opinione senserit, colligi potest ex Cap. Per Venerabilē, Qui filij sint legitimi. lib. 4. Decretal. quo Regem Christianissimum nullum in terris superiorem ac Iudicem in temporalibus agnoscere profitetur. Idem verò judicium de alijs Principibus supremis, & nullatenus Ecclesiæ fiduciarijs ferendum est.* "Insuper, *inquit*, „cum Rex superiorem in temporalibus „minimè recognoscat, sine juris alterius „læsione in eo se Jurisdictioni nostræ „subijcere potuit."

Satisfit. Respondeo, rem esse planè ridiculam hunc Pontificem Gregorio VII. opponere: ipsi enim clarissimè consentit & scripto & facto. Et quidem in Psalm. 4. Pœnitent. "Quid ergo, inquit, non „possunt Ecclesiarum Prælati & maximè summus Pontifex punire Princi- „pes sæculares, si moniti contempse-

rint

,,rint satisfacere de commissis, tanquam ,,ipsi soli Deo & non homini peccent? ,,*Nam & cor Regis in manu Dei, & quo-* ,,*cumque voluerit, vertet illud*: Possunt ,,quidem: Quoniam ex quo Jesus Na- ,,zarenus fuit unctus oleo lætitiæ præ ,,consortibus suis, & factus est Sacerdos ,,in æternum secundùm ordinem Mel- ,,chisedech, Regnum non dedignatur ,,subiacere Sacerdotio. Quod etiam inde ,,patet, quia unctio Sacerdotis remansit ,,in capite; unctio verò Regis à capite ,,descendit in humerum: unde cum ,,priùs esset Regnum Sacerdotale, sicut ,,Moyses inquit in Lege, nunc est Re- ,,gale, sicut Petrus in Epistola sua dicit. ,,Et qui dicit Beato Petro, *quodcumque* ,,*ligaveris super terram, erit ligatum &* ,,*in cœlis*; dicendo *quodcumque*, nihil ex- ,,cepit, ut ostenderet manifestè, quod ,,tam Reges, quàm alios traditâ sibi ,,potest auctoritate ligare.

Præterea in Concilio Lateranensi generali cap. 3 idem Pontifex decrevit, Principes sæculi per Apostolicam Sedem Principatu privandos esse, si negligentes essent in purgandis terris suis ab hæretica labe, & admoniti ab Episcopis, non obedirent. Deni-

Denique Ottonem Imperatorem exauctoravit : de quo celebri facto hæc accipe ex Palmerio in Chronico : "Otto, inquit, Romæ ab Innocentio coronatus, statim cum Romanis pugnans Urbe pellitur, & contra Pontificis voluntatem plura oppida in Apulia capit, Siciliam quoque suæ dictioni adiecit. Quapropter eodem anno habito Romæ Concilio, Imperio deponitur." Eadem Nauclerus. Anno 1212. "Pontifex Romanus, inquit, monitum prius Imperatorem per litteras, & nuntios, deinde ut rebellem Apostolicæ Sedi & inobedientem, anathemate primùm, deinde in pertinacia perseverantem, in Concilio Præsulum, quod Romæ tunc Innocentius celebravit, ab Imperio depositum percussit, & pronuntiavit. Eoque per Suffridum Moguntinum Archiepiscopum denuntiato" (sic Chronica Hirsaugiense, & Urspergense) "Electores Imperij Francfordiæ 13. die Decembris congregati, Fredericum Regem Siciliæ eidem in Imperio subrogarunt." Sic Innocentius eam potestatem & docuit, & facto confirmavit. Quin & ipso Capite *Per*

Vene-

Venerabilem, idem tradit: *In aliĳs regionibus*, inquit, *certis causis inspectis temporalem jurisdictionem casualiter exercemus:* "Valde notabilem (inquit Pannormitanus ea verba commentans) quod in
„terris alienis Papa regulariter non po-
„test exercere jurisdictionem tempora-
„lem, sed casualiter sic. Et probat hæc
„littera, quod ubi factum est valde ar-
„duum, potest Papa uti jurisdictione
„temporali ex auctoritate Dei. Probatur
„hoc cap. 1. *de Homicidio* lib. 6. &
„vide quæ plenè dixi in cap. *Novit. De*
„*judiciĳs*. Et ex hoc potest adduci ista
„littera in argumento, quod ex magna
„& ardua causa potest Papa deponere
„Principes sæculares, licet sibi directè
„non sint subjecti in temporalibus.
„Nam aliàs deposuit etiam Regem
„Franciæ, ut in cap. *Alius* 15. q. 6."
Hæc ille.

Neque obstat, quod idem Pontifex asserat, Regem Franciæ in temporalibus non recognoscere superiorem. Eo enim tantùm significat, quod non sit Princeps Politicus, cui in tẽporalibus subijciatur, quemadmodum Nobilis ille de Monte Pessulano (de quo erat casus litteralis) subijcie-

subijciebatur: ex quo Pontifex inferebat, quod Rex Franciæ sine alterius juris læsione in eo (nempe legitimatione filiorum) se jurisdictioni suæ subijcere potuerit. Iste verò nobilis (inquit idem Pannormitanus) "erat subjectus alteri: „ergo ut apertè hæc allegatio conclu-„dat, manifestè colligitur hic, & alibi „non ita bene, quod pater non potest in „legitimatione filij subijcere se jurisdic-„tioni alterius sine consensu sui Domi-„ni."

Præterea idem Pontifex initio Capitis dicit, Apostolicam Sedem *plenam habere potestatem legitimandi filios ad actus etiam sæculares, præsertim si præter Romanos Pontifices superiorem alium non cognoscant, qui legitimandi habeat potestatem.* Quo insinuat, supremos Principes non sic non recognoscere in temporalibus superiorem, quin ut talem recognoscant Romanum Pontificem: sicque Regem Franciæ recognovisse indicat, dum ipsum suæ jurisdictioni se subjecisse innuit in ordine ad filiorum legitimationem ad actus sæculares.

Testimonium S. Francis. Salecij.

Objicit deinde S. Francisci Salesij Genevens. Antistitis verba, Ep. 48. l. 7.

suam

ſuam de Regia & Pontificia poteſtate ſententiam ſic exprimentis : *Reges ac ſupremi Principes ſupremam in temporalibus dominationem habent, in qua nec Romanus Pontifex, nec Eccleſia quidquam prætendunt, nec ullam ab ipſis temporale homagium exigunt. Adeo ut Pontifex ſit ſupremus Paſtor, & Pater ſpiritualis: Rex verò ſupremus Princeps & Dominus temporalis. Vnius auctoritas alteri non adverſatur, imò mutuam ſibi ferunt opem. Pontifex enimverò & Eccleſia feriunt illos anathemate, & ut hæreticos execrantur, qui ſupremam Regum ac Principum auctoritatem negant: Reges autem ſuo illos gladio feriunt, qui Romani Pontificis & Eccleſiæ impugnant auctoritatem, aut ideo illis parcunt, ut interim ad emendationem ac ſubjectionem adducantur.*

Reſpondeo, hunc Sanctum Antiſtitem haudquaquam *Opponenti* patrocinari, ſed adverſari. Rogatus namque à quadam Domina, ut reſolveret, quæ eſſet Papæ auctoritas in temporalia Regum & Principum, non reſpondet negando ſuppoſitum, *Sed à me*, inquit, *deſideras reſolutionem æquè difficilem ac inutilem. Difficilem, non quod in ſe certa* *Satisfit.*

non

non sit, est enim admodum facilis occursu spiritibus eam per viam charitatis inquirentibus: sed difficilem, quod hac ætate, quæ cerebris calidis, acutis & contentiosis redundat, difficile sit rem edicere, quæ non offendat fideles famulos sive Papæ, sive Principum..... Sed etiam dico inutilem: quia hujus intuitu nihil Papa à Regibus, aut Principibus prætendit: omnes tenerè diligit, ipsorum Coronæ firmitatem & stabilitatem exoptat, suaviter & amabiliter illis convivit, vix quidquā facit in eorum statibus, imò in eo, quod res purè Ecclesiasticas spectat, nisi cum eorum ratihabitione & voluntate. Quid ergo opus est, modò se comprimere examine auctoritatis ejus in res temporales, & hoc medio aperire portam dissidijs? Quare supersedens resolutione hujus quæstionis, prout desiderabatur, eidem Dominæ significat, quæ non essent offensioni nata; sic tamen ut Reges & Regna subijciat Papæ & Ecclesiæ in ordine ad ejus bonum & defensionem. *Papa*, inquit, *est supremus Pastor & Pater spiritualis Christianorum, quia supremus est Iesu Christi Vicarius in terris: proinde habet ordinariam supremam auctoritatem spiritualem in omnes Christianos:*

Impe-

Imperatores, Reges, Principes, & ejusdem conditionis reliqui debent ipsi nedum dilectionem, honorem, reverentiam & respectum, sed opem, auxilium, & suppetias in omnibus & contra omnes, qui ipsum aut Ecclesiam in hac auctoritate spirituali, & ejus administratione lædunt....... Quia Chr stiani Principes & alij non simplici fœdere Papæ & Ecclesiæ conjuncti sunt, sed fœdere in obligatione potentiori, in dignitate excellentiori, quam esse possit. Quemadmodum Papa, & reliqui Ecclesiæ Prælati adstringuntur suam vitam exponere, mortemque subire ad Regibus Regnisque Christianis spiritale pabulum & pastum erogandum; ita Reges & Regna reciprocè tenentur cum suæ vitæ, & statuum discrimine, manu tenere Papam & Ecclesiam, suum Pastorem & Patrem spiritualem. Grandis, at reciproca obligatio Papam inter & Reges; obligatio invariabilis; obligatio naturalis, divina & humana, per quam Papa & Ecclesia debent Regibus & Regnis suas vires spirituales, & Reges suas vires temporales Papæ & Ecclesiæ. Papa & Ecclesiæ attinent ad Reges, ut ipsos spiritualiter nutriant conservent & defendant contra omnia & in omnibus. Reges & Regna

attinent

attinent ad Ecclesiam & Papam, ut ipsos temporaliter nutriant conservent & defendant contra omnia & in omnibus. Quia patres ad filios, & filij ad patres spectant. Ne autem hæc Regum Regnorumque ad Papam & Ecclesiam subjectio (est enim obligatio inferioris ad superiorem, utpote filij ad patrem) præjudicare videatur Regum in suo ordine supremitati, immediatè subdit: *Nihilominus Reges ac supremi Principes supremam in temporalibus dominationem habent, in qua nec Romanus Pontifex nec Ecclesia* & cæt. à *Natali* in argumentum adducta: ut proinde liqueat, voluisse quidem S. Præsulem Regum & supremorum Principum in Politico ordine supremam auctoritatem, non verò illius, Regnorumque in ordine ad spiritualem finem, ab Ecclesiastica potestate exemptionem, sed subjectionem apertè tradidisse.

Aliud Testimonium ejusdē. Postremò objicit ex eodem Præsule quod in Epistola 58. scribit: *Ie n'ay pas mesme à mon goust certains Escrits d'un Saint & tres excellent Prelat, esquel il à touché du pouvoir indirect du Pape sur les Princes.* Quod sic Latinè reddit: *Nec mihi*

mihi quidem placuere Scripta quædam Sancti & præstantißimi Præsulis, in quibus potestatem indirectam Romani Pontificis in Principes asseruit.

Respondeo hæc verba, in speciem urgentia, nihil *Opponentem* iuvare: ut ex immediatis omissis verbis, ad priorum perfectum sensum spectantibus, clarissimũ est. Sic namq; suam periodũ S. Præsul continuat: *non que j'aye jugè si cela est, ou s'il n'est poin; mais parce qu'en c est âge, ou nous avons tant d'ennemÿs dehor, je croy, que nous devons rien esmouvoi au dedans du corps de l'Eglise.* Id est: *nõ quod judicaverim hoc ita esse, vel nõ esse; sed quod hâc ætate, quâ tot hostes foris habemus, non oporteat nos quidquam commovere intra corpus Ecclesiæ.* Claret proinde, quàm inaniter S. Salesij testimonium sit contra Gregorij VII. doctrinam objectum: quo nihilominus *Opponens*, ut truncatè adducto, rem confecisse, alijs videri voluit. Unde sic concludit. *Satisfit.*

Rata sit igitur ac firma declaratio facultatis Theologicæ Parisiensis anno M.DC. LXIII. edita: "Non est doctrina Fa„cultatis, quod summus Pontifex ali„quam in temporalia Regis Christia- *Declaratio Facultatis Parisiensis.*

 nissimi

„nissimi auctoritatem habeat. Immo „Facultas semper obstitit etiam ijs, qui „indirectam tantummodo esse illam „auctoritatem voluerunt.

„Est doctrina Facultatis ejusdem, „quòd Rex Christianissimus, nullum „omnino agnoscit, nec habet in tem-„poralibus Dominum præter Deum.

„Doctrina Facultatis est, quod sub-„diti fidem & obedientiam Regi Chri-„stianissimo ita debeant, ut ab ijs nullo „prætextu dispensari possint."

Satisfit. Respondeo. Si novissimo hoc tempore ea non fuerit Parisiensis Facultatis doctrina, hanc tamen ejus olim fuisse, colligere est ex supra nominatis hujus Universitatis præstantissimis Doctoribus, qui sine ullo discrimine Regiam Majestatem per ordinem ad spiritualis vitæ finem Romano Pontifici subjectam tradunt: quod & ipsum Joan. Gersonem ejusdem Universitatis nomine coram Galliarum Rege supra declamantem audivimus. Ex quo item patet, dictam Facultatem non semper obstitisse ijs, qui indirectam Romani Pontificis in temporalia Regis Christianissimi auctoritatem esse voluerunt: quem in tempo-

poralibus in ordine ad finem ſpiritualem Dominum præter Deum debere agnoſcere Romanum Pontificem, eſt Majorum Scholæ Pariſienſis doctrina, Doctorum Angelici & Seraphici, Paludani, Hervæi, Bertrandi, Gerſonis, Genebrardi & aliorum. Hanc ipſe Rex Chriſtianiſſimus Ludov. VII. ſæculo XII. profeſſus eſt, ut conſtat ex Epiſtola S. Thomæ Cantuarienſis ad Humbaldum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem. Pro quo notandum, quod præfatus Sanctus à facie perſequentis Henrici 2. Anglorum Regis confugerat ſub dicti Ludovici protectionem: ab ea Henricus ipſum divellere ſtuduerat; de quo Thomas Humbaldum certiorem faciens ait: *Nuper autem miſit idem Rex Angliæ Nuntios ſuos, Epiſcopum videlicet Sagienſem & G. Cantuarienſem Archidiaconum ad Chriſtianiſſimum Regem, ſollicitans eum precibus, ut nos ejiceret de terra ſua. Sed vir Deo plenus reſpondit ſe hoc jus hæreditarium ab Anteceſſoribus contraxiſſe, & ſemper fuiſſe conſuetudinis Regni Francorum, ut omnes pro juſtitia exulantes benignè recipiat, & eis debita humanitatis ſolatia impendat. Et dixit ſe numquam*

ſit de ovibus, quas Dominus B. Petro commiſit. Par ipſi in omnes poteſtas conceſſa eſt, ſicut unum Ovile eſt, & unus Paſtor. Joan. 16. Una omnium & pariformis omnium commiſſio: *Paſce oves meas.* Joan. 21. Nihil in ea Franci à Chriſto minus, quin pro debito paſcantur, ut aliæ gentes: nihil Paſtori in Francicas oves minus poteſtatis, quæ *paſcendi* verbo eſt attributa, quàm in oves cæterarum Nationum. Cum ergo articulo ſuperiori clariſſimè ſit comprobatum, ampliſſimam Petro & Succeſſoribus paſcendi poteſtatem conceſſam ad Regum temporalia protendi, perſpicuum eſt, Regem Chriſtianiſſimum ab ea poteſtate, ut etiam in temporalia extensâ, haudquaquam eſſe exemptum.

Quid porro memoratum Regem ab ea poteſtate abſolveret? An quia primogenitus Eccleſiæ filius? Præterquam quòd id nomen ſit ipſi duntaxat inditum ab Eccleſiaſtica poteſtate (quæ jus divinum non immutat, quo Reges omnes Chriſtiani ipſi ſubjecti noſcuntur) eo perfectiorem debet ſuæ Matri ſubjectionem. An quia ipſe ſeu Regnum ejus (ut fertur) eximijs donis cœlitus deco-

ratum & illustratum est, velut Liliorum, & vexilli auriflammei transmissione, sacrâ unctione, & curatione ulcerum, quæ *scrophulæ* nuncupantur? Præterquam quod ex his (si omnia veritate subsistant) dicta exemptio concludi nequeat, potiùs subjectio revincitur; cum hæc (ut art. seq. probabitur) inter præcipua Dei beneficia Regibus & Regnis collata computari debeat: quæ proinde Regi & Regno, tam insignibus, & specialibus donis cœlitus prævento denegari non debet. Igitur Rex Christianissimus ejusque Regnum, utì & reliqui Reges & Principes quicumque nominis Christiani, eorumque temporalia Sedi Apostolicæ in ordine ad spiritualis vitæ finem subijciuntur. Hæc Romanorum Præsulum doctrina, hæc Romanæ Ecclesiæ sententia, is universalis Ecclesiæ sensus, id Patrum & Doctorum inconcussum dogma, ut proinde videas maledictum contra Gregorij VII. sententiam frustrà prolatum reverti in authorem suum.

ARTI-

ARTICULUS SEXTUS.

ASSERTIO SEXTA.

Gregorij Papæ VII. doctrina de Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ potestate in temporalia Regum, non est falsa, non erronea, non nova, non periculosa, non invidiosa, non meritò à Facultate Parisiensi damnata.

HÆc sunt epitheta, quibus eam doctrinam *Natalis* dehonestat: sed præterquam quod illa suâ indignitate evanescant, quàm appositè ejus sententiæ conveniant, ex superioribus facilè colligis, si postremum demas, cui urgentius substituam.

Non esse falsam, sed veridicam & Catholicam Gregorij nostri sententiam ex

 dictis

dictis notissimum est. Quibus item dignoscitur, quàm procul ab errore distet. Ut enim Illustrisimus Cano lib. 12. de Locis cap. 11. scribit: *Error qui & minus quiddam quàm aperta hæresis, & Catholicæ doctrinæ tamen contrarius est, propositio erronea vocatur. Est & propositionis erroneæ alius item gradus. Quum enim veritas aliqua, sapientum quidem opinione vehementi fidei veritas est, sed non est planè ab Ecclesia definita, nec certo argumento demonstrata tunc illi veritati adversari, non est hæreticum, sed erroneum.* Constat autem Gregorij sententiam esse Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, esse Ecclesiæ Doctorum, & aliorum sapientum dogma: perperam igitur appellatur erronea. Neque minùs à vero aberrat, eamdem sententiam esse novam; cum tot sæculis (ut ex articulo 1. liquet) ejusdem Gregorij tempora præcesserit: & aliàs cum ex præmissis clareat, eam esse Sedis Apostolicæ, Romanæ, & Universalis Ecclesiæ sententiam (quæ nova nesciunt, licet quandoque dicant *novè*) tametsi illa tempora non antecessisset, novitatis insimulanda non erat, sed dicenda, Apostolis Tradita, in Scripturis sanctis dictata,

dictata, ac opportuno tempore Spiritu ſancto revelante manifeſtata.

Neque hæc ſententia periculoſa eſt. Non quidem Eccleſiæ: ſiquidem in ejus bonũ à Domino Salvatore conceſſa eſt, B. Pio V. Pontif. Max. in Bulla art. 4. citatâ, declarante his verbis: *Hunc unum* (nempe Rom. Pontificem) *ſuper omnes gentes & omnia Regna Principem conſtituit, qui evellat, deſtruat, diſsipet, diſperdat, plantet, & ædificet, ut fidelem populum mutuæ charitatis nexu conſtrictum, in unitate Spiritûs contineat, ſalvumque & incolumem ſuo exhibeat Salvatori. Etenim natura docet hoc ipſum* (inquit Eminentiſſimus Baronius ad annum 800. num. 17.) *ut præſidens animus corpori ſectionem imperet putridi membri, cujus ſit deſperata curatio Sumus nos invicem membra, & omnes unum corpus in Chriſto, in quo caput cæteris præſtare membris quis neget, & animam corpori imperare, quis dubitet, divinamque poteſtatem humanæ, cæleſtem terrenæ, ſpiritualem carnali praeſſe debere, quis non affirmet?* Uti ergo imperiũ animæ in corpus, poteſtas capitis in membra, ſalus eſt corporis, ita Sedis Apoſt. Authoritas ſuper Reges & Regna Eccl. ſaluti

Gregorij VII. doctrina proſpicit Eccleſiæ.

ſaluti proſpicit. Conſulit etiam Regibus & Regnis, proinde nec ijs periculoſa eſt: quod egregiè declarat & probat B. Ivo Carnotenſis Epiſcopus Epiſt. 106. ad Henricum I. Anglorum Regem, ex qua articulo præcedenti adducta juvat hic repetere, & addere reliqua. *Celſitudinem veſtram* (inquit) *obſervando monemus, quatenus Regnum terrenum Cæleſti Regno, quod Eccleſiæ commiſſum eſt, ſubditum eſſe debere, ſemper cogitetis. Sicut enim ſenſus animalis ſubditus eſſe debet rationi, ita poteſtas terrena ſubdita eſſe debet Eccleſiaſtico regimini: Et quantum valet corpus niſi regatur ab anima, tantum valet terrena poteſtas niſi informetur & regatur Eccleſiaſticâ diſciplinâ: & ſicut paccatum eſt Regnum corporis, cum jam non reſiſtit caro ſpiritui, ſic in pace poßidetur Regnum mundi, cum jam reſiſtere non molitur Regno Dei. Hoc cogitando ſervum ſervorum Dei vos eſſe intelligite, non Dominum, protectorem, non poſſeſſorem, unam debere eſſe de cedris Libani, quas plantavit Dominus, in qua nidificent paſſeres, id eſt ſub cujus tutela, quiete fructificent & converſentur Chriſti paſſeres, quorum orationes pro ſtatu Regni veſtri & incolumitate veſtra quanto quie-*

Conſulit Regibus & Regnis.

*quietiores, tanto * saniores, quanto saniores, tanto constat esse efficaciores: hoc enim faciendo & Regnum terrenum quietè, Deo cooperante poßidebitis, & ad Regnum æternum ejusdem miseratione pervenietis.* * *sanctiores.*

Quod illam supremam (ait Bellamera, qui supra) *& absolutam potestatem Papa habeat, videtur multum & Reipublicæ valde expediens, scilicet ut sit aliquis supremus Monarcha, qui Regum hujusmodi excessus poßit corrigere, & de ipsis Iustitiam ministrare.* Nec mirum: Regum enim excessus sunt Regnorum inclinatio in occasum. Exemplo sit Galliæ Regnum, dequo hæc notatu digna litteris ad Philippum Regem, eidem consideranda Gregorius VII. proponit lib. 1. Epist. 75. *Attendere te nobiscum & diligenter considerare volumus, in quanta dilectione Sedis Apostolicæ, quantaque gloria & laudibus ferè per orbem terrarum Antecessores tui Reges clarißimi & famosißimi habiti sunt, dum illorum Regia Majestas in amplificandis & defendendis Ecclesijs pia ac devota constitit, in tenendo Iustitiam, libera ac distracta permansit. Postquam verò divina & humana jura subvertendo tanta virtus in posterioribus capit tepescere,*

totius Regni gloria, decus, honor & potentia cum perversis moribus immutata sunt, & nobilissima fama & status Regni à culmine suæ claritatis inclinata sunt. Igitur ea Pontificia Regum coercitiva Potestas nedum Religioni Christianæ contribuit, sed etiam Regnorum Politico statui consulit: unde meritò Cardinalis Baronius ad annum 800. numero 16. *Nec est istud*, inquit, *Politicum statum destruere, se perficere & conservare. Sic igitur*(ait idem ad annum 57. num. 33.) *etsi non abstulit Christus politicum Imperium, utpotè rem à Deo optimè institutam* (juxta modum supra explicatum) *subiecit tamen illud spiritualis Ecclesiæ dominio. Nam sicut jure naturæ eodemque divino statutum esse videtur, ut inferiora superioribus subjecta pareant, ut magis perficiantur & finem suum feliciter consequantur, ita etiam Regnum Politicum parere debere Ecclesiasticæ Perfecturæ, vel ad hoc saltem, ut à Deo promissum Cœleste Regnum homines consequantur, certum exploratumque cuique, ni insaniat, esse debet.*

Hæc subjectio potestatem non tollit (præclarè observat F. M. Antonius Capellus Franciscanus Conventualis

Contro-

Controversia II. adversùs Prætensum Primatum Ecclesiasticum Angliæ Regis.) *Nam supernaturalia adduntur naturalibus, non ad eorum corruptionem, sed ad eorum perfectionem. Fides non tollit lumen naturæ, sed perficit, ejusque corrigit errores. Gratia non tollit arbitrium, sed juvat, dum illud ad bona opera efficaciter movet. Pariter potestas Ecclesiastica Regiam non aufert, sed juvat & perficit, dum errantem corrigit, & ad bona torpentem movet. Regum ergo potestas à Christo non est imminuta per id quod Ecclesiæ subjecta, sed perfecta & aucta. Quæ enim ad malum est, potestas non est, sed potestatis defectus & imperfectio. Hanc verò tantùm adimit potestas Ecclesiæ. Amittuntne homines suarum rerum dominium, potestatem & libertatem, dum sibi Regem præficiunt? Non sanè, imò libertatem, potestatem, & dominium proprium hac subjectione tuentur. Cur ergo potestatem Reges amittent, si Ecclesiæ subjiciantur?*

Non diminuit potestatem Regiam, sed perficit.

Consonè Cardinalis Bellarminus cap. 3. contra Barclaium, *Christus*, inquit, *non venit solvere legem, sed adimplere: ideo non sustulit jura gentium, & naturæ, sed perfecit: non privavit Reges & Principes*

pes dominio & jurisdictione, sed eorum jurisdictionem & dominia ordinavit. Nam & in ipsa Ecclesia Reges & Principes non sunt minore præditi potestate Politica, quàm Ethnici essent: hoc solum accessit, quod præposuit illis Pastorem magnum, qui vice sua fungeretur in terris, à quo dirigerentur, si fortè à via, quæ ducit ad Regnum cœlorum, eos aberrare contingeret: quod beneficium Dei inter potißima debet agnosci à fidelibus omnibus; sed à nullis magis, quàm à Regibus & Principibus, qui quo sunt in loco sublimiore, eò magis obnoxij sunt casui graviori, & tanto magis egent Episcopo, & Pastore animarum suarum: ut eleganter & copiose admonuit Reginaldus Polus, in dialogo de Pontifice maximo.

Agnovit olim ingens hoc beneficium Valentinianus Inclytus Imperator, Mediolanensibus sic scribens: *Talem in Pontificali Sede constituere procuretis, cui & nos, qui gubernamus Imperium, sincerè nostra capita submittamus, & ejus monita, cum tanquam homines deliquerimus, suscipiamus necessariò velut medicamenta curantis.*

Agnovit & Kenulphus Rex Merciorum apud Anglos Epist. ad Leonem Tertium

Tertium Papam, dicens: *Meritò omnis per orbem exultat Ecclesia; quia cum omnium verus remunerator bonorum, gloriosissimum gregis sui pastorem Adrianum perpetuò remunerandum super æthera duxisset, suis tamen ovibus pia erexit, providentia prævium, qui scit ovile Dominicum ad Caulas non inferius vitæ agitare. Hos quoque meritò quos extremitas Orbis tenet, eodem modo præ cæteris gloriamur: quia illius sublimitas nostra salus est, illius proceritas nobis perennis exultatio: quia unde tibi Apostolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit. Quapropter opportunum arbitror tuis sanctissimis jussionibus aurem obedientiæ nostræ humiliter inclinari, & quæ tuæ pietati ritè nobis sequenda videantur, toto nisu implenda: quæ vero rationi contraria deprehensa fuerint, citiùs declinanda, ac interim nobis omnibus resecanda.*

Idem beneficium agnovit S. Ludovicus IX. Rex Franciæ, in documentis ante mortem suam filio Philippo scriptis: *Sis devotus & obediens Matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, & summo Pontifici tamquam Patri spirituali.* *Monitū S Ludovici Regn. Franc. filio datum.*

Idē recognovit Ludov. XII. Francorum

rum Rex Epiſtol. ad Pium II. Pontif. Max. *Beatiſsimo Patri noſtro Pio Papæ ſecundo obedientiam filialem. Te Vicarium Dei viventis eâ veneratione proſequimur, ut ſacra, præſertim in Eccleſiaſticis rebus, tua monita velut vocem paſtoris audire, illiſque parere promptâ mente velimus. Te Principem totius Eccleſiæ, Antiſtitem ſacrorum, te Dominici gregis paſtorem profitemur, & ſcimus, teque jubentem ſequimur, tibi & beatiſsimi Petri Cathedræ conſentimus. Itaque ſicut mandaſti Pragmaticam Sanctionem (tuæ Sedi infenſam, utpote quæ Schiſmatis tempore, atque per ſeditionem mota ſit) & Regno noſtro, noſtroque Viennenſi Delphinatu & omni ditione noſtra per præſentes pellimus, deÿcimus, ſtirpituſque abrogamus.*

Præſtitit idem Rex integram Sedi Apoſtolicæ obedientiam per Guilielmum Pariſienſem Epiſcopum, & Oratorem ſuum, ut conſtat ex ejuſdem Pij Oratione ad eos habita in celebri Conventu Mantuano, anno 1459. ubi hæc notatu digniſſima: *Nunc verò quod obedientiam præſtitam vice Chriſtianiſsimi Regis attinet, illam nos & venerabiles Fratres noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ut eſt integrè*

integrè delata, complectimur. Habet hoc à natura Rex, & à Majoribus in se transfusum, tuerique non immeritò debet obedientiæ meritum, quod sacrificiis præferri divinitus promulgata lex sanxit: beneque prospicit suo decori, sua gloriæ, suæ saluti; cum secutis semper Romanæ Sedis obedientiam suis Majoribus videat evenisse prosperitatem, quodque quantum quilibet Regum detraxit ex obedientiæ studio, tantum amisit ex gloria.

Regni Galliæ prosperitas ex obedientia Sedi Apost.

Denique & Protasius Rex Arimenorum recèns ad fidem conversus idem beneficium agnovit in Epistola ad Gregorium XIII... *Cum sanctitas vestra Christianum gregem universum moderetur & pascat, valde mihi fuit optatum, isthuc venire, coramque humi stratus magna cum submissione exhibere obedientiam, & post pedum oscula beatorum eosmet meo capiti superimponere. Sed quoniam rebus variis impedito id mihi non licet, mitto cum eodem patre visitatore Patruelem meum D. Michaëlem, uti pro me hoc munere pietatis officiique fungatur.*

Igitur Gregorii VII. doctrina Regibus aut Regnis periculosa non est, sed concessum ipsis cœlitus beneficium de-

 clarat,

clarat, ob quod ſi quidam, illud reſpuentes, gravis tempeſtatis turbinem excitent, is eorum dementiæ, non tam ſanæ doctrinæ adſcribi debet.

Perfacile eſt ex dictis colligere, neque hanc doctrinam eſſe invidioſam. Hoc quippe vocabulum triplici modo acceptum reperio: primo, pro eo cui invidetur & in quem homines odio atque invidia feruntur: ſecundo, pro eo quod odium & invidiam alicui conciliat: tertio, pro eo qui invidet. Nullo autem ex his modis prælibata doctrina eſt invidioſa: non quidem primo: quia omnes eam probant, ſi paucos hâc ætate demas, qui in eam odio & invidiâ ferri nequeunt, quin cum hæreticis in Sedis Apoſtolicæ auctoritatem ſic ferantur. Nec ſecundo: quia, ut probatum eſt, cùm Eccleſiæ, tum Regum Regnorumque ſtatui proſpicit & conſulit. Denique nec tertiò: quia ut etiam oſtenſum eſt, Pontificiam auctoritatem non protendit ultra terminos à Domino Salvatore præfixos, neque hæc alicui poteſtati Politicæ præjudicat, ſed omnem juvat, errantem corrigit, ac ſalutaribus præceptis informat. Quo ſi

ingenti hoc Dei beneficio Reges ut Christianos decet, rectè utantur, sui Pastoris recta suadentis vocem auscultando, ejusque monita, cum tanquam homines deliquerint, suscipiendo necessariò velut medicamenta curantis, & Regnum terrenum quietè, Deo cooperante possidebunt, & ad Regnum æternum ejusdem miseratione pervenient.

Quod attinet postremum, nempe Gregorij VII. doctrinam esse meritò à Sacra Facultate Parisiensi damnatam (quod pag. 391. *Natalis* asserit) à veritate planè exorbitare, facilè cognoscitur, si doctrinæ hujus firmamenta, & & objectionum debilitas recolantur. In facti probam dictus Author producit Censuram latam in Librum Antonij Santarelli, inscriptum *de Hæresi Schismate, Apostasia*, &c. *Quo in Libro* (inquit pag. 1395.) *Tractatu de Hæresi cap. 30. & 31. asserebat Author*: "Summum Pontificem posse pœnis temporalibus punire Reges & Principes, eosque deponere, & suis Regnis privare ob crimen Hæresis, eorumque subditos ab illorum obedientia liberare, eamque semper in Ecclesia fuisse *Censura contra Gregorij VII. doctrinam objecta.*

 con-

,,Consuetudinem. *Et propter alias etiam* ,,*causas*; ut pro delictis, si expedit: si ,,Principes sint negligentes: propter ,,insufficientiam & inutilitatem suarum ,,personarum. *Item*, Pontificem jus & ,,potestatē habere in spiritualia simul & ,,omnia temporalia: & in eo esse de jure ,,divino utramque potestatem, spiritua- ,,lem & temporalem: Credendum esse, ,,Ecclesiæ summoque ejus Pastori con- ,,cessam esse facultatem puniendi pœnis ,,temporalibus (*Principes*) trangressores ,,legum divinarum & humanarum præ- ,,sertim si crimen fuerit Hæresis." *Verba etiam Christi*, Quodcumq; ligaveris super terram, &c. *non tantùm de potestate spiritali, sed etiam de temporali explicabat. Sacra porro Facultas anno Domini* 1626. 1. *Aprilis, in solemnibus Comitiis, post Missam de Spiritu Sancto, auditá relatione Magistrorum ad examen istius libri selectorum, auditis omnium & singulorum Doctorum maturis deliberationibus, improbavit, & damnavit doctrinam his propositionibus contentam*, "Tanquam no- ,,vam, erroneam, verbo Dei contrariam, ,,Pontificiæ dignitati odium concilian- ,,tem, Schismati occasionem prębentem,

supre-

„ſupremæ Regum auctoritati à Deo „ſolo dependenti derogantem, Principum infidelium & hæreticorum converſionem impedientem, pacis publicæ „perturbativam, Regnorum, Statuum, „Rerumque publicarum everſivam, „ſubditos ab obedientia & ſubjectione „avocantem, & ad factiones, rebelliones, ſeditiones, & Principum parricidia excitantem."

Refellitur.

Reſpondeo, huic Cenſuræ fuiſ tunc acriter Pariſijs reclamatum, pluribus querelis deſuper ad Regem Chriſtianiſſimum delatis. Quamobrem fuere congregati octo & ſexaginta Sorbonæ Doctores: è quibus nonniſi decem & octo eam ſub forma, qua lata eſt, probarunt. Ex quo colligitur, quàm multiplex numerus eâ factione abfuerit. Ad ſedandos tumultus ea de cauſa obortos, dictus Rex litteris patentibus datis die 13. Decembris 1626. diſtrictè inhibuit Rectori, Regentibus & Suppoſitis Univerſitatis & in ea Doctoribus, & reliquis quibuſcumque, ne quidquam ſive pro affirmativa, ſive negativa parte ſupremam ſuæ, & aliorum Regum Coronæ auctoritatem concernens proponerent,

tractarent, disputarent, determinarent aut resolverent, sine sua expressa in litteris patentibus permissione, sub pœna seditiosis, & pacis publicæ perturbatoribus debita. Ea propter Universitas die 4. Januarij anni sequentis apud Mathurinos congregata fuit ut resolveret quid agendum esset circa dictas litteras, ac deinceps exortam in Sorbona contentionem ob Censuram latam in Librum Santarelli. Conclusio fuit, quod adirent Regem ad illi humillimè supplicandum, ne sua Universitas esset notata, ut erat, neque ipsam permitteret inauditam damnari. Quam ob rem Rector Universitatis, eâ stipatus Regem adijt, ac eum sic est affatus: *Domine, vestra Universitas aliàs venit sui causâ, ut se pedibus vestræ Majest. prosterneret: modò venit causa Tui. Vehementer ipsa est in transversum acta & afflicta ob fidele Tibi præstitum obsequium. prætenditur, cassatio & revocatio Censuræ Santarelli, &c.* Rex autem ita respondit: *Regratior vobis de affectu & cura quam ergo me geritis: Verùm non approbo, quod immisceatis vos rei concernenti fidem: spectat id ad Sorbonæ Doctores*, &c. Hæc omnia habeo ex Mercurio Gal-

lico,

lico, è quo *Natalis* Censuram latam in librum Santarelli commemorat: quam robore esse destitutam monstrat facta reclamatio, & excitata contentio à viris, quorum judicium juxta Regis etiam verbum præferri debebat. Contra eam militat decretum publicum factum à Sorbona anno 1629. *ut deinceps* (inquit Illustrissimus Spondanus ad eum annum) *renovaretur mos antiquus & laudabilis, à quibusdam omitti cœptus, ut quicumque Baccelaureus in Theologiæ actibus respondens, juraret in decreta summorum Pontificum.* Plura porro horum decreta, innixa Gregorij VII. doctrinæ noscuntur, per juris Canonici volumen sparsa: proinde id decretum dictæ Censuræ contradicit: uti etiam dictæ Facultatis unanimi consentione concepta declaratio, anno labentis sæculi 59. his verbis expressa. *Omnes & singuli Magistri nostri palam apertoque ore professi sunt, nihil se in summorum Pontificum auctoritatem decernere, aut moliri aut etiam cogitare velle. Imò verò omnes & singuli, ut obedientiæ filij ipsum Romanum Pontificem ut summum Iesu Christi Vicarium, & universalem Ecclesiæ*

pastorem , cui plenitudo potestatis à Christo data sit , cui omnes utriusque sexus obedire, cujus decreta venerari, & pro se quisque tueri, & observare teneatur, & semper agnoverunt , & confessi sunt , ita nunc quoque sincerè , fideliter , & libenter agnoscunt & confitentur.

Præterea, ut ex dictis claret, illi Censuræ Scripturarum Oracula adversantur, Romanorum Præsulum , Romanæ & Universalis Ecclesiæ sententia reclamat; clarissimorum Ecclesiæ Doctorum , ac gravissimorum Galliæ Antistitum , nec non Majorum Scholæ Parisiensis, atque cæterarum Nationum perillustrium Scriptorum dogma opponitur. Proinde liquet quo loci habenda sit. Denique cum nedum tot sibi reclamantes habeat, sed eos insuper in Santarello tam graviter damnet (res à sæculis inaudita) evidens est , ipsam penitus corruere , quatenus indirectam Romanæ Sedis exauctorandi Reges potestatem tantopere contestatam & firmatam proscribit.

Dicit deinde *Natalis* , quod eamdem Censuram Sacra facultas renovaverit diebus 4. Novembris , 1. & 7. Decembris anni 1682. easdemque notas inus-

serit

ſerit Titulo, quem F. Franciſcus Malagola, Prædicator Italus quibuſdam Theſium ſuarum, pro Majore Ordinaria clanculùm appoſuerat, in quo utriuſque poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſecularis apicem S. Petro & ejus Succeſſoribus Romanis Pontificibus tribuebat his verbis: *Dei Vicario*, &c. *Omnia liganti & ſolventi ſuper terram & in cœlis, id eſt tenenti apicem utriuſque poteſtatis.*

Reſpondeo, renovatam Cenſuram non plus valere, quàm primo latam: quare ſi dictus Frater hoc Titulo duntaxat voluerit indirectam poteſtatem, gloriari poteſt, utì & Santarellus, quod hæc proſcriptio tot & tanta involvat, ut eorum pondere corruat; ſi verò etiam directam; in eam eſt Canoniſtarum & aliorum gravium aſſenſus: quod ſufficit, ne Malagola & Santarellus meritò damnentur, & tã duram ſententiã ſuſtineant.

Dictæ verò Cenſuræ doctrinam in tantum *Natalis* zelat, ut aſſerat pag. 397. *non atramento ſolùm, ſed toto profuſo ſanguine, ſi opus eſſet, ſubſcriberemus.* Sed illi poteſt applicari illud Ambroſij ad Theodoſium Imperatorem (quod fruſtrà voluit Gregorio noſtro adſcribere) *Habent*

aliqui

aliqui zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam. Majoris certè faciendus eſt ſanguis humanus, quàm ut pro tam inaniter prodigeretur.

Itaque abſtrahendo, an dicta Cenſura ſub Sacræ Facultatis Pariſienſis nomine verè circumferri poſſit, concludo Gregorij VII. doctrinam non eſſe meritò ab ea damnatam. Quia autem prælibatus Author tam indignè hanc doctrinam notatam voluit, & quidem per cenſuram à proprijs etiam non approbatam, juvat hic notam inſerere, ipſius doctrinæ inuſtam à Sacra Inquiſitione Toletana, ſummæ poſt Romanam auctoritatis: quæ die 10. menſis Junij, anni 1683. ſic pronuntiavit: *Nos Inquiſitores Apoſtolici contra Hæreticam pravitatem & Apoſtaſiam in civitate, Regno, & Archiepiſcopatu Toletano, una cum Epiſcopis Abulenſi, & Seguntino,* &c. *Auctoritate Apoſtolica & ordinaria,* &c. *Omnibus & quibuſcumque perſonis,* &c. *Scitote quod nobis innotuerit aliquos libros & chartas fuiſſe impreſſas & divulgatas, quæ jubemus & colligantur, & prohibeantur ex toto: ſunt autem ſequentes: Liber unus in quarto majori cui titulus:* Henningi Arniſæi Halber-

Cenſura Toletana.

Halberſtadienſis Operum Politicorum editio nova &c. *& altero titulo* , Henningi Arniſæi Alberſtadienſis de jure Majeſtatis libri tres , &c. *Quia continet propoſitiones hæreticas : & ſpeciatim Tom. 2. Tractatu* de ſubjectione & exemptione Clericorum. *Item* de poteſtate Papæ temporali in Principes , *in defenſionem Wilhelmi Barclaij*. "Quod ,,Pontifex aut Eccleſia non habeat ullam ,,poteſtatem directè aut indirectè in ,,Regum temporalia, & quod non poſ- ,,ſint exui ſuis Dominijs , nec ſubditi ,,abſolvi Sacramento fidelitatis , qua- ,,cumque de cauſa." *Quæ propoſitio eſt erronea & ſchiſmatica.*

AR-

ARTICULUS SEPTIMUS.

In Hist. seculi XI. Dissert. II. art. X.

R. P. Natalis Alexandri assertum Secundum.

Nullius sunt roboris argumenta, quibus novam illam ac singularem opinionem suam de potestate exauctorandi Reges Romano Pontifici & Ecclesiæ à se attributa probare nititur Gregorius VII. in Epistola ad Herimanum.

SAtis irreverenter *Natalis* Epistolam tractat, quam venerari tenetur. *Cum* Herimannus (inquit Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi) *totis medullis cordis adhæreret præceptis Apostolicis, & è contrario omnia ei intentaret adversa indignatio Regia, & fallax adulantium ei lingua, conquerentium non posse auctoritatem sanctæ Rom. Ecclesiæ Regem Imperatoris filium à Deo electum & honoratum, sanctam illam Regiæ Majestatis dignitatem à sæculis honoratam deponere, & à gremio Matris Ecclesiæ segregare, & concessâ privare potestate, cum non esset* pote-

potestas nisi à Deo; quæ autē sunt à Deo, ordinata sunt: & ille à Sede Apostolica contra rabiem oblatrantium curationis expeteret antidotum, ut erga eorum impetus scriptis Apostolicis quasi clypeo defensionis muniretur, hanc ei ab Vrbe mitissimus Doctor misit Epistolam per R. Abbatem Virdunensis Monasterij, ita auctoritatibus divinarum Scripturarum munitam atque refertam, doctrinaque Apostolicæ sale conditam, at hæc sola sufficiat Fidelibus ad confutandam adversariorum ineptam stultiam.

"Gregorius Episc. servus servorum „Dei dilecto in Christo Fri. Herimanno „Metensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Quod ad perferendos labores & pericula", &c. *Vide libri* 8. *Epist.* 21. *Hanc igitur Epistolam Metensis Episcopus suscipiens, plurimùm confortatus est in Domino.* Sigebertus, qui inter Schismaticos scientiâ, ast malè applicatâ, eminebat, eam scripto impetijt: quod & fecit Author Apologiæ pro Henrico contra Gregorium VII. Operis contumelijs & blasphemijs in Sanctum Pontificem referti. Gloriari potest *Natalis*, sed non in Domino, his asserti sui patronis; ego verò pro illius refutatione hanc statuo, & sit ordine

ASSERTIO SEPTIMA.

Gregorij Papæ VII. Epiſtola ad Herimannum de Sedis Apoſtolicæ & Eccleſiæ poteſtate exauctorandi Reges à cunctis Orthodoxis eſt venerabiliter ſuſcipienda.

UT enim olim S. Nicolaus 1. Epi. 42. ad Galliæ præſules ſcripſit. *Diverſorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum decreta in hoc vos contempſiſſe negotio non immeritò reprehendimus. Abſit enim, ut cujuſcumque uſque ad ultimum vitæ ſuæ diem, qui in fide Catholica perſeveravit, vel decretalia conſtituta, vel de Eccleſiaſtica diſciplina qualibet expoſita, debito cultu & cum ſumma diſcretione non amplectamur opuſcula. Quæ duntaxat & antiquitus Sancta Romana Eccleſia conſervans vobis quoque cuſtodienda mandavit, & penes ſe in ſuis archivis & vetuſtis ritè monumentis recondita veneratur. Abſit ut ſcripta eorum*

eorum quoquo modo parvipendenda ducamus, quorum videmus Deo auctore sanctam Ecclesiam, aut roseo cruore floridam, aut rorifluis sudoribus, & salubrius diebus eloquijs adornatam. Si enim ipsorum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita quod Sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur, quantò potiùs, quæ ipsa pro fide Catholica, profanis dogmatibus, pro varijs & multifarijs Ecclesiæ necessitatibus & fidelium moribus diverso tempore scripsit; omni debent honore præferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione & dispensatione Magistrâ reverenter assumi? ......Inter ipsos Canones unum B. Leonis Capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia Decretalia constituta Sedis Apostolicæ custodiri mandantur, ut siquis in illa commiserit, noverit sibi veniam denegari. Ait verò cap. 5. suarum decretalium: Nequid verò sit quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentij, quam omnium Decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra

dilectione

dilectione custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari....... Consonat autem huic Beatissimo Papæ Leoni Sanctus & facundissimus in decretis suis Papa Gelasius ita inquiens; Decretales Epistolas, quas Beatissimi Papæ pro diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum Patrum consultatione dederunt venerabiliter suscipiendas decernimus.*

* In Conc. 70. Episcop. Romano.

Hoc ipsum Ecclesiæ assensu & praxi firmatur, quæ Romanorum Præsulum Decretales Epistolas, velut irrefragabilis auctoritatis argumenta suscipit & veneratur: adeo ut vim Canonis aut Decreti apud omnes sortiantur. Porro Gregorij VII. Epistolam ad Herimannum esse Decretalem, liquet ex Decretalium descriptione à SS. Gelasio & Nicolao in proximè adductis expressâ; igitur ab ab omnibus Orthodoxis venerabiliter suscipienda est.

Frustrà quis opponet, non probari ex prælibatis Pontificibus esse venerabiliter suscipiendas omnes decretales eorum Successorum: frustrà inquam, quia non alio motivo illi suorum Antecessorum Epistolas decretales suscipiendas & custo-

custodiendas voluerunt ; nisi quod eorum essent, qui B. Petro in plenitudinem potestatis successerant, universalis Ecclesiæ Rectores, Pastores & Doctores ; quorum proinde rescriptis par esset à cunctis deferri. Cum igitur omnes Romani Præsules in hanc amplissimam potestatem succedant, Orthodoxos oportet omnium Epistolas Decretales debitâ veneratione complecti. Quod & iterum universalis Ecclesiæ usus confirmat, dum in hanc diem quæ per has Epistolas (cujuscumque sint Romani Antistitis) constituta fuere, ab omnibus ad causarum definitiones citari consuevêre.

Nec est quod quis reponat, Gregorium VII. in Epistola ad Herimannum propriam causam decidere & tueri, ut hinc conficiat, non oportere illam suscipi. Id enim inane est, & à cordato Catholico minimè proferendum, sed scripto aut voce reprimendum & refellendum, utpote Hetherodoxis familiare, ad Pontificum testimonia eludenda, quibus Doctores Catholici eorum auctoritatem stabiliunt. Sic Witakerus ore blasphemo garrit : *Ab ipsis Pontificibus*

 adferri

adferri testimonium, qui fuerunt semper in sua causa insolentissimi. Et Marcus Antonius de Dominis Spalatensis ex-Epis. ait : *Hos non esse idoneos teste in propria causa.* Qua in re turpiter falluntur dum non discernunt cujus personæ causæ sit.

Illius namque est, qui totius Dominici gregis Pastor, corporis mystici Caput, ac ædificij spiritalis Fundamentum est; quo proinde concusso, superstructam ædificationem ruere, quo deficiente, corpus interimi, & quo disturbato, oves dispersum iri, necessum est. Illius autem, ait Leo Magnus Epist. 89. *Sacratissimam firmitatem nimis impia vult præsumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere.* Itaque Gregorius VII. suam adversùs Schismaticos potestatem in temporalia Regum stabiliens, non tam propriam, quàm communem, non tam suam, quàm Ecclesiæ causam egit, feliciterque perfecit: illis quidem reclamantibus, ac virum Sanctum criminantibus; verùm Orthodoxis suo Pastori gratulantibus & studiosè faventibus. Quare dicta Epistola eo majori in pretio à fidelibus habenda est, quo tantæ causæ vindicias continet.

Refel-

Refelluntur R.P. Natalis Alexandri objectiones contra Gregorij VII. Epistolam ad Herimannum.

MAgna libertate hanc Epistolam *Natalis* carpit. Ast eo infeliciùs id attentavit, quo ubique à scopo aberrat, & indigna, quæ profert, in ipsum revertuntur.

Primum hujus S. Pontificis firmamentum, quo suam in Reges potestatem comprobat, petitur ex illo Matth. 16. *Tu es Petrus*, &c. *Tibi dabo claves Regni cœlorum; & quodcumque solveris super terram*, &c. A qua potestate Reges non esse exemptos asserit, cum sint de ovibus, quas filius Dei B. Petro commisit.

Verùm hac ratio (reponit *Natalis*) *qua Gregorius VII. suam ut privati Doctoris opinionem probat, nullius ponderis est si adhibeatur locus ille Evangelicus ad asserendam Ecclesiæ potestatem in temporalia Regum, qui ipsius Ecclesiæ non sunt feudatarij,* Objectio I.

& ad probandum quod Romano Pontifici conveniat authoritas absolvendi subditos à Sacramento fidelitatis. De solis namque peccatis & censuris intelligenda est Christi sententia ligandi & solvendi potestatem S. Petro, & in ipso omnibus Pontificibus tribuentis. Ita hunc locum exponunt Patres, quorum loca indicare satis erit: Origines Tract. 1. in cap. 17. Matth. S. Cyprianus Epist. 37. ad Lapsos, & lib. de Vnitate Ecclesiæ, S. Hilarius Canone 18. in Matth. S. Pacianus, Epist. ad Sympronianum, S. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentiâ cap. 2. & enarratione in Psalm. 33. Amphilochius in Oratione de Pœnitentia, S. Ioannes Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, Homilia 55. in Matthæum, & Sermone 51. de utilitate lectionis Scripturæ Sacræ, S. Hieronymus in caput 18. Matthæi, S. Augustinus in Psalmum 101. Concione 2. Sermone 8. de verbis Domini super Matthæum & Homilia 27. inter quinquaginta, S. Leo in Sermone 2. de Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli; S. Gregorius Magnus Homilia 26. in Evangelia, Venerabilis Beda in Caput 16. S. Matthæi, & in 21. S. Ioannis, &c. Hi (inquam) omnes potestatem ligandi & solvendi ad sola peccata extendunt,

tendunt, solisque animabus circumscribunt.

Respondeo dicendum primò, hanc sententiam esse Gregorij VII. ut Ecclesiæ Catholicæ Doctoris: eam siquidem (ut art. 5. Monstratum est) in Synodo Romana præsidens edidit, & promulgavit, ad Ecclesiæ statum per Principum usurpatam potestatem pessundatum, restaurandum. Præterea eamdem tradidit in Epistola Decretali; Decretales autem Epistolæ non sunt Romanorum Pontificum ut privatorum Doctorum, sed ut Ecclesiæ Pastorum. Eâ etenim solâ ratione Canonis aut Decreti vim obtinent. Unde Innocentius IV. *rogatus* (inquit Barbosa ex Alphonso de Castro, in Collectaneis ad Can. 6. dist. 40. num. 38.) *an vellet, quæ in Iure Pontificio scripsit, pro lege teneri, respondit se minimè velle, quia non ea ut Pontifex, sed ut Doctor privatus scripserat.* Quare Gregorij VII. Epistola ad Herimannum & doctrina in ea expressa ejus est ut Ecclesiæ Doctoris. Ex quo colligitur Romanum Præsulem modo duplici se gerere ut Ecclesiæ caput, docendo populum, primo Universalem, secundo par- *Solutio.*

ticularem Ecclesiam , sive alios privatos instruendo.

Dicendum 2. inconsequenter denegari Romano Pontifici omnem in temporalia Regum potestatem , dum ei asseritur auctoritas in illos ferendi censuras. Excommunicatio quippe (ut ex Theologia notum est) nedum à Sacris adversùs Ecclesiam contumaces,sed etiam à civili conversatione Fidelium arcet : unde si Rex aut Princeps sit nominatim excommunicatus , à suis etiam vitari debet , eoque tempore ab obedientiæ & fidelitatis vinculo solvuntur aut solvi possunt. Cap. *Nos Sanctorum.* 15. 6. cap. *Iuratos.* ibidem. & cap. *Absolutos* lib. 5. Decretal. de Hæret. Tit.7. Quæ Romanorum Pontificum decreta venerari *Natalis* peculiariter obstringitur ob paulò supra exhibita Sorbonæ,& Facultatis Parisiensis decreta.

Vindicatur locus Matth. 16.

Dicendum 3. neminem adductorum Patrum potestatem ligandi & solvendi S. Petro & Ecclesiæ traditam ad sola peccata extendere , solisque animabus circumscribere. Ad cujus evidentiam opus non est eorum loca producere,cum facilè quisque colligere possit non esse

æquè

æquè urgentia aut urgentiora in eum finem (aliàs satis expressisset) quàm quæ velut rem ipsam conficientia subijcit his verbis: *Philippus Celestini I. in Concilio Ephesino legatus Actione III. ejusdem loci expositionem genuinam & per traditionem in Ecclesia Romana conservatam suggerit*: "Sæculis omnibus notum est, „*inquit*, quod B. Petrus claves Regni „cœlestis accepit, solvendique ac ligandi „peccata potestas ipsi data est." *Eamdem expositionem confirmat S. Gregorius Magnus in libro Sacramentorum in festo Cathedræ S. Petri hanc Orationem præscribens*: "Deus qui Beato Apostolo tuo Petro „collatis clavibus Regni cœlestis ani- „mas ligandi atque solvendi Pontifi- „cium tradidisti: concede ut ejus „intercessionis auxilio â peccatorum „nostrorum nexibus liberemur." *Ita hanc Orationem exhibet Romana editio Operum S. Gregorij, quæ Gregorio XIII. Pontifice maximo curata, eique dedicata est. Ad Gregorianam Orationem respectum habet B. Petrus Damiani Serm. I. de S. Ioanne Evangelista dicens*: "Tacet is cui portæ „inferi non prævalent qui ligandi ani- „mas atque solvendi obtinet Principa- tum."

„tum." *Ad eamdem Orationem attendebat Iulius II. in Diplomate XXIII. quod Seraphinus Cherubinus in Bullario refert:* "Liquet omnibus fidei cultoribus, *in-* „*quit*, Beatum Petrum ab ipso Salvatore „nostro Jesu Christo Apostolorum „Principem fuisse constitutum, eique „ligandi ac solvendi animas cœlesti pri- „vilegio traditam esse potestatem."

Respondeo, *quod* (ut præclarè docet Eminentissimus Turrecremata Summ. de Eccl. lib. 2. cap. ult. in Resp. ad 1.) *sicut in collatione principalis intelligitur accessorium, etiamsi de illo nulla fiat expressa mentio, & in collatione majoris intelligitur collatio minoris, quod ordinatur ad illud, & in collatione regiminis intelliguntur collata omnia, sine quibus rectè expediri sive exequi non potest regimen illud: ita & in collatione potestatis spiritualis Papæ sicut Capiti & Rectori totius Politiæ Christianæ necessariò venit intelligenda collatio potestatis sæcularis quantum necessarium est ad conservationem bonorum spiritualium & directionem Fidelium in Regnum Cælorum. Vnde in collatione clavium cælestium maximè quoad clavem jurisdictionis intervenit traditio clavium terrenorum in vim cujus-*

cujusdam consequentiæ modo quo dictum est superiùs.

Nec oportebat aliquid exprimere de collatione Regni terreni, sive jurisdictionis temporalis, quia, ut diximus, in collatione principalis, scilicet potestatis Regni cœlorum, satis intelligebatur. Sic itaque in potestate ligandi & solvendi animas intelligi debet potestas in corpus & temporalia prout animæ saluti contribuunt. Quare nihil ex adductis testimonijs habetur, pro ligandi & solvendi potestatis B. Petro & Ecclesiæ traditæ ad sola spiritualia restrictione. Qui sensus adeo peregrinus est, ut Sixtus Senensis Ord. Præd. Sacrarum Scripturarum notitiâ eminens, lib. 6. Bibliothecæ sanctæ, solum referens Joannem Ferum, talem sensum exprimentem, ipsum ab eo nota eximere nitatur. Verba Feri sunt hæc: *Tertiò observandum & illud quod signanter dicit: Tibi dabo claves Regni cœlorum. Non dicit, Regni terrarum. Nihil hæc verba spectant ad terrenam potestatem: quam tamen ex his verbis stabilire nituntur, asserentes Petrum nedum in spiritualibus, sed in externis plenitudinem potestatis accepisse: id quod Bernardus lib. 1. de Consideratione*

deratione ad Eugenium manifestè arguit. & cæt. quibus ſubdit Senenſis: *Huc uſque Ferus ſive magis alius quiſpiam Feri nomine. Non enim deſunt teſtes fide digni, qui pro certo aſſeverent ipſius commentaria in Matthæum, poſt mortem Authoris antequam excuderentur, ab hæreticis, præſertim hoc loco depravata. Ioan. Calvinus noſtrorum temporum hæreſiarcha, in illa ſua impia Inſtitutione cap. 8. abutitur adversùs Pontificiam dignitatem eodem Bernardi teſtimonio, quod tamen ſi, depoſitis privatis odiјs æquo animo conſideretur, non id infert, quod ex eo Calvinus perperam colligit, nempe Romano Pontifici nullum in ſæcularibus Regnis jus eſſe.* & cæt. quibus egregiè Bernardum vindicat à ſenſu, quem illi Calvinus affingit. Pro cujus luce, ac textûs Evangelici ſenſu, ex prænominato Turrecremata, duplicem diſtinguit temporalium Rerum poteſtatem: Monarchicam ſcilicet & Paſtoralem. *Monarchicam*, inquit, *appellat eam quæ hominem conſtituit Vniverſi Monarcham, hoc eſt, quæ illum ſic efficiat ſummum ac ſingularem rerum omnium Dominum, ut non ſolùm, ei liceat Monarchæ jus & nomen ſibi ipſi vendicare, ſed etiam ſuæ ditioni*

ſubditos

subditos ad Principatus, Regna & Imperia, utcumque ei visum fuerit, assumere; assumptos verò etiam sine causa ab iisdem Regnis deponere, & ea Regna de uno ad alterum pro suæ voluntatis arbitrio tranferre. Hujusmodi ergo potestatis genus existimat Romanum Pontificem jure Pontificatûs sibi usurpare non posse.

Cæterum Pastoralis rerum temporalium potestas ea est, quam œcumenicum totius Christiani Orbis Pastorem ex pastoralis curæ officio habere decet pro conservatione Ecclesiasticæ Hierachiæ, & administratione ac dispensatione spiritualium Ecclesiæ bonorum. Hanc quidem Romanus Pontifex Apostolico jure & Evangelico præcepto habere cogitur. Cum enim ei à Christo mandatum sit, ut veluti universalis Christiani ovilis Pastor universum Christi gregem pascat, eique claves datæ sint, quibus seu janitor, & claviger Regni cælestis oves sibi traditas introducat ad æternam felicitatem, necessarium est, ut Principum, Regum, & Imperatorum, qui primariæ sunt Christiani Gregis oves, curam gerat, & summâ diligentiâ annitatur, ut eorum dignitates, Imperia, Regna, cæteraque terrestria commoda serviant, ad illustrandam

Potestas Pontif. in Reg. illustratur.

dam

dam Christi gloriam, ad propagandum Religionis Christianæ cultum, ad firmandam Ecclesiæ quietem, & consequendam æterni Regni beatitudinem: in quam ut scopum & finem regnandi ultimum, omnia Christianorum Regum Regna prospiciunt. Necesse est etiam, ut ipse ingentem & assiduam adhibeat sollicitudinem, ne sæcularium Principum negligentiâ aut malitiâ hæreses, schismata, dissidia, bella, atque alia his similia inter oves, Apostolicæ curæ commissas, oriantur: & si exorta fuerint, ejus partes sunt, ut Principes Ecclesiasticæ pacis perturbatores, primùm paternè admoneat, & juxta Pauli & Christi legem corrigat & corripiat; deinde si monita neglexerint, eos Ecclesiasticis animadversionibus & censuris coërceat. Quod si fortè in reprobum sensum traditi, has quoque contempserint: tunc Pontifex (si tamen id Ecclesiasticæ tranquillitati expedire cognoscet) populos absolvere poterit à juramento obedientiæ, quo se Dominis illis devinxerant, cum adhuc justè imperarent. Ei quoque licitum erit ipsos Dominos, ut incorrigibiles & Ecclesiæ rebelles Principatuum suorum jurisdictione privare, & eorum jura ad alios Orthodoxos Principes transferre;

convo-

convocatis etiam, si opus fuerit, militaribus piorum Ducum ac Regum auxiliis ad correptionem rebellantium filiorum: quod & gravissimi Scriptores testantur olim, & sæpe, & jure factum à Romanis Pontificibus.

Sensus itaque verborum Christi, *Quacumque ligaveris*, &c. quem *Natalis* Prætendit, Patribus incognitus, & peregrinus est: nec quidquam juvant in ejus favorem adducta. Ex ijs nihilominus hic Author, non erubescit concludere: *Quæ cum ita sint, verba illa Christi*, Quodcumque ligaveris, &c. *de potestate absolvendi subditos à Sacramento fidelitatis, quo Regi sunt adstricti, intelligi non debent; & qui sic intelligeret ac exponeret, peccaret contra decretum Synodi Tridentinæ & contra professionem Fidei ab ipso præscriptam. Decrevit scilicet Sancta Synodus Sess. IV.* "Ut „nemo suæ prudentiæ innixus in rebus „fidei & morum ad ædificationem doc„trinæ Christianæ pertinentium Sacram „Scripturam ad suos sensus contor„quens, contra eum sensum quem te„nuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, „cujus est judicare de vero sensu & interpre-

Gravis accusatio.

„terpretatione Scripturarum Sancta-„rum, aut etiam contra unanimem con-„sensum Patrum, ipsam Scripturam interpretari audeat; &c." *Gregorius vero VII. qui hoc loco usus est, eâ ratione posset fortaßis excusari, quod illum adhibuisse duntaxat videatur ad probandum potestatem excommunicandi Reges, aquè ac cæteros peccatores contumaces, Ecclesiæ à Christo traditam, non autem ad probandum potestatem absolvendi subditos à Sacramento fidelitatis, & supremos Principes Ecclesiæ nullatenus feudatarios exauctorandi. Cum enim utrumque Apostolicæ Sedi vindicare nitatur Gregorius in illa ad Herimannum Epistola, satis est, ut ejus probationes ad alterutrum referantur. Id verba ejus ostendunt* : "Quod autem „postulasti & cæt. quæ vid.pag.297.

Refellitur. Respondeo, id dicterium eò facilius refelli, quo iterum in proferentem relabitur. Dictorum quippe Christi verborum sensum à Gregorio VII. datum amplexa est Synodus Romana III. sub ipso celebrata, eumdem expressit Generale Lugdunense Concilium sub Innocentio IV. (ut videre est art. 4.) cum ergo Author ille sensum hunc respuat, & alie-

num

num invexerit, Sedi Apoſtolicæ, Romanæ Eccleſiæ, & Univerſali incognitum (quippe ab ipſis eum haudquaquam accepit, ſed duntaxat è Patribus prætendit, qui illum tamen non tradunt, conſequens eſt, quod ipſe illius reus exiſtat, cujus ſupremum Eccleſiæ Caput, Romanam & Generalem Synodos inſimulare convincitur. Quod pro Gregorij VII. excuſatione aſſerit, negare tenetur, ſi alio in loco ſibi velit conſtare. Siquidem pag. 376. eadem verba Pontificis referens, *poteſtatem*, inquit, *excommunicandi Principes ſceleribus obſtrictos nullus tunc negabat. Id negabant unum Germaniæ & Galliæ Præſules, ac viri eruditi abſtinendo ſuo merito Principibus Regiam poteſtatem tolli poſſe, & ſubditos à juramento fidelitatis abſolvi.* Quomodo ergo juxta ipſum videri poteſt Gregorius dictum locum *adhibuiſſe duntaxat ad probandum poteſtatem excommunicandi Reges æquè ac cæteros peccatores contumaces, Eccleſiæ à Chriſto traditam, non autem ad probandum poteſtatem abſolvendi ſubditos à Sacramento fidelitatis, & ſupremos Principes exauctorandi?* Ad utriuſque probationem (quia hanc Herimannus roga-

rogabat) dictum eloquium Gregorius adhibuit, ſicque verum illius ſenſum aperuit. Hunc ab ipſo *Natalis* ſecurè & reverenter (ut decet Eccleſiæ filium) recipere debuerat, ſingulariter, cum eum cognoſcat, *Spiritus Sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ductum in Eccleſiæ regimine*: ad quod dictæ Epiſtolæ ſcriptionem ſpectare, ambigendum non eſt. Nihilominus Sanctum Pontificem ſic inhonorare pergit.

Objectio II. *Non minus abuſus eſt Gregorius VII. auctoritate Apoſtoli Pauli* 1. *Cor.* 6. *dicentis*: Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus, quanto magis ſæcularia? *Propriam enim Sacerdotum poteſtatem eo loci S. Paulus non innuit, ſed communem fidelium omnium in judicandis Fratrum litibus, quæ de ſæcularibus rebus moventur facultatem, ſi ad ipſos cauſarum hujuſmodi arbitrium deferatur. Sanè ſi quotquot Angelos Apoſtatas judicaturi ſunt, de Regibus judicium ferre poßint; non modo Pontifex, ſed privatus quiſque de Fidelium grege, poterit de Regijs capitibus decernere, quo quid abſurdius?*

Solutio. Reſpondeo & hanc maledicentiam reverti in authorem ſuum. Apoſtolus ſiquidem

quidem Fidelium in judicandis fratrum litibus facultatem determinans, suum verbum ad eam non limitat, sed è principio generali à majori ad minùs specialiter concludit: ut ipse contextus indicat. Potuit proinde Gregorius, sine textûs abusu ex eodem principio suam in Reges potestatem concludere. Huic sensui assensum præbuit septima Romana Synodus, qua aspirante & auscultante, Pontifex in Henricum ferens exauctorationis sententiam, ad eum Apostoli locum sic in illa allusit: *Agite nunc, quæso Patres & Principes Sanctissimi, ut omnis mundus intelligat & cognoscat, quia si potestis in cœlo ligare & solvere, potestis in terra Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium hominum possessiones pro meritis tollere unicuique & concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus frequenter tulistis pravis & indignis, & religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia iudicatis, quid de sæcularibus vos posse credendum est: & si Angelos dominantes omnibus superbis principibus iudicabitis, quid de illorum servis facere potestis? Addiscant nunc Reges & omnes*

SS. Petrum & Paulum invocat.

 sæculi

ſæculi Principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis, & timeant parvipendere juſsionem Eccleſiæ veſtræ: & in prædicto Henrico tam citò judicium veſtrum exercete, ut omnes ſciant, quia non fortuitò, ſed veſtrá poteſtate, cadet. Eumdem Apoſtoli locum de Pontificiæ auctoritatis amplitudine expoſuit Innocentius III. doctiſſimus & ſacris Litteris eruditiſſimus Pontifex lib. 4. Decret. c. *Per venerabilem: Paulus etiam*, inquit, *ut plenitudinem poteſtatis exponeret ad Corinthios ſcribens ait*: Neſcitis quoniam Angelos judicabitis, quantò magis ſæcularia?

Nec propterea abſonum illud ab *Opponente* deductum ſequitur: Uti enim non cuilibet Fidelium facultas competit fratrum judicandi lites, ſed ijs duntaxat, qui ad hoc ſunt conſtituti, ita non cuilibet *de Fidelium grege* poteſt de Regibus & Regnis *decernere*, ſed ille quē Dominus conſtituit ſuper univerſam familiam ſuam, cui propterea, nempe Romanæ Cathedræ Præſuli, Imperatores, Reges, Principes, & reliquos fideles eorumque temporalia omnia ſubiecit, quantùm neceſſe eſt pro ejus conſervatione & pace. Itaque Apoſtolici Textûs ſenſus à Gregorio

gorio VII. datus suspici & recipi debet, & restrictio ab *Arguente* excogita velut à sacro Textu discordans reijcienda est.

Duo deinde hujus Pontificis momenta idem Author oppugnat, videlicet verum sensum Gregorianæ constitutionis contra infractores privilegij concessi Monasterio S. Medardi, & veram Childerici à Zacharia exauctoratione narrationem: sed art. 1. vindicata sunt. Ulterius sic pergit.

Neque hac solùm de Childerici exauctoratione à Zacharia narratio, sed & alia istius Epistola ad Herimannum capita, probant Sancto Pontifici non licuisse per otium discutere accurato criterio omnia momenta, quibus privatam illam suam, non Sedis Apostolica de potestate exauctorandi Reges sententiam confirmare nititur I. laudat Epistolam Iulij. 1. ad Orientales, non quam refert S. Athanasius, sed qua venerando Iulij nomini supposita probatur ex falsa nota consulatus; & ex illis ipsis verbis qua Gregorius VII. laudat: "Habet „enim potestatem Romana Ecclesia „singulari privilegio concessam, aperire „& claudere januas Regni Cœlestis „quibus voluerit." *Non enim pro sua vo-* Objectio III.

 luntate,

luntate, sed pro subjectorum meritis ligare & soluere sacerdotes debent, ut S. Gregorius Magnus docet homilia 26. in Evangelia "Sæpe, *inquit*, in solvendis ac „ligandis subditis suæ voluntatis motus, „non autem causarum merita sequitur; „unde fit ut ipse hac ligandi & solvendi „potestate se privet, qui hanc pro suis „voluntatibus, & non pro subditorum „moribus exercet......Causæ ergo pen„sandæ sunt, & tunc ligandi atque sol„vendi potestas exercenda." *Aliud sensisse Iulium. 1. incredibile est.*

Solutio. Respondeo, quod hæc Epistola venerando Julij nomini supposita non sit. De ea namque hæc notat Severinus Binius Tom. 2. concil. Collect. Regiæ: *Hoc rescriptum Iulij cum ea responsoria Epistola, quam ab Athanasio recitatam infra statim subjunximus, partim convenit, plurimum verò ab eadem differt. Cum utraque Eusebianos cum Athanasio ad Concilium Romæ anno 340. indictum citatos esse referat, utraque etiam Athanasium ad statutum diem adfuisse, Eusebianos autem contumaciter remansisse, enarret; demum utraque Epistola illius, quam ab ipsis post celebratam Antiochenam Synodum*

scriptam

ſcriptam, poſtque Gregorium Cappadocem anno Chriſti 342. magna & horrenda Alexandrinorum ſtrage introductum, ſuperbè, faſtuosè, & contentiosè ſcriptam fuiſſe referat, meminerit utramque unam eamdemque Iulij Epiſtolam eſſe oportet.

Hanc mendoſam & corruptam, & à quodam ex diverſis compilatam: Illam vero quæ ex Athanaſio deſumpta infra ſubditur, Germanum exemplar eſſe Iuliani ad Orientales Epiſcopos reſcripti, dubium non eſt. Hanc mendoſam eſt eſſe & corruptam, Conſulatus Feliciani & maximiani infra hic in fine additus, apertè demonſtrat: non tamen eſſe ſuppoſititiam: quod neque ex verbis; quæ Gregorius VII. profert, probatur. Eadem enim poſt Julium habet magnus Pater Auguſtinus de SS. Apoſtolis Petro & Paulo Sermone 10. incipiente his verbis; *fortis & humilis*; ubi utriuſque eminentiam admirans, ſic exclamat: *O omnipotentia & ineffabilis gratia Salvatoris! Quis perſecutorem Paulum Martyrem crederet eſſe futurum? Quis plebeium piſcatorem Apoſtolorum futurum crederet Principem, & Regibus obſiſtere, Reges ſanctificare, Regibus omnibus imperare, & mundum, frænare legi-* *Excelſa Petri Poteſtas.*

 bus,

bus, dæmones calcare sub pedibus, jubere virtutibus cœlum hominibus aperirent, cœlum clauderent cum placeret, immortale Regnum conversis donare, negare pravis merita, mundi cognoscere culpas & crimina hominibus relaxare? O inæstimabilis, & immensa potestas, hominem in terra positum tenere cœlum! Ecce nunc ad nutum Petri divini Regni claustra patescunt. Accepit enim à Christo claves Regni cœlorum, ut solutis vinculis delictorum aperiret credentibus cœlum. Hic porro sermo venerando Augustini nomini suppositus dicendus non est, igitur nec prædicta Epistola suppositia est.

Neque verba à Gregorio citata id volunt, quod ijs *Natalis* tribuit, sed Pontificiæ potestatis amplitudinem & summum imperium declarant. Quod quia rationabile esse debet, ideo Gregorius Magnus dicit non pro voluntatibus, sed pro moribus subditorum exercendum esse, & causas esse pensandas, & tunc ligandi atque solvendi potestatem exercendam: quod nec Julius nec Augustinus verbis allatis negant, nec Gregorius VII. sensit.

Objectio IV. *Secundò profert Gregorius VII. Epistolam Clemen-*

Clementis Romani ad S. Iacobum, quæ certè suppostititi est, cum S. Iacobus multis annis obierit antequam S. Clemens Pontifex renuntiaretur. Nec tamen Gregorio VII. hæc Epistola favet Episcopum enim. "In „aliqua occupatione mundialis negotij „occasione perplexum esse" *vetat*: *quem* "Judicem aut cognitorem sæcularium „negotiorum ordinare non vult Chri„stus". *Cum itaque Regis destitutio vel creatio negotium sit inter sæcularia maximè perplexum, Pontificibus ex authore istius Epistolæ non convenit.*

Respondeo, quod S. Pontifex hanc Epistolam non proferat, quasi esset S. Clementis, sed citet solummodo B. Petri verba quæ in ea leguntur, ut sui reprehensores ob Henrici exauctorationem illis assimilet, quos B. Petrus graviter notasse refertur. Unde stabilitâ Regum exauctorandorum & excommunicandorum auctoritate Apostolicæ Sedis, ait: *Quis nos Henricum non solum Apostolicorum judiciorum contemptorem, verùm etiam ipsius Matris Ecclesiæ quantum in ipso est conculcatorem, totiusque Regni & Ecclesiarum improbissimum prædonem, & atrocissimum destructorem deposuisse* Solutio.

 posuisse

posuisse & excommunicasse reprehendat nisi fortè similis ejus? Sicut B. Petro docente cognovimus in Epistola de Ordinatione Clementis, in qua sic ait: Si quis Amicus fuerit ijs, quibus ipse * *(de eodem Clemente dicens)* * *non loquitur, unus est & ipse ex illis, qui exterminare Dei Ecclesiam volunt, & cum corpore nobiscum esse videatur, mente & animo contra nos est, & est multo nequior hostis hic, quàm illi qui foris sunt & evidenter inimici. Hic enim per amicitiarum speciem, quæ inimica sunt gerit & Ecclesiam dispergit ac vastat.*

** amicus non est.*
** & locutus fuerit his, quibus ipse.*

Quare sit hæc Epistola S. Clementi supposita, potuit Gregorius VII. absque ulla redargutione verbis illis uti: cum æquè suo intento faveant, eamque Clementis esse non asserat, neque illa verba adducat ad juris quæstionem decidendam, sed ad quoddam duntaxat simile exprimendum.

Quod autem *Opponens* dicat hanc Epistolam Sancto Pontifici non favere, eo magis à scopo deficit, quo huic Papæ faventia præterit, & objectio, quam conficit, inefficax est. Prius namque ostendisse oportuerat, eam Epi-

Epistolam non favere in quem finem assumpta fuit, & tum demum ex illa argumentum pro adversa parte formasse. Quod certè nullius roboris est, cum, ut ex dictis constat pag. 49. Regis destitutio vel creatio, prout juxta Gregorium VII. ad Sedem Apostolicam pertinet, sęculare negotium non sit, multo minùs inter sæcularia maximè perplexum.

Tertiò asserit Innocentium Papam Arcadium Imperatorem excommunicasse, quia consenserat, ut S. Ioannes Chrysostomus à Sede expelleretur. At æqualium supparium-que Scriptorum de hujusmodi excommunicatione silentium ipsam fictitiam esse probat, Idatii, inquam, & Prosperi in Chronicis, Socratis, Sozomeni, Theodoreti in Historia, & Palladii in Vita S. Ioannis Chrysostomi. Et quæ ad ipsam asserendam obtrudi potest Innocentii ad Arcadium Epistola, post Dionysy Exigui ætatem conficta est, qui ipsam in Codicem Canonum retulisset, utì complures alias ejusdem Pontificis, in quarum nonnullis de S. Ioanne Chrysostomo mentionem facit. Denique Eudoxia, quæ simul excommunicata dicitur, ante tres annos obierat, quo tempore grando insolitæ magnitudinis Constantinopoli decidit, ut Objectio V.

constat

constat ex Socrate, Sozomeno, Marcellino, Zosimo, & Fastis Græcis. Hujus Epistolæ & fabulæ architectum Georgium Alexandrinum Monachum, qui ad annum 620. vixit, & Photium, Glycam, Nicephorum ab ipsis deceptos, viri eruditi censent.

Solutio. Respondeo, quod Epistolam Innocentij in qua cum Eudoxia excommunicatur Arcadius, ex codice Vaticano Cardinalis Baronius Annalibus Ecclesiasticis inseruerit ad annum 407. Illam esse confictam à Georgio Alexand. tam facilè negatur, quàm ab *Arguente* asseritur. Viris eruditis (si qui sint) id censentibus dictum Eminentissimum Cardinalem oppono, Antiquitatis notitiâ nemini secundum, à *Natali* jure optimo Ecclesiasticorum Annalium parentem passim appellatum: qui in illa Epistola nihil fictionis invenit. Quod *Dionysius Exiguus illam in Codicem Canonum retulisset*, hoc est divinare. Cum enim non inseruerit omnes, cur hanc omittere non potuit? Quod attinet Eudoxiæ obitum, ex Zonora & alijs præfatus Baronius ibidem commemorat, *post obitum Ioannis Chrysostomi nondum tribus mensibus elapsis contigisse prodiogosum ac planè miserandum*

ferandum interitum Eudoxiæ Augustæ. Porro Innocentius (ut idem refert) auditâ Chrysostomi morte, gravissimâ acrimoniâ aspersas, anathemateque terrificas, quibus tum Arcadium, tum ipsam Augustam, tum denique Episcopos sceleris complices excommunicat, litteras dedit. Extant item Litteræ Arcadij ad Innocentium, quibus ipsum absolutionem deprecatur, ac Eudoxiæ gravem morbum denuntiat, & aliæ Innocentij ad Arcadium, quibus hunc ab excommunicatione absolvit. Denique scelus excommunicatione dignum erat ab Arcadio & alijs admissum, excommunicandi potestas non denegatur: qua ergo de causa id factum negabitur? Citatorum Scriptorum ea de re silentium non sufficit. Multa enim & hodie momunta prodeunt, quorum veteres non meminerunt, quæ tamen ideo non suspectantur. Unde illa Innocentij Epistola fictitia non est, nec à Georgio Alexandrino Photius, Glycas, Nicephorus decepti dicendi sunt.

Quartò, Gregorius VII. asserit, Theodosium Magnum Imperatorem à S. Ambrosio excommunicatum fuisse, & ab Ecclesia exclusum: *Objectio VI.*

exclusum: quod æquè falsum est. Pœnitentiæ quidem Theodosium addixit S. Ambrosius, & quoad usque illam implevisset, aditu Mediolanensis Ecclesiæ illum prohibuit, sed ab Ecclesia simpliciter non exclusit, quem non invenit contumacem. Lege quæ de hoc Historiæ capite observavi in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Seculi IV. Cap. ultimo §. V. pag. 733. & 734. Quanquam etsi Communione à S. Ambrosio privatus fuisset Theodosius, perperam inde colligeretur, Reges à Romano Pontifice, aut ab Episcopis, vel Synodis exauctorari posse. Imò S. Ambrosius Theodosium Augustissimum Imperatorem vocavit, "& verecundia qua potuit, Im-,,periali arbitrio satisfecit", *ut Epist. 59. Lib. 7. profitetur.*

Solutio. Respondeo, Theodosium Magnum fuisse à S. Ambrosio excommunicatione punitum, testatur S. Gelasius I. Epist. 13. ad Dardiniæ Episcopos dicens: *Beatæ memoriæ Ambrosius Mediolanensis Sacerdos Ecclesiæ, Majori Theodosio Imperatori communionem publicè palamque suspendit atque ad pœnitentiam redegit Regiam potestatem.* Idem tradit Facundus Hermianensis lib. 12. pro defensione trium Capitulorum cap. 5. ubi sic

sic ait : *Non tale aliquid petimus corrigi, qnale fuit quod excomuunicatione ulciscebatur Ambrosius.*

Nec *Opponentem* juvant , quæ in Historia Sæculi IV. à se citatis locis observavit. Ys siquidem non obstantibus ibidem affirmat, fuisse ab Ambrosio Theodosium prohibitum ab ingressu Ecclesiæ , & communione Sacramentorum. Hæc verò sunt propriæ excommunicationis effectus (quod Theologis notum est) proinde ab Ambrosio in Theodosium lata est.

Ut hoc dictus Author effugiat, eodem loco asserit , quod hujusmodi prohibitio esset pœnitentibus universis communis. Ast planè aliter se res habebat. Quippe si quæ similis pœna imponeretur pœnitentibus, illam duntaxat decernebat Judex fori interioris seu sacramentalis : prohibitio autem facta Theodosio erat fori externi, manavitque palam à Judice Ecclesiastico ob publicum crimen Sacramentali confessione ipsi nō patefactum. Unde hæc prohibitio excommunicationem involvit, ejusque effectus est. Præterea apud Theodoretum Ambrosius in Historia Tripart. cap. 30. sic Imperatorem

rem alloquitur. *Recede igitur, recede, nec altero peccato priora crimina augere contendas. Suscipe vinculum, quo te omnium Dominus nunc ligat. Est enim medicina sanitatis.* Et Rufinus eumdem sic ibidem affatur. *Curram si tibi placet, Pontificique precibus persuadebo, ut solvatur vinculum, quod illigavit.* Denique Theodoretus eodem loco Theodosij absolutionem commemorans ait: *Quo facto vinculum ejus solvit Ambrosius.* Fuit igitur Theodosius vinculo excommunicationis ab Ambrosio innodatus. Illius contumacia supponi debet, nisi S. Præsulem incusare velimus: & aliàs eam satis innuit, dum citato loco, priusquam proferret sententiam, sic Imperatorem redarguit: *Nescis Imperator perpetratæ à te cædis quanta sit magnitudo, neque post causam tanti furoris, mens tua molem præsumptionis agnoscit, sed fortè recognitionem peccati prohibebat potestas Imperij.*

Hoc Ambrosij factum Gregorius VII. non adducit, ut probet, Reges à Romano Pontifice, aut ab Episcopis vel Synodis exauctorari posse, sed in Pontificiæ Reges excommnnicandi potestatis confirmationem, quam, ipso *Arguente*

asserente

asserente, B. Pontifex comprobat: unde paulò ante præmiserat: *Talibus ergo institutis, talibusque fulti auctoritatibus, plerique Pontificum, alij Reges, alij Imperatores excommunicaverunt. Nam si speciale aliquod de personis Principum requiratur exemplum, B. Innocentius Papa Arcadium Imperatorem, quia consensit, ut S. Ioannes Chrysostomus à Sede sua pelleretur, excommunicavit.* Et post pauca. *Et B. Ambrosius, licet Sanctus, non tamen universalis Ecclesiæ Episcopus, pro culpa, quæ alijs Sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodosium Imperatorem excommunicans ab Ecclesia exclusit.* Quod ergo inde non colligatur, Reges à Romano Pontifice exauctorari posse, inaniter obijcitur.

Quintò, S. Gregorium laudans in Epistola ad Mauritium Imperatorem, 31. lib. 4. nec ejus verba refert, nec sensum exprimit. Sic habet nempe Gregorius VII. "Hæc, ,,sicut B. Gregorius in Epistola ad Mau- ,,ritium Imperatorem directa comme- ,,morat, Constantinus Magnus Impe- ,,rator, omnium Regum & Principum ,,fere totius orbis dominus, evidenter ,,intelligens, in Sancta Nicæna Synodo ,,post omnes Episcopos ultimus resi- *Objectio VII.*

dens,

„dens, nullam Judicij Sententiam ſuper „eos dare præſumpſit; ſed illos etiam „Deos vocans, non ſuo debere ſubeſſe „Judicio, verùm ſe ad illorum pendere „arbitrium judicavit. *Sic autem S. Gre-„gorius Magnus*: Eccleſiaſtica quoque „teſtatur Hiſtoria, quia cùm Piæ Me-„moriæ Conſtantino Principi ſcripto „oblatæ accuſationes contra Epiſcopos „fuiſſent, libellos,quidem accuſationis „accepit, & eoſdem, qui accuſati fue-„rant, Epiſcopos convocans, in eorum „conſpectu libellos,quos acceperat, in-„cendit, dicens: Vos Dii eſtis à verò „Deo conſtituti, ite, & inter vos cau-„ſas veſtras diſcutite, quia dignum non „eſt,ut judicemus Deos."

Solutio. Reſpondeo, quod Gregorius VII. eadem omnino Gregorij Magni verba non referat, reprehendi non debet: hoc enim & ſacri Scriptores novi teſtamenti faciunt, veteris teſtamenti teſtimonia citantes. S. autem Pontificem expreſ-ſiſſe ſenſum, liquet conferenti verba: in quibus illud quod hic Pontifex addi-dit, nempe, *Verùm ſe ad illorum pendere arbitrium iudicavit*, ſatis involvebatur. Unde Conſtantinus in actis Nicænæ

Synodi

Synodi ſic ad Epiſcopos dixiſſe refertur: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, ideo nos à vobis rectè judicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus judicari..... Vos enim nobis à Deo dati eſtis Dii; conveniens non eſt, ut homo judicet Deos*, ſed Dii judicent hominem. Quare Gregorius noſter expreſſit, quod Gregorius Magnus implicuit, & diſertè Conſtantinus aſſeruit.

Sextò, ex Paſtorali S. Ambroſii hæc verba laudat: "Honor Fratres, & ſublimitas Epiſcopalis, nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum Diademati, longè erit inferior, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cùm videas Regum colla & Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſculatâ eorum dexterâ, eorum orationibus credant ſe communiri." *At nec Paſtorale S. Ambroſius edidit, nec in aliis ejus Operibus hæc verba reperiuntur. Et hæc cujuſcunque ſint verba, ad Imperatoris exauctorationem trahi non poſſe, evidens eſt.* *Objectio VIII.*

Reſpondeo, quod inter Opera S. Am- *Solutio.*

 broſij

brosij extet liber unus de *dignitate Sacerdotali* inscriptus; meritò *Pastorale* vocatus, cum sit Sacerdotum instructio: unde eum Tritthemius de Scriptoribus Eccles. S. Ambrosij Operum texens Catalogum, sub nomine *de instructione Sacerdotum* designat. In illo autẽ verba à Gregorio VII. adducta reperiuntur, cap. 2. Siquidem Ambrosius ibidem sic ait: *Honor igitur Fratres & sublimitas Episcopalis nullis potest comparationibus adæquari, si Regum fulgori compares & Principum Diademati, longè erit inferior*, & cæt. quæ Gregorius noster citavit. Quare *Opponens*, tam audacter contrarium asserens, ut S. Pontificem accuset, ostendit quàm accuratè S. Ambrosij Opera evolverit. Ea verba ad Imperatoris exauctorationem dictus Papa non trahit: sed eâ potestate, utì & excommunicandi Reges auctoritate abundè probatâ, assumit illa, ut ostendat ex illa Sacerdotum super Reges & Imperatores eminentia quàm convenienter hi à Romano Pontifice iudicentur. Unde ex illis & alijs sic concludit: *Quis igitur vel tenuiter sciolus, Sacerdotes dubitet Regibus anteferri? Quod si Reges pro peccatis suis à*

Sacer-

Sacerdotibus sunt judicandi, à quo rectiùs quàm à Romano Pontifice judicari debent?

Denique, ex Symmachi Papæ Decretis hæc laudat: "Beatus Petrus perennem „meritorum dotem cum hereditate in„nocentiæ misit ad posteros.... Quis „enim Sanctum esse dubitet, quem apex „tantæ Dignitatis attolit? In quo si „desint bona acquisita per meritum, suf„ficiunt quæ à loci Decessore præstan„tur." *At in Symmachi Decretis hæc non habentur, sed in Libello Apologetico Ennodii pro Romana Synodo. Quanquam ad Symmachum aliqua ratione pertinere dici possint, quia Libellum Ennodii Symmachus cum altera Synodo approbavit, eique Canonicam auctoritatem contulit, dicens:* "Iux„ta vestram omnium fiat voluntatem, „& ut judicatis, Apostolicâ auctoritate, „& inter Apostolica habeatur Decreta, „& sicut cætera Apostolica ab omnibus „teneatur, Decreta." *Innocentiam tamen ac sanctimoniam personalem Pontificibus Maximis hoc Ennodii testimonio vindicare noluit Gregorius, sed meritum summæ Dignitatis, & Officium extollere. Vt enim de experimentis nihil dicam, quibus Pontifices universos S. Petri sanctimoniam in se non* *Objecti. IX. & ultima.*

 expres-

expreſſiſſe demonſtratur; qui ſanctiores ſunt, agnoſcunt ſe homines eſſe circundatos infirmitate, pro ſuis populique peccatis Deo hoſtias offerunt, ſaluti ſuæ eò magis timent, quo ſe in excelſiori loco poſitos vident, & ſeveriorem à ſe ad Tribunal Chriſti exigendam rationem profitentur. Nec aliud de ſe ſenſiſſe Gregorium VII. Pontificem Sanctiſſimum veriſimile eſt.

Solutio. Reſpondeo, quod hujus ultimæ objectionis ſolutionem *Natalis* ſubminiſtret: ſi enim Symmachus libellum Ennodij ſuum fecerit, ac inter Apoſtolica decreta haberi voluit, hæc quæ in eo leguntur ipſum Symmachum in decretis habere, meritò potuit Gregorius VII. ſcribere. Adductorum verborum ſenſus ab *Arguente* in objectione expreſſus Gregorio VII. non adverſatur: proinde circa illum, quod præſens attinet, nihil dicere oportet.

Hæc ſunt, quibus *Natalis* Gregorij VII. fundamenta eſſe *nullius roboris*, fruſtrà contendit: quod his ſuis, uti & alijs ſupra ſolutis, argumentis verè convenire, perſpicuum eſt.

EPI-

EPILOGUS.

HÆc cum ita ſint, evaneſcant omnia ab hoc Authore deprompta adversùs dictum Gregorium: qui ab Eminentiſſimo & ſummi judicij Cardinali Pallavicino in Hiſtoria Concilij Tridentini, *Magni* Titulo non minùs quàm primus Gregorius decorandus cenſetur: qui à puero ad ultimum uſque vitæ ſpiritum continuatâ Sanctimoniâ lucens, Eccleſiæ miſerandum in modum oppreſſæ uberrimè profuit, quem in finem, *Conſecratus* (inquit Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi) *in juſtitia & ſanctitate miro modo aßiduis votis pro ſe & grege ſibi commiſſo excubans, urgente Paſtoralis Officij neceßitate diſtorta perverſorum corda ad rectitudinis lineam ſumma vi corrigere nitens, veritatem Dei abſque perſonæ acceptione omnibus patefecit, nactus omnium bonorũ dilectionem ob zeli Dei fervorem & juſtitiæ executionem. Sed quia nulla eſt ſocietas luci ad tenebras, perditorum hominum odium & detractionem, imò perſecutionem acerrimam incurrit; regiam* — *Gregorij VII. laus.*

tamen viam, quam semel intraverat, inconcussus, immotus, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris fortiter incessit. Quis proinde tanti Pontificis tam indignam tractationem, quam vidimus, non aversetur, & eo ægriùs ferat, quo tam apertè in Apostolicam Sedem redundat: cujus eminentia hujusmodi præsumptionis horrorem cuilibet ingerere abundè sufficit; in cujus encomia Illustrissimus Parisiensis Episcopus & Regis Franciæ Orator coram Pio II. Pontif Max. immensè proruperunt, quorum zelum hic Pontifex dilaudans, ea sic prosecutus est, Oratione ad ipsos habita in celebri Conventu Mantuano: *Præclarè verò cui meritis impares insidemus Beatissimi Petri Sedem laudastis, quam nemo præstantissimo, & flagranti studio satis umquam laudavit: Non enim Principes, non Reges, non Imperatores, non potentes Populi, non Patrum, non Conciliorum decreta Romanam & Apostolic. Sedem fixerunt & erexerunt: nec ullis Synodicis constitutis omnibus Ecclesijs per Orbem prælata est, sed omnes Ecclesias per Orbem sparsas universum unam Ecclesiam esse, unum sibi thalamum, & ipsius Præsidem fore B. Petrum voluit Christus verus*

Sedis Apost. eminentia.

rus

rus homo, qui regnat in Trinitate verus Deus.

Hæc Sedes est una perfecta matris suæ, una electa genitricis suæ, hæc est Apostolica Sedes quam Verbum illud, per quod cœlum & terra creata sunt, non hominum mortalitas fluxa instruxit: hæc quam Prophetarum præsagio constituit Deus super gentes & Regna, quam Apostolorum testimonio, Martyrum sanguine Imperialis Sedis adeptione munivit. Hujus ordinationi quisquis resistit, Dei potestati resistit..... Illis loquimur, qui aliud aut docent aut sentiunt, quam ipse qui est caput totius Ecclesiæ, cui ait Dominus: Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. *Nemo se fallat nemo veritatem fidei perfidæ prævaricatione corrumpat. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodo multi radij solis sunt, sed robur unum tenaci radice fundatum, & quomodo de fonte uno rivi plurimi defluunt & numerositas licet diffusa videatur exundante copiæ largitate, unitas tamen servatur origine. A velle radium solis à corpore divisionem unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit, à fonte præscide rivum, præcisus decrescit, sic Ecclesia Dei luce*

 perfusa

perfusa per totum orbem radios suos porrigit, unum tamen est quod ubique diffunditur, unum tantum caput est, & una origo, & una Mater Ecclesia, quæ incorrupta unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Alienus est, profanus est, hostis est, & habere non potest Deum Patrem, qui Romanæ Sedis, quæ universalem Ecclesiam virtute complectitur, non tenuerit unitatem. Hæc Sedes demum est, quæ potestatem ligandi atquè solvendi accepit, quàm si quis corripientem, corrigentem, jubentem contempserit, censeri debet sicut Ethnicus & publicanus. Positus in Petra legitur Moyses ut faciem Dei contemplaretur: super hanc Petram ædificavit Ecclesiam suam præpotens Deus, quam qui non agnoscit, divinam præsentiam intueri non poterit: sola quippe est, per quam Dominus Sacrificium accipiat libenter, sola quæ pro errantibus intercedat fiducialiter, sola est, quæ inter se posita validâ charitatis compage custodit. Hæc est arca & navis, quam ingressi non immerguntur diluvio, sed super aquas evecti in sublime feruntur: omnes autem extra istius Sedis arcam exclusos diluvium extinguit & perimit.

Huic ergo indivulsè adhæreamus, strenuè

ſtrenuè eam propugnemus, ac omni ſtudio caveamus in eamdem impingere: & ſi quandoque (quod avertat Deus) id contingat, non erubeſcamus fateri erratum. Præceſſerunt viri illuſtres, qui clarum ab hujuſcemodi errato reſipiſcentiæ exemplum poſteritati reliquerunt. Pius II. in minoribus agens, non Sacris Ordinibus ininiatus, cum Baſileæ inter eos verſaretur, qui ſe generale concilium facere, & univerſalem Eccleſiam repræſentare aiebant, in eorum errorem inciderat, ac eum ſcriptis prodiderat: aſt eorumdem cæcitate relictâ, Pontif. factus publicam retractationem facere non erubuit, Bullâ deſuper ad Univerſitatẽ Colonienſ. directâ. *Sed quis*, inquit, *non errat mortalis? Sapientem*, inquiunt, *Philoſophi numquã errare verũ eſt. At quis ſapiens niſi bonus? Quis bonus niſi Deus?* Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, nõ eſt, qui faciat bonũ, non eſt uſq; ad unum, *inquit Propheta Regius. Declinavimus nos ab utero matris, in invio erravimus & non in via, ambulavimus in tenebris, & procul à vera luce receſſimus; nec nobis tantum erravimus, alios quoque in præcipitium traximus, & cæcis ducatum*

* *Pſal.* 52.

præben-

præbentes cæci, cum illis in foveam cecidimus. Forsitan & aliquos ex vobis scripta nostra deceperunt, & in devia deduxerunt, quorum sanguinem si de manibus nostris requisivit Dominus, non habemus quid respondere possimus, nisi nos ut homines peccavisse, qui arbitrantes rectum iter ostendere, obliquum monstravimus. In misericordia tantum Dei spes nostra sita est, quæ super omnia opera ejus elucet. Sed haudquaquam satisfuerit divinam misericordiam implorare, & dicere, parce Domine, parce peccatis nostris, nisi pro viribus vulnera, quæ inflixmus veritati, curare annitamur: & sic est in fabulis: Sagitta quæ vulneravit, afferat opem, sive ut canit Ecclesia, medelam inde ferat hostis, unde læserat. Mortem quidam priùs sibi consciverint, quam videri velint aliquando malè sensisse, & nonnulli, ne vel ad horam videantur errasse, semper errant, & dum minimam tolerare honoris jacturam nequeunt, totum abjiciunt, & perpetuâ notantur infamiâ, & in pessimas prolabuntur hæreses, qui ne appareant inconstantes, pertinaces efficiuntur. Superbissimi hoc agunt, qui videri Dii, non homines volunt, quales Constantiæ combusti sunt nostra ætate in magno

Con-

Conventu Hieronymus & Ioannes Hæresiarcha. Nos homines sumus, & ut homines erravimus....... Cogimur igitur Filii Beatum Augustinum imitari, qui cum aliqua in suis voluminibus erronea inseruisset, retractationes edidit. Humilis & probatissimi vir ingenii, qui suas ineptias verecundè confiteri ac corrigere, quam impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus, & confitebimur ingenuè ignorantias nostras, ne per ea, quæ scripsimus iuvenes, error irrepat, qui posset in futurum Apostolicam Sanctam Sedem oppugnare. Idem & Julianus Cardinalis vir maximus priùs præstitit, qui & Pio multùm profuit, ad relinquendum Basileensium errorem, ut in Bulla dicta hic Pontifex refert.

Igitur si quis in errorem contra Sedem Apostolicam inciderit, eumque scriptis prodiderit, haud ipsi turpe sit, illum revocare, ac desuper retractationem edere, sed infame in illo perseverare, vel ulteriùs propugnare. *Neque enim* (ait Augustinus in Prologo libror. Retract.) *quisquam nisi imprudens, ideo, quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed si dicit, non ea debuisse à me dici, quæ postea mihi displicerent: verum*

verum dicit , & mecum facit. Eorum quippe reprehensor est, quorum & ego. Neque enim ea reprehendere deberem, si dicere debuissem.

Non prodeant deinceps scripta adversùs S. Gregorium VII. & quæ publici juris facta sunt, retractentur, & æternâ oblivione sopiantur. Hujus sancti Viri & acerrimi Ecclesiæ propugnatoris honorem zelemus, & eo ferventiùs , quo ab Hæreticis impudentiùs est impetitus. Ejus doctrinam constanter teneamus, strenuèque propugnemus, indubitanter censentes, Dominum ac Salvatorem Sedem Apostolicam, Romanumque Pontificem super Reges & Regna constituisse in plenitudine potestatis in ordine ad salutem æternam : ac eo non modò Ecclesiæ consuluisse, sed & illorum Statui, atque publicæ tranquillitati secundùm divinam legem ordinatæ salubriter contribuisse.

FINIS.

34